FRED. GUL. WALLROTH,
MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORIS,
HERINGENSIS DITIONIS PHYSICI,
SOCIETATUM NATURAE CURIOSORUM BEROLINENSIS,
HALENSIS, LIPSIENSIS, TURICENSIS ET WETTERAVICAE
SODALIS,

SCHEDULAE CRITICAE
DE
PLANTIS FLORAE HALENSIS
SELECTIS.

COROLLARIUM NOVUM
AD
C. SPRENGELII
FLORAM HALENSEM.

ACCEDUNT
GENERUM QUORUMDAM SPECIERUMQUE
OMNIUM DEFINITIONES NOVAE,
EXCURSUS IN STIRPES DIFFICILIORES
ET ICONES V.

TOMUS I. PHANEROGAMIA.

HALAE,
SUMTIBUS CAR. AUG. KÜMMELII.
1822.

Wenn es einmal wieder Mode wird, daſs man auf freyem Felde botaniſirt, und die Kräuter nicht bloſs aufgetrocknet und hinter dem warmen Ofen betrachtet, ſondern wenn ſie noch vom Thau des Himmels triefen, — dann, dann wird man noch viele Irrthümer einſehen lernen, die jetzt einer dem andern nachbetet!

Ehrhart Beytr. I. 142.

VIRO EXCELLENTISSIMO,

LIBERO BARONI,

GULIELMO DE HUMBOLDT,

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS STATUS MINISTRO,

AQUILAE RUBRAE ALIORUMQUE ORDINUM EQUITI ETC. ETC.;

NOBILITATIS PRIMICERIO,
MUSARUM PRAESULI FACUNDISSIMO,
MAECENATI ERUDITISSIMO,
RARO VASTI INGENII EXEMPLARI,
DOCTRINARUM OMNIUM VIRTUTUMQUE COMPLEMENTO;

GRATITUDINIS ET VENERATIONIS SUMMAE TESSERAM,

VILEM HUNC LIBELLUM

ταπεινῶς

CONSECRAT

AUCTOR.

OBSERVATIONES
BOTANICAE.

DIANDRIA.

I. VERONICA

Veronicarum germanicarum *cognitio, quamvis* ex auctorum *ſtudio repetito abſoluta* omnino videatur, tantis *tamen* horret et cum die magis obruitur dif-ficultatibus, ut invitus quaſi indigenarum examen et ἐπίκρισιν ſine opinione praeconcepta inſtituendam profitear. Novum enim, ob ſpecierum nuperrime ſtatutarum ſylvam et a Linnaeano naturae congruenter diſpoſito plane alienum, in ſyſtematibus hodiernis ſalutamus genus et cum quavis propemodum ſpecie, quatenus plurimae deſcriptae ſunt et expoſitae, nova offendimus dubia. Specierum quarumdam διασκευὴν certiorem Naturam ipſam obvelaſſe earumque differentias occultaſſe, aliarum multarum palam feciſſe et omnes ad familias naturales ſegregaſſe, nemo eſt, qui neſciat. Juxta has difficultates ab ipſa Natura objectas inque indigenis ſedula obſervatione ſub dio explorandas, aliae eaeque graviores nec tam facili negotio ſuperandae irrepſerunt ex cultu in hortis continuato et huic aeque ac conſortio et vicinitati, qua ſpecies congeneres in hortorum areis fruebantur, permultas hybridas et formas ſ. varietates ſtabiles, difficilius recognoſcendas et vix cultu denuo experto ad formas, ex quibus exierunt, reducendas ortum debere, ſatis probabile eſſe videtur. Hoc ſcilicet fuco Veronicae ſpicatae potiſſimum et racemoſae, cultu tantopere perſequutae tumque ſpecierum hybridarum, tum Natura invita ſtabilitarum caterva in ſyſtematibus quaſi exuberantes praecellunt et earum examen ultro attentionem noſtram in-

ſtigat, ut miſſo habitu generali ex aliarum notarum eſſentialium congerie et ſpeciminum in variis locis lectorum illuſtratione novos ſpecierum ſtatuamus titulos et nuper divulgatarum dignitatem rite exploremus.

1. Veronica spicata *L.* caule adſcendente foliisque utrinque pubeſcentibus, inferioribus oppoſitis in petiolum connatum deſinentibus caulinis ſuperioribus ſeſſilibus alternis ſenſim minoribus, laciniis calycinis oblongis abbreviatis capſulam ſubaequantibus, petalis lineari-lanceolatis acuminatis, ſpicis imbricatis cylindricis terminalibus.

A. V. spicata legitima, foliis oblongis in petiolum decurrentibus crenatis utrinque attenuatis caulinis ſubconformibus anguſtioribus, caule ſuperiore oligophyllo.

V. Barrelieri *Schott* in *Roem. et Schult ſyſt.* I. 94.

V. ſpicata minor *Vaill. par.* t. 33. f. 4. — *Barrel. ic.* t. 682.

V. ſpicata recta minor *J. Bauh. hiſt.* III. 82 *Chabr. ſtirp.* 426. f. 2.

α. hyssopifolia *W.*, foliis linearibus utrinque acuminatis integris crenatisve ſubapproximatis caulinis conformibus aequalibus integerrimis, caule ſimpliciſſimo.

β. persicifolia *W.*, foliis inferioribus lanceolatis in petiolum productis acutis parce remotequ crenatis, ſummis ſeſſilibus integerrimis, caule polyſtachyo.

B. V. spicata hybrida, foliis inferioribus ovatis ex baſi ovata abrupte petiolatis, caulinis oblongis ſubintegerrimis, ſummis conformibus ſenſim minoribus

α. BUGULAEFOLIA *W.*, foliis inferioribus ovatis subrotundisve obtusissimis dentatis petiolo brevi dilatato suffultis, utrinque cauleque hirsutis.

β. BELLIDIFOLIA *W.*, foliis inferioribus ovalibus petiolatis, caulinis oblongis utrinque attenuatis integris dentatisve, caule rigidulo polyphyllo subramoso. — Ad hanc spectant:

V. Clusii *Schott* l. l. — *Flor. dan.* t. 52. opt.

V. incana *Leyss. hal. ed.* I. p. 3. excl. syn.

V. spicata recta major *J. Bauh. hist.* III. 284. *Chabr. stirp.* 426. f. 1.

V. II. erectior angustifolia *Clus. hist.* I. 346. f. 2. *Moris. hist.* f. III. 22. 3.

γ. OBTUSIFLORA *W.*, petalis obtusis emarginatis laciniis calycinis bracteisque oblongis, caule ramosissimo foliisque integerrimis glabriusculis.

Omnes varietates modo expositae in dumetis collinis agri hal., nominatim vero in der Heide am Bischoffsberge et alio colle vicino, in quo casa est; auf der Steinklippe; am Buchberge et circa Neuhaeusel promiscue cum aliis intermediis occurrunt, inque his omnibus locis, caulibus mono- et polystachyis ludunt.

Schraderus cl. duplices tantum V. spicatae statuit, varietates ex spicarum numero satis variabili, monostachyam et polystachyam eaque apud *Krockerum, Schmidtium* aliosque auctores promiscue V. hybrida vocatur: quin *Willdenowius (enum. pl. h. berol.* 16.) plantam spontaneam semper simplicissimam et monostachyam indicat, quae in agro nostro in omnibus, quotquot mihi innotuerunt formis promiscue, jam monostachya, jam et quidem neque minus frequenter plurimos et varie divisos recolligit ramulos floriferos. Equidem igitur spicarum in eadem planta numerum et fortuitum et ignobilem omnibusque varietatibus communem habeo mihique tutius omnino esse videtur alias ad foliorum figuram statuere varie-

tates, praefertim quum illae a prifcis rei herbariae ftatoribus ex habitu jam diftinctae, in nuperis fcriptis denuo relucefcere fibique fpecierum ftabilium valorem comparare incipiant. Perperam autem. Formae enim funt in iisdem locis fideliter redeuntes nec fpecies ftabiles atque inconcuffae. Omnes differentiae, quotquot ab auctoribus indicantur inque ipfis plantis continentur, ludicrae funt et five ad pubem five ad habitum foliorum figura caulisque indole aliquantisper mutatum fpectant, ex quibus omnibus intelligitur, *Schottium* fpecies haud Naturae juffu, fed potius in iconum Clufianarum fidem diftinxiffe. Mittamus igitur Veronicarum novarum trigam *Schottio*que V. *fpicata Linn.* contenti reddamus et formas leviter aberrantes varietatum titulis infigniamus, nunquam ad fpecierum gravitatem dignas habeamus. Totidem enim et forfan eaedem apud nos redeunt etiam formae fecundum locum natalem perquam variae et a patruis fine opera in locis fupra indicatis poffunt indagari et comprobari. Ipfum autem *Clufium* V. fpicatae fpecimina in variis locis lecta expofuiffe et ex illis promifcue crefcentes ante oculos habuiffe, ex verbis ejus intelligitur (p. 347.): nullas effe fylvas caeduas, nullos colliculos aridiores et aggeres, qui non Veronicam alterutram alerent.

In differentiis V. fpicatae effentialibus inquirendis, a quibus foliorum figura aeque ac caulis proprietas fatis alienae funt, diu fudavi. In petalis lineari - lanceolatis quam antherae brevioribus effentiam verfari, credidi; donec hanc quoque alia varietas, obtufiflorae nomine fupra defcripta, reftingueret. Latent revera differentiae et facilius ex omnium partium communione reciproca quam ex fingularum innumeris viciffitudinibus obnoxiarum proprietate eruuntur. Hinc quoque varietates, quibus ludit V. fpicata, difficilius digeruntur, et vix aliter quam fecundum foliorum figuram definiuntur. Ex hac autem ultro quafi duplices prodeunt formae primariae, quarum haec foliis utrinque

acutis, alia basi ovatis praecellit: utraque tamen aliis intermediis amice connectitur nec ullos agnoscit fines. Hinc potissimum V. hybrida *Linn.* seorsim adspecta diversissima in contentionem venit, quae, quamvis a *Linnaeo* foliis scabris Veron officinalis et caulibus erectis, sive a *Schradero*, foliis inferioribus ovatis petiolatis distingueretur, aliis speciminibus intermediis cum V. spicata legitima concurrit. Ob hanc foliorum mutabilitatem factum est, ut cl. *Sprengelius* V. hybridam *L.*, quam in *fl. hal.* distinxerat, alio loco (*mant.* I. 1.) pro mera V. spicatae varietate habeat, iterum alio ex indigenis releget, Linnaeanam autem distinctam retineat. Nostram caeterum cum Linnaeana eandem esse ex ejus observatione (*sp. pl.* I. 14.) neque a *Willdenowio* neque ab alio auctore indicata, intellexi: V. hybridam folia V. officinalis, caulem V. spicatae, spicas tamen majores et pallidiores habere. — Ad varietates inter se magis dissimiles recognoscendas scire praestat, hyssopifoliam foliis centimetr. 4 — 5 longis, ⅓ f. ½ latis; persicifoliam, quoad foliorum formam Violae persicifoliae aemulam, centimetr. 6 — 7 longis, media parte vix unum latis; bugulaefoliam autem centim. 1½ longis, unum latis excellere.

Aliter autem est cum *V. orchidea Crantz.* a *Schradero* (*germ.* I. 15.) V. spicatae variet. loco perperam subscripta, a *Sprengelio* autem (*pug.* II. 2.) primum restituta, minus sollicite tamen descripta, quae foliis oblongis in petiolum attenuatis remote dentatis subcoriaceis cauleque glabro rigido nitidis, petalis linearibus acuminatis antheras superantibus facile distinguitur. Foliorum figura et reliqua proprietate cum V. gentianoide *Vahl.* quadantenus convenit, quae quidem praeter alias differentias ex inflorescentia et pedunculorum longitudine, stigmate urceolato ab illa et reliquis omnibus essentialiter differt. Ad nostram igitur Veronica I. erectior latifolia *Clus. hist.* I. 346. cum figura eximia, quae a *Linnaeo* ad V. lon-

gifoliam citatur et a *J. Bauh. hist.* III. 283., *Chabraeo stirp.* 426. et *Morisono hist.* f. III. 22. f. 2. mutuatur, pertinet.

2. Veronica longifolia foliis oppositis ternis quaternisve ovato-lanceolatis acuminatis basi subcordatis argute serratis cauleque tenuiter pubescentibus, floribus dense racemosis, pedicellis calyces capsulis minores aequantibus stylo duplo brevioribus:

V. longifolia *Schrad. germ.* I. nec *Linn.* ex *Wahlenb.* descript. fide.

V. maritima *auct. fl. germ.* et *Linn.* ex synonym.

α. cordifolia *W.*, foliis ovato-lanceolatis basi cordata hiantibus duplicato-inciso-serratis, petiolis cauleque submonostachyo pubescentibus, racemo denso nubili pyramidali, bracteis filiformibus calyces superantibus.

? V. grossa *Mart. Roem. et Schult. syst* I. 92.

V. longifoliae var. basi cordata *Wallr. ann bot.* 5.

V. spicata major recta coerulea *Buxb. hal* 332. ex l. nat.

β. salicifolia *W.*, foliis oblongo-lanceolati in basin ovatam desinentibus acuminatis caulequ glabriusculis, racemo laxo cylindrico, bracteis pedicellos aequantibus.

a. foliis inciso-serratis.

Lysimachia flore coeruleo *Clus. hist.* II. 5: *Moris. hist.* f. III. 22. 1.

b. foliis serratis.

V. longifoliae var. foliis angustioribus basi ovatis *Ann. bot.* 6.

V. longifolia *Spreng. hal.* t. 1. f. 3. fol. infer.

V. maritima *Linn. sp. pl.* I. 13. ex synonym. — *Fl. dan.* t. 374.

V. spicata pratensis foliis salignis *Rupp. in posth.*

V. spicata recta profunde serrata *J. Bauh. hist.* III. 284. *Chabr. stirp.* 426. f. 5. ad sinistr.

V. recta I. *Tabernaem. hist.* 773. f. 2. opt.

γ. TENUIFOLIA *W.*, foliis lineari-lanceolatis serratis in basin attractis.

? V. spicata var. foliis ternis canaliculatis *Spr. hal.* 7.

V. spicata recta *Chabr. stirp.* 426. f. 5. ad dextr.

Var. α. in pratis circa Halam haud rara, in dumetis Lettinensibus, ad fossarum margines inque pratis vicinis inter urbem et Passendorf, a *Buxbaumio* jam indicata; β. in vepretis ad Radewell, im Mittelholze et alibi; γ. ad margines des Rockenholzes.

Synonyma selecta et de quibus certus sum, addidi; reliqua apud *Schraderum* et *Roemerum* exstant. — V. elatior *Ehrh.*, quam *Willdenowius* et *Schraderus* V. longifoliae subscripserunt, me judice melius cum V. rectae II. *Tabernaem.* (*hist.* 773. f. 3.) synonymo restituitur.

Spontanea variat florum colore, foliorum figura, racemi longitudine et numero in eodem caule, ex quibus formis varietates a nobis statutae conjunguntur. Aliae quoad foliorum figuram, florum colorem et caulis altitudinem in hortis ornamenti gratia cultae occurrunt, alibi describendae. — V. paludosa *Lejeun.* (? V. elegans *DC. cat. hort. monsp.* 1813.), quam ex Belgio retuli, valde quidem ab indigenis recedit, ad alias autem in

hortis cultas propius accedit, et in loco natali denuo et attentius ob indolem polymorpham cum nostra conferenda est.

Basin foliorum secundum eorum latitudinem et cum hac totum habitum mire mutari eoque plane alieno, observatores facile decipi, ex hac non solum, sed etiam ex aliis patet Veronicis et infra in Campanulae glomeratae Polygoni amphibii aliarumque historia comprobatur. Folia basi latescentia in quibusdam plantis in cordis formam facile expanduntur: minus lata in ovatam varie attrahuntur: in figuram linearem angustata, utrinque attenuantur. Hunc foliorum lusum, quem in V. Teucrio et aliis plantis studiosius illustravi, varietatibus statutis cautius designare et sigillatim exprimere institui, ne in tam difficili genere de foliorum basi *plus minusve* cordata cum *Schradero* loquar. — Var. cordifoliae nostrae folia centimetr. 7 — 12 longa, basin versus 3 s. 3½ lata; salicifoliae folia centim. 6 longa, unum lata; tenuifoliae folia centim. 3 longa, ¼ lata.

Interea dum omnia dubia de V. longifolia et maritima *Linn.* apud auctores florae germanicae discussa videntur, nova tamque gravia ex synonymis a *Linnaeo* citatis et ex planta ejusdem nominis a *Wahlenbergio*, patruo testeque certissimo in fl. lapponica descripta mihi subeunt, ut summam suadeant attentionem. Vetustissimi rei herbariae statores, *Gesnerus*, *Dodonaeus*, *Lobelius*, *Clusius*, *C. Bauhinus* aliique Lysimachiae spicatae duplices sistunt species, alteram *purpuream* s. Lythrum salicariam *L.*, alteram *coeruleam*, Veronicam nostram eaque apud posteros auctores, Veronicae spicatae s. V. majoris rectae coeruleae, V. rectae titulis aptioribus apud *Rivinum*, *Morisonum* et *Tabernaemontanum* figuris mediocribus illustrata redit. Ex his omnibus synonymis scriptorum patruorum, eandem plantam circumscribentibus, *Linnaeus* Veronicam maritimam suam confecit. Alii aucto-

res aliam Veronicam majorem latifoliam foliis splendentibus *Clusio* praeeunte dictam, a nobis supra ad V. orchideam laudatam addunt, et ex hoc solum synonymo *C. Bauhinus* V. spicatam latifoliam suam, *Linnaeus* autem V. longifoliam constituit. Veronicae ita expositae et post *Linnaeum* ex cl. *Rothii* studio ab *Hoffmanno* *Willdenowio*que melius descriptae; in systemate intactae redierunt, donec *Schraderus* in *tractatu de Veronicis spicatis* V. maritimam, ad quam *Linnaeus* synonyma germanica citaverat, V. longifoliam *Linn.* veram esse, statueret: et ab hoc inde tempore omnes eatenus auctores in verba jurarunt magistri et V. maritimae loco V. longifoliam subscripserunt. Quanam ratione *Schraderus* haec protulerit, nescio: argumenta tamen in promtu sunt, quae in contrariam partem spectant. Primum enim *Linnaeus* omnia synonyma, quot ad nostram pertinent, ad V. maritimam: unicum modo Clusianum ex similitudine deceptus, ad V. longifoliam refert, quod quidem ex figura et nomine, a nostra diversissimum est. Dein vero V. longifoliae patriam, Sueciam indicat: Tatariam scilicet ex varietatibus subscriptis et Austriam ex *Clusii* synonymo minus feliciter laudato, ex errore simul immiscet. *Linnaeum* igitur, V. longifoliae titulo *Clusii* synonymo excluso stirpem borealem s. suecicam lapponicamve: maritimam contra ex definitionis et synonymorum fide australem s. germanicam designasse, ex modo dictis sponte elucet. His praemissis penes *Wahlenbergium* est de planta patrua judicare litemque opprobrio factam dissolvere isque probe exaudiendus, quamvis V. longifoliam, lapponicam, cum Schraderiana exacte congruam asserat, de sua tamen omnibus partibus diversissimam profitetur descriptionem. Quorsum enim, ut eius verba ex lapponicis (pag. 4.) mea faciam, »folia venis obsoletis exstructa, minus profunde nec tam crebro serrata, uti in icone Schraderiana, fasciculis foliosis axillaribus semper destitu-

ta; quorſum ſpica longiſſima, ſtricta, poſt floritio nem bracteis ſetiformibus prominentibus et laci niis calycinis nec non piſtillis ex floribus aggregat ita undique obvallata, ut caudam felinam (!) r ferat; quorſum, dico, bracteae calycis lacinias mu tum ſuperantes pedicellique florum erecti, ſtrict rhachidi appreſſi; quorſum denique calycis lac niae valde inaequales, lineares vel potius ſubul tae tamque longae, ut longiores duo capſulam ſu perent,» — ſpectant, quam ad plantam a noſtr ejusdem nominis diverſiſſimam? Nonne ex hi omnibus, a V. noſtra toto coelo alienis nec eju indoli polymorphae adſcribendis patet, V, long foliam borealem a noſtra germanica differre? - Quantum meliûs autem Veronica ex *Schrader* ſtudio longifoliae nomine divulgata cum V. marit mae σχέσει comparativa à *Wahlenbergio* ac dita congruit! Nonne ex his omnibus a *Wahlen bergio* profeſſis et ex obſervatione adjuncta, V maritimae folia ſaepius ita lateſcere, ut baſin cord tam, (quae a *Schradero* plane denegatur omnino perficiant, patet et *Linnaeum* *Wahlenbergium* V. maritimae titulo niſi n ſtram, ſaltem ſimillimam intellexiſſe? Quamvis hae ita et maxime probabilia videantur; quamvis perſu ſum habeam, V. maritimam, qualem ex horto ber linenſi habeo, foliis in baſin cuneatam decurrent bus nec ovatis inſignem nunquam in baſin cord tam immutari poſſe, ne rerum innovandarum cup dus videar, dubia ſupra profeſſa aliis comproba da relinquo et interim V. in plantarum catalog germanicis longifoliae nomine ſalutatam, adjunct ſimul ſingulis agroque halenſi indigenis form cum ſynonymis ſelectis, anonymam volui indicar donec certiora profiteri valeam. Duplices caet rum V. maritimae nomine nunc vago magis qua vero in hortis occurrunt ſpecies, quarum alter me quidem judice, proles hybrida ex V. crenulat patre et V. noſtra matre in hortis nata: alter ab utraque diſtincta eſt eaque ad V. longifolia *Wahlenb.* proxime accedere videtur.

3. Veronica foliosa *Kit.* foliis ternis quaternisve ovato-oblongis inaequaliter serratis, racemis elongatis laxis, pedicellis bracteas calycesque duplo superantibus stylum aequantibus.

α. latifolia *W.*, foliis ovatis.

V. nitida *Ehrh. herb.* 21.

β. angustifolia *W.*, foliis oblongo-lanceolatis utrinque acuminatis.

V. spuria *Linn. sp. pl.* ex loco nat. Thuring. — *Spreng. hal.* 6. t. 1. f. 1. opt.

V. spicata angustifolia *Buxb. hal.* 335. ex l. n.

Praeter l. in fl. hal. indicata in pineto halensi dem Bischoffsberge, var. α. in umbrosis inque hortis culta talis redditur: var. β. in dumetis editioribus.

V. spuria *L.* vera ex ill. *Schraderi* mente praeter foliorum figuram generalem differt: pedicellis bracteas calycesque aequantibus styloque brevioribus.

4. Veronica Teucrium *L. ex emend. n.* caulibus undique pubescentibus inter racemos alares denuo frondescentibus, foliis sessilibus obtusis dentatis variis: caulinis inferioribus ovatis amplexicaulibus latioribus, ramulorum alarium angustioribus, calycibus inaequaliter quinquepartitis, stylis pedicellos aequantibus.

A. Teucrium latifolium *W.*

a. foliis latioribus grosse dentatis subrugosis, inferioribus basi dilatata subcordatis, caulinis ovatis.

†) integris.

V. latifolia α. major *Schrad. germ.* 1. 35.

V. latifolia *Linn. sp. pl.* 18. *Leyss. hal.* ed. I. p. 3.
V. Pseudo-Chamaedrys *Jacq. austr.* I. 37. t. 60.
V. major II. frutescens *Moris. hist.* s. III. 23. f. 10.
Chamaedrys spuria II. s. frutescens *C. Bauh. pin.* 248.
Ch. spuria latifolia *J. Bauh. hist.*
Teucrium IV. *Clus. hist.* I. 349. f. 1

††) subrotundis laciniatis.
V. austriaca *auct. quorumd.*

b. foliis exacte ovatis,
†) apice obtusis.
Chamaedrys spuriae species II. *Chabr. stirp.* 428. f. 5.
††) acuminatis.
V. latifolia β. minor *Schrad. germ.* I. 36.
V. Teucrium *Linn. sp. pl.* 16.
V. minor latifolia *Moris. hist.* s. III. 23. f. 13.
V. montana *Riv. Rupp. jen.* 244.
Teucrium II. *Tabern. hist.* 771. f. 1.

c. foliis ovato-oblongis.
α. major, †) integris.
V. dentata *Schrad. germ.* I. 37. excl. syn. *Schmidt.*
V. supina facie Teucrii pratensis *Moris.* l. l. f. 11. *Buxb. hal.* 331.
Chamaedrys spuria maxima *Chabr. stirp.* 428. f. 4.
Teucrium pannonicum *Tabern. hist.* 771. f. 3.
Teucrii IV. species III. *Clus. hist.* I. 349. opt.

††) laciniatis.

V. austriaca *auct. quorumd.*
V. polymorpha *Willd.*
V. tenuissime laciniata *J. Bauh. Moris. hist.* l. l. f. 17.

β. minor.

V. prostrata *auct.* an quoque *Linn.*
V. minor angustifolia *Moris.* l. l. f. 16. mala. *Rupp. jen.* 244.
Ch. minor spuria angustifolia *Chabr. stirp.* 428. f. 2.
Teucr. IV. *Clus. hist.* I. 350.

γ. minima, foliis subintegerrimis, racemis paucifloris subcapitatis.

Chamaedrys minor spuria angustifol. *Chabr. stirp.* 428. f. 6.

B. Teucrium angustifolium *W.*, foliis linearibus.

a. foliis inciso-serratis.

*V. Schmidtii *Roem. et Schult. syst.* I. 195.
V. dentata *Schmidt. boh.* I. n. 31.
? V. paniculata *L. sp. pl.* I. 18.

b. foliis subintegerrimis.

V. Teucrium angustifolium *DC. gall.* III. 460.
V. saturejaefolia *Poit. et Turp. par.* 24. *Desv. Journ.* II. 52.

C. Teucrium multifidum.

V. austriaca *auct.* et *hortor.*

Var. A. a. in fruticetis umbrosis pinguioribus rarius; b. in vepretis collinis, promontoriis graminosis passim; c. α. in dumetis graminosis aggeribusque collinis an der Steinklippe, β. et γ. in pascuis et versuris siccioribus. Var. B. in promontoriis graminosis ad Auleben reliquis formis passim intercurrit, olim Bohemiae Austriaeque indigena putata. Var. foliis laciniatis Austriae propria esse videtur et in agro nostro exsulat, in quo folia pro-

fundius dentata quidem occurrunt, nunquam tamen in lacinias finduntur.

Descriptionis fusae ab auctoribus secundum specierum seriem affatim jam expositae loco, σχέσιν sequentem adjicere satius duco eaque universam, collatis inter se singulis formis, V. Teucrii comprehendo oeconomiam.

Radix perennis, subramosa, horizontaliter extensa, fibris aliis aucta, fuscescens. Caules teretes, a radice inde subadscendentes, erecti, pilis crispatis undique tecti, nonnisi dense tomentosi, jam proceri, 1 — 2-pedales, firmi, jam minores, spithamei magisque tortuosi, jam depressi omnino ac pygmaei, a biunciali ad digitalem altitudinem variantes iique saepius humi fusi. Folia opposita sessilia, e basi subcordata ovataque amplexicaulia et secundum caulis foliorumque directionem et latitudinem plus minusve rugosa, quoad figuram satis polymorpha; caulina inferiora circumscriptionis ratione habita, ex forma exacte subrotunda in ovatam, haec in oblongo-lanceolatam tendunt, quae itidem ex figura oblonga in lineari-lanceolatam sensim magis angustantur et secundum stirpis magnitudinem variam jam amplius producuntur jamque abbreviantur; suprema alaria, cum quibus caulis inter florum racemos denuo frondescens terminatur, in eo ubique per omnem varietatum modo laudatarum seriem consentiunt, ut circumscriptione ovata relicta, lanceolatam adficiant et ex hac sensim sensimque aut attenuentur aut abbrevientur. Foliorum margo in universum majorem servat constantiam, in formis quamplurimis (nunquam vero ut *Schraderus* a *Linnaei* praeceptis plane alienus scribere lubet, serratus), jam approximate remoteque, jam aequaliter inaequaliterque, jam parcius et obsolete, jam idque frequentius, grosse incisoque dentatus esse solet, qui quidem in omnibus varietatibus nonnisi pinnatifidus factus, raro suisque locis in lacinias transversim et aequaliter partitur. Racemi oppositi, elongati, floribus

speciosis subapproximatis nunquam vero constipatis onusti, ex alis foliorum superiorum exsurgentes et mediotenus ex pedunculorum dichotomia frondem alarem emittentes. Calyx quinquepartitus, laciniis lineari - lanceolatis inaequalibus, duabus paullo minoribus, quinta minima saepe obsoleta. Capsulae obcordatae, compressae, calycem jam aequantes jam superantes.

En! ex hac V Teucrii informatione sequentes fere addiscuntur notae essentiales:

1. Caulis pilis crispatis undique tectus, superne ex pedunculis dichotomis frondescens. Ejus directio, quam *Linnaeus* et *Schraderus* summi habent, ambigua et quoad loci natalis conditiones aliasque vicissitudines, ludicra omnino est. Planta imminuta deprimatur: procera exsurgat semetque erigat, necesse, nec quibusdam plantis contrarium est.

2. Folia sessilia amplexicaulia, biformia: alia in caule, alia in fronde alari, quod neque in V. Chamaedry, V. pedunculata, et V. micrantha *Hoffmann*. neque in alia observari licet specie. Huic scilicet proprietati nec figurae, quae, ut ex congeneribus patet, mire ludit, fides.

3. Calyx 5-partitus, laciniis evidentissime inaequalibus, qui in V. Chamaedry et V. urticaefolia 4-partitus, in hac subaequalis, in illa aequalis omnino est.

4. Racemus elongatus, laxus, multiflorus, floribus speciosis, brevius pedicellatis subapproximatisque onustus. Cum caule imminuto racemus etiam imminuitur, ita ut in varietate minima, in qua omnia minora, pedunculi subcapitati videantur.

5. Stylus pedunculos aequans — Stylum in omnibus Veronicis partem nobiliorem esse atque stabiliorem inque ejus proportione cum pedicellis, calyce et capsulis, specierum quamplurimarum essentiam versari, exploratum mihi est. V gentianoides *Vahl*. v. c. solum stigmate urceolato a reliquis omnibus praecellit et similiter aliae.

Ad partium mensuram congruam mutuamque foliorum relationem, quae inter hanc stirpem et Teucrium genus Labiatarum intercedit illustrandam, sequentem mihi fingo ἀναλογίαν. Foliorum typum V. Teucrii varietati latifoliae a. communem folia Teucrii Scorodoniae sive Veronicae Chamaedryos reddunt: var. b. Teucrium Chamaedryn et var. c. Teucrium Scordium ferme aequat. Veron. Teucrium angustifolium ex foliorum figura ad V. scutellatam reflectit. V. Teucrium multifidum, ad quod V. austriaca pertinet, Teucrii Botryos folia aemulantur.

Praeter varietates ad foliorum figuram a nobis disjunctas et a *Chabraeo* in eadem tabula optime expositas, aliae permultae cujuslibet loci sunt ex pubis omnium partium ratione, caulis directione, capsularum cum laciniis calycinis stylorumque cum pedicellis proportione, et ex laciniarum calycinarum longitudine et latitudine. Varietatem foliis ternis *DC. gall.* V. 387. habet.

Iteratis per plures annos observationibus et speciminum in variis locis lectorum copia edoctus, nunc tandem V. latifoliae, Teucrii, prostratae et dentatarum naturam perspectam habeo admodum polymorpham, quae speciminibus siccis ad eum finem in ordinem digestis melius multo et aptius commonstrari quam verbis exponi potest. Varietates seorsim lectae et adspectae magnitudine foliorumque figura mire quidem inter se recedunt, ubique tamen habitus partiumque essentialium typo stabili et immutato, aliis formis intermediis interjectis, communionis vinculo amico connectuntur et vix ullos agnoscunt fines. Omnes differentiae, in quarum fidem auctores Veronicae Teucrii formas varias ad specierum distinctarum dignitatem sustulerunt, in caulis directione inque foliorum figura versantur, quae tantum fingunt ac immiscent fucum, ut is qui V. latifoliam cum V. dentata *Schm.* s. prostrata minore conjungeret, ni insanire gravius tamen errare videretur. Idem autem lu-

ſus, quem quoad foliorum latitudinem in aliis plantis et nominatim in Veronica ſpicata, Scorzonera hiſpanica et Hieracio umbellato jam exhibuimus et exegimus, quique ſecundum eorum integritatem cum Syringa perſica, Sambuco nigra, Prunella vulgari, Serratula tinctoria, Viti vinifera, Fago ſylvatica, quae in F. aſplenifoliam ſic dictam degenerat, comparandus eſt, in hac quoque ſtirpe redit, et ex habitu amplo latoque ad anguſtum et pertenuem ſive ex integro *ad fiſſum et multipartitum* ex niſu naturali interno tendit et formis intermediis interjectis, mutuam relationem machinatur ac perficit. *Quibusdam plantis naturalis* quaſi dos eſt ut innumeras ſubeant mutationes omnesque penitus et inter ſe valde alienas induant formas, quae, quamvis primo intuitu disſimiles, in partibus nobilioribus autem ſ. eſſentialibus conformes, in iisdem locis quidem perſtant et fideliter redeunt, quin e ſeminibus ſatis aliquando proveniunt, alio tamen tempore et loco ex cauſſa fortuita ad formam genuinam, ex qua exierunt, relabuntur, ob hanc tamen mutabilitatem neutiquam ſpecies diſtinctas ſed modo varietates ſtabiles inque eodem loco redeuntes largiuntur. De his ſcilicet plantis innumeris et plane non explicandis mutationibus obnoxiis, penes ſcrutatorem curioſum in herbis ſub dio obſervandis et colligendis alacrem ac verſutum nec vero penes obſervatorem umbratilem, intra parietum mollitias in ſpeciminulo exſiccato inſpiciendo et deſcribendo languefcentem, judicium certum eſt: de ejusmodi plantis valet quod *Linnaeus* profeſſus eſt: notitiam ſpecificam ab innumera collectione ſpecierum vivarumque plantarum indefeſſa inſpectione ſimulque acerrimo judicio, ſaepenumero proficiſci!

V. latifoliae primitivae folia inferiora e baſi ſubcordata dilatata, ovata, ſubrugoſa, profundius inciſo-ſerrata, apicem verſus aut rotundantur aut ſenſim elongantur et amplius producuntur, baſin verſus ſimul etiam in formam ovatam magis attrahuntur

itaque reddita in V. Teucrium *Linn.* veram (ad quam ipse *Clus.* figuram in *hist.* I. 349. f. 2. laudavit), relabuntur. Ovata et utrinque in similem figuram attracta in aliis speciminibus denuo elongantur ut V. dentatam *Schrad.* perficiant, ita sive reddita, abbreviantur in speciminibus pygmaeis et in V. prostratam minorem et minimam deflectunt, sive etiam ex figura oblonga longius producuntur in linearem, et V. dentatam *Schmidt.* proferunt. Cum foliorum figura caulis magnitudo et quadantenus etiam pedicellorum longitudo congruit, ita ut dum illa angustantur, hic imminuatur et deprimatur, pedicelli vero abbrevientur. Quod denique ad V. austriacam attinet, ex qua V. Teucrium multifidum statui et formis primariis supra propositis, eodem titulo adscribi potest, *Schraderi* verba jam, Veronicam hanc in aprico asperoque solo crescentem V. dentatae simillimam evadere et vix nisi foliis profundius dentatis dignosci posse, opinionem meam comprobant et castigationem defendunt, eamque *Linnaeus* jam (*sp. pl.* I. 17.) auguratus est summam adfinitatem. Multa ex hortis variis V. austriacae retuli specimina, ex quibus sine opera alia ob foliorum circumscriptionem ovato-subrotundam, V. latifoliam: alia ob foliorum circumscriptionem ovatam V. Teucrium: alia autem ob folia ovato-oblonga V. dentatam, qualem *Schraderus* nec *Schmidtius* descripsit, agnoscunt. Ad hanc ipsam *Morisoni* icon (f. III. 23. f. 17.) perbelle spectat, foliis ovato-oblongis insignem. Omnes praeter *Linnaeum* auctores, qui V. austriacae folia lineari-lanceolata computat, in illis dignoscendis speciebus, foliorum figuram ex circumscriptione negligunt et *Schraderus* ut collum e laqueo torqueat, foliorum dissectorum ratione cauleque erectiusculo (!) contentus, sub affinibus V. austriacam dignoscere praecipit. Ob hanc potissimum caussam et ob variam foliorum figuram ad formas V. Teucrii primitivas redeuntem, apud *Willdeno-*

wium nupernimis temporibus V. polymorpha, quae ad plurimas accedit, V. Teucrii varietates foliis ovato-oblongis insignes, nata est, et ex simili fonte dubia de V. austriaca *Linn.* de Jacquini *Schott.* V. orientalis, qualis in hortis plurimis colitur, et de V. multifidae valore ortum ducunt. Sub his titulis species distinctas, curiosius autem circumscribendas et aliis notis praestantioribus quam solum foliorum dissectorum ratione dignoscendas militare, persuasus sum. At parcius agendum nec specierum dignitas ex sola foliorum laciniatarum indole derivanda est. Omnes enim V. Teucrii nostri varietates, minoribus forsan exceptis, ut folia multipliciter partiantur et in lacinias varie effiguratas scindantur, ex Natura innituntur, idque non solum ex margine profundius inciso, dentato, quem plures varietates ex altera parte foliorum integritate insignes induunt, sed quoque ex speciminibus V. austriacae nomine acceptis intelligitur, in quibus folia caulina pinnatifida, alia vero, cum quibus stirps inter pedunculos frondescit, simpliciter dentata observantur.

Veronicam nostram Teucrii nomine antiquissimo aptissimoque simul recte insigniri, persuasum habeo. Planta in herbario Linnaeano quidem, *Smithii* teste (*Act. soc. Linn.* I. 191.) desideratur et ab ipso *Willdenowio* dubia declaratur, quae mihi descriptionum et figurarum laudatarum fide certa est. Veterum auctoritas, cynosura! — V. dentatam *Schrad.* a *Schmidtii* planta ejusdem nominis diversissimam, nec solum collibus bohemicis, austriacis et jenensibus propriam esse sed per Thuringiam cum reliquis V. Teucrii varietatibus promiscue occurrere et *Ruppio* jam innotuisse, testis sum.

† 5. VERONICA MONTANA *L.* racemis axillaribus paucifloris, pedunculis filiformibus, foliis ovatis petiolatis crenatis, caule flaccido undique

pilofo, calyce 4-partito. — *Engl. bot.* t. 766. *Flor. dan.* t. 1201. *Hoffm. germ.* 1791. t. 1. *Morif.* f. III. 23. f. 15.

Ad fcaturigines fylvaticas hinter Wendelftein et fimilibus locis nemoris Ziegelrodenfis im Mühlthale. Maj. Jun.

Leerfius (*herborn.* 4.) V. montanae caulem bifariam pilofum adnumerans errat aut hanc cum V. Chamaedryos varietate quadam haud diffimili commutat.

6. Veronica Chamaedrys *L.* foliis feffilibus ovatis fubcordatis incifo-dentatis conformibus, calycibus 4-partitis fubaequalibus, floribus laxe racemofis, caule adfcendente bifariam pilofo.

Ad hanc minus polymorpham et alibi diligentius expouendam *Clufi hift.* I. 352 f. 1., *Tabernaem. hift.* 771. f. 2., *Morifoni hift.* f. III. 23. f. 12. et *Chabraei ftirp.* 418. f. 3. pertinent.

7. Veronica officinalis *L.* foliis fubobovatis ferratis, calycibus quadripartitis, caule inferne radicante, racemis axillaribus terminalibusque confertis.

α. sylvestris *W.*, foliis obovatis petiolatis membranaceis ferratis, caulibus fimplicibus adfcendentibus inferne radicantibus flaccidis. — *Flor. dan.* t. 248. *Schk.* t. 3. *Blackw.* t. 143. *Chabr. ftirp.* 425. f. 6. *Tabernaem.* 772.

β. multicaulis *W.*, foliis ovatis fubfeffilibus ferratis fubcoriaceis, caulibus ramofiffimis declinatis undique procurrentibus ex geniculis radicantibus, pedunculis floriferis axillaribus erectis.

γ. CAESPITOSA *W.*, foliis ovatis minoribus rigidulis rosaceo-congestis, caulibus praelongis stoloniferis.

Var. α. in nemoribus et maxime in quercetis abundat: β. in aggeribus limosis udis passim: γ. in rupibus madidis inter muscos.

Varietates modo descriptae, inter se dissimillimae totius generis in dolem polymorpham testantur.

8. UTRICULARIAE VULGARIS olim jam (*ann. bot.* 5.) florae halensi restitutae, crescendi modum a nemine hucdum descriptum scio. — Planta matricalis aut annotina jam fructifera, auctumni tempore in ramulorum fastigiis praeter utriculos, glomerulos gerit pisi majoris molem aequantes, ex foliolis linearibus margine undique fasciculato-ciliatis, arcte incumbentibus et implexis compositos, ex quibus tandem cum tempore plantae novae primordiis, ramuli cum foliis prodeunt. Hac vero plantae evolutione foliorumque innovatione ad Charum naturam tendit.

TRIANDRIA.

9. FEDIA DENTATA *Gaertn.* fructibus ovatis hinc uni-, hinc quinquecostatis in apicem acutum productis, ore interno obsolete 4-dentato, caule scabriusculo.

α. LEIOSPERMA *W.* fructibus glabris. (*fl. dan.* t. 738.)
Fedia dentata *Gaertn.* et al. auct.
Valeriana dentata *Willd.* et al. auct.
Engl. bot. t. 1370.
Valerianella dentata *DC.* et gallorum.

β. ERIOSPERMA *W.* fructibus hirsutis.
Fedia Morisonii *Spreng. pug.* I. p. 4.
Ann. bot. p. 6.

Valerianella minor, femine umbilicato hirfuto *Morif. hift.* f. VII. p. 104. t. 16. f. 35.

α. In cultis et arvis ubertim; β. in fimilibus locis at magis lapidofis et fterilibus ad Rofsleben, See-Reblingen, Erdeborn et Heringen rariffime.

* Synonyma Fediae dentatae, ne novo augerentur, F. Morifonii *Spreng.*, quam olim ob fructus hirfutos fatis fingularem diftinxi, deleo. Nullas equidem praeter fructuum hirfutiem inter hanc et F. dentatam vulgarem fructibus glabris infignem, video differentias. Fructuum hirfutiem ad fpeciem defignandam minus idoneam et ludicram effe, mihi de fumma plantarum mutabilitate perfuafo exploratum eft. De fynonymis *Loifeleurii* alibi ad Fed. Morifonii citatis, anceps jam haereo: aliam enim *Candollius* (*fl. gall.* VI. 493.) ad F. mixtam *Vahl.* citat; aliam pro propria defignat. Quamvis haec ita fint, nihilofecius ad hanc F. dentatae varietatem fr. hirfutis infignem proxime accedunt et diligentius conferri debent: Valerianella microcarpa, V. eriocarpa *Loifel.*, V. pubefcens *Merat.*, V. Merati *Loifel.* et F. dafycarpa *M. Bieberft. Roem. et Schult. fyft.* I. p. 365. Illi caeterum errant, dum F. Morifonii pro F. mixtae *Vahl.* habent varietate, quae foliis imis bipinnatifidis diverfiffima eft: equidem enim in *anni bot.* l. l. neutiquam F. mixtam *Vahl.* fed potius *Morifonii* figuram 35. ad F. Morifonii retuli, quae a *Linnaeo* (*fp. pl.* p. 48.) ad F. mixtam citatur.

10. Polycnemum arvense in locis diverfis habitu egregie ludit indeque apud quosdam auctores varias defcriptiones effecit, de quibus ut agro halenfi indigenis fere fic judico:

α. multicaulis *Wallr.*, diandra, caule ramofiffimo diffufo-procumbente, foliis fubulatis patentibus remotis, bracteis calycibusque capfulas aequantibus.

P. arvense *Linn. sp. pl.* p. 50. *Leers. herb.* n. 31. *Cand. fl. gall.* III. 398. *Jacq. austr.* IV t. 365. icon. suprem. *Tabernaem.*
P. inundatum *Schrank* in *Hoppii. ench.* 98. p. 201.
Ad vias publicas prope Bennstaedt.

Caulis a basi inde ramosissimus, diffusus, ramulis patentissimis, procumbentibus. Folia carinata, subulata, mucronata, remota, ex axillis flores ramulosque emittentia. Foliola calycina bracteas capsulamque aequantia, acuminata.

β. SIMPLEX *W.*, diandra, caule erecto subsimplici erecto, foliis carinatis basi ovatis subulatis arcte adpressis, bracteis calycem capsulamque superantibus.
Polycnem. arvense, *Schrank, Hoppe* et *Krocker.*
In arvis sterilibus editioribus ad Rossleben, Kroellwitz, Giebichenstein, Koelme, Wansleben etc.

Caule erecto, abbreviato, foliis basi membranacea dilatatis, arcte adpressis, basin versus tantum ex axillis ramulos emittentibus bracteisque longe acuminatis, calyces capsulasque superantibus ab antecedente quadantenus discrepat: notae, quarum constantia simili plane modo ut species dignoscantur suadet, quo Minuartia dichotoma, M. campestris et M. montana, Hispaniae plantae, vulgo inter se dignoscuntur.

11. SCHOENUS FERRUGINEUS. Schoeni ferruginei historiam cum cl. *Schraderi* descriptione ad exemplorum exsiccatorum imperfectorum suisque numeris haud absolutorum normam exarata (*germ.* p. 115.) dataque icone (l. l. t. 1. f. 4.) minime exhaustam esse, et ansam simul praebuisse ut *Schultzius* (*suppl. starg.* 4.) hunc cum Sch. nigricante conjungeret, certum est. Quae quum ita sint, hallucinationes istas secundum vivam plantam pratis Benndorfensibus indigenam obiter explodere,

nostrum putamus. Schoenum ferrugineum a Sch. nigricante praeter alias notas culmis humilioribus differre, *Schraderus* opinatur: tametsi apud nos, culmos pedales, sesquipedales sistat, rarius et vix nisi in locis siccis, sterilibus humiliores eaque igitur nota a Sch. nigricante, pedalem altitudinem rarissime tantum transgrediente dignosci nequeat. Spiculis porro geminis s. binis et vix unquam pluribus Sch. ferrugineum excellere, magister existimat: nos in exemplis perfectis semper tres, saepius quatuor, raro etiam quinque vidimus, nunquam fere nisi imperfectis et in solo sterili crescentibus, pauciores. His igitur explosis, in utraque planta dignoscenda, magnitudinis rationem spicularumque numerum, quoad loci varietatem ambiguum, excludere et ad alias notas stabiliores refugere tutius esse videtur. Totus habitus diversissimus primo jam intuitu distinguit plantas consimiles. Sch. nigricans nimirum, culmis rigidioribus, foliis digitalibus a Sch. ferrugineo, culmis flaccidioribus, foliis abbreviatis, vix uncialibus magisque acuminatis insigni recedit: ille spicis crassioribus ex spiculis sessilibus in fasciculum collectis aggregatisve, hic, gracilioribus, laxioribus, ex spiculis pedicellatis compositis: ille porro, involucri valvulam externam longissimam; hic, breviorem spiculas fere aequantem habet: in hoc, nucem setae 4 — 5 circumstant, quae in illo desiderantur. His vero praemissis erroribusque explosis iconem Sch. ferruginei a *Schradero* divulgatam taxandam et quoniam a plantae natura aliena et ab ipsa mediocritate abhorret, pessimam vocandam attentius intueamur! Quorsum vero in Schoeni ferruginei exemplis perfectis (talia autem ad id opus semper eliguntur,) spicae binae fertiles, quatuor steriles inveniuntur aeque inciduntur, quales in icone Schraderiana miro modo repraesentantur? num, scifcitor, in illis latet nota essentialis, num ad graminis naturam genuinam abortus ille pertinet? — Quorsum spiculae sessiles, quales in icone illa expressae sunt,

ſpectant, dum in noſtris ſpeciminibus exterior pedicello brevi quidem at manifeſto ſustentatur; quorſum denique folia culmorum altitudinem fere adaequantia, lata ſatis et obtuſa in icone illa ſuſpecta ſpectant, quae in noſtris exemplis breviſſima, unciam vix longa, anguſta et acuminata ſunt. Mancum prorſus imperfectumque ante oculos habuit *Schraderus* Sch. ferruginei exemplum, ex quo rudis illa et incongrua, a graminis natura omnino aliena prodiit figura, quam cum nulla alia ac cum *Scheuchzeri* figura (*agroſtogr.* VII. 19.) Scirpi Baeothryonis *var.* β. *minorem* illuſtrante comparandam ſcio. — *Melior Hornemanni* icon eſt in *fl. dan.* t. 1503.

12. Scirpus humilis *Wallr.* "Quem olim in *Ann. bot.* p. 7. Scirpi nani nomine deſcripſi, melius Scirpus humilis vocandus eſt. Alius enim jam exſtat nani nomine diverſiſſimus a *Poiretio* (*encyclop. method.* VI. p. 759.) deſcriptus itaque primum denominatus. — Differt autem noſter a Scirpo fluitante conſimili: 1) radice fibroſa, folia teretiuscula in caeſpitem juncta ſustinente, quae in Sc. fluitante ex culmi geniculis inferioribus radices agit et folia plana ſparſa gerit; 2) culmis radicalibus, qui in illo ex geniculis prodeunt; 3) involucri valvis exterioribus ſpiculas ſubaequantibus, quae in Sc. fluitante illis breviores ſunt; 4) ſtigmatibus tribus, quae in illo bina ſunt; 5) nucibus ſetis cinctis, quae in illo deficiunt, totoque denique habitu pygmaeo, preſſo, qui in illo protenſus ac patulus eſſe ſolet.

13. Scirpus bifolius *Wallr.* culmo tereti glauco, vaginis foliiferis, foliis canaliculato-teretiusculis junceis, ſpiculis ovatis ſolitariis ſeſſilibus lateralibus involucro diphyllo ſuffultis, ſtigmatibus duobus.

Ad lacum Koelmenſem et piſcinas Wanslebenſes. Jun. Aug.

Radix repens, fibris plurimis circa genicula et ſtolonibus aucta, ut in Tritico repente, culmos plures at remotos ſustinens. Culmi pedales, ſemipedales; Junci glauci molem aequantes, ſtricti, diphylli, inferne ſquamis fuſcis tecti, vaginati. Vaginae teretes, ſtriatae, foliofae. Folia duo (vix unquam plura), culmo breviora, digitos duos longa, ſuperne canaliculata, inferne convexa indeque complicato-teretiuscula, ſtriata, glauca, marginibus integerrima, apice calloſa. Involucra duo: externum, digitum parvum longum ut folia culmea: internum multo brevius, ſpiculam ſubaequans. Spica ſeſſilis, ovata, 8—9-flora, nitida, ferruginea, involucro ſuffulta. Glumae ovatae, integerrimae, nitido-ferrugineae, ſcarioſae, marginem verſus diaphanae, trinerviae, nervo carinali in mucronem breviſſimum ſub apice deſinente. Stigmata duo. Nux ſubtrigona, baſi attenuata, apice mucrone mediocri fuſco-nigricante coronata. Setae receptaculi tres, flexuoſae, apice corpusculis parvis armatae nec ut in Sc. lacuſtri retrorſum hiſpidae.

Habitu, et ſpicae figura Carici chordorrhizae tam ſimilis ut praeter involucri foliola eadem fere eſſe videatur.

† 14. Scirpus Tabernaemontani *Gmel.* culmo tereti nudo glauco, ſpiculis ovatis ſubpedunculatis glomeratis terminalibus (ſpadiceis), involucri foliolis duobus falcatis membranaceis pungentibus *Gmel. bad.* I. 101. *Roem. et Schult. ſyſt.* II. 136. Sc. lacuſtris β. minor *Schrad. germ.* I. 134. Juncus ſylvaticus *Tabernaem. hiſt.* 566. f. 3.

In paludibus nemoris Ziegelrodenſis et Lodersleibenſis.

Nisi specie dignoscendus est, Sc. lacustris tamen memorabilis erit varietas, quae differre videtur: culmis humilioribus, gracilioribus, e glauco virescentibus; spiculis nucibusque duplo fere minoribus, paucioribus, nonnisi sessilibus omnino et glomeratis; glumis calycinis fusco-spadiceis. — Ulteriori dignus est Scirpus examini in locis natalibus instituendo.

15. SCIRPI MARITIMI varietas: culmis humilioribus, spiculis sessilibus compactis, quam *Hoffmannus* (*germ.* II. 25.) et *Persoonius* (*ench.* I. 68.) *Sc. compactum* nominant, in pratis subsalsis circa Wansleben et Koelme crescit. — Cf. *Krocker siles.* n. 78. t. 19.

† 16. PHLEUM ASPERUM *Jacq.* panicula subspicata cylindrica, glumis calycinis cuneiformibus mucronatis scabris margine diaphanis — Chilochloa aspera *Pal. Beauv.* — *Host* II. t. 37. *Engl. bot.* t. 1077. *Sturm germ.* 26. t. 5.

Ad arvorum vias tritas inque ipsis agris Loderslebensibus passim. Jul.

Totum gramen sub anthesi vivide viret, post illam straminis instar pallet, quibus notis et spiculae asperitate a congeneribus mollioribus facile potest dignosci. Inter reliqua gramina suaveolentia quadam fere ut Pruni Mahaleb cortex praecellit. Cespites plures in conclave congesti εὐοσμίας gratia commendandi.

17. POA BREVIFOLIA *DC.* panicula aequali erecta subcontracta, spiculis ovatis 4—5-floris, glumis calycinis carinatis scabriusculis, corollinis inferne undique villosis, foliis culmeis brevissimis

fasciculorumque rigidis acutis cartilagineo-marginatis, ligula exserta lacera.

P. brevifolia *Decand. syn.* 31. *Flor. gall.* VI. 274.

P. alpina *Spreng. fl. hal.* 20. *Ann. bot.* 19. et *al.*

P. collina *Host.* — *Roem. et Schult. syst.* II. 542

P. badensis *Willd. enum.* 104. excl. syn. *Balb.*

P. brizoides *Wohlleb. hal.* 5.

In collibus apricis et arenosis et calcareis. — Extra fines ad Auleben am Mittelberge.

Gramen, cui Poae alpinae nomen, *Schraderi* auctoritate deceptus olim concesseram, a Linnaeano reapse differre, nunc aliorum auctorum testimoniis et *Smithii* descriptionis fide persuasus sum. Differt enim P. brevifolia a P. alpina vera: 1) culmis humilioribus, dodrantalibus, qui in hac, pedalem altitudinem utplurimum attingunt. 2) foliis omnibus rigidioribus, multo brevioribus, ut Caricis firmae; culmeis brevissimis, quae in hac latiora fere ut Poa annuae. 3) ligula exserta, lacera, quae in illa satis brevis est. 4) panicula aequali erecta subcontracta, quae in hac, laxa et patentissima est. 5) glumis corollinis margine, lateribus carinaque villosis, quae partes in hac minus dense pubescunt. 6) seminibus obovatis, basi attenuatis, quae in hac oblonga sunt.

18. Poa serotina *Ehrh.* panicula aequali diffusa, spiculis ovato-lanceolatis sub5-floris, flosculis basi villo connexis obsolete 5-nerviis, culmo vaginisque scabriusculis, ligula abbreviata, radice repente. — *Schrad. germ.* I. 299. — P. polymorpha *Wibel.* — P. palustris *auct. quord.* nec *Linn.* quae Leersia oryzoides est.

In pratis paludoſis, in nemoribus udis haud raro, v. e. ad Schmon, Lodersleben et aliis ſine dubio locis.

Poae triviali et pratenſi proxima: ab illa tamen radice ſubrepente, ligula breviori, truncata: ab hac, culmo vaginisque ſcabris, fere nunquam glabris differt. Paniculam quoque majorem et ramoſiorem quam illae habere ſolet. Variat caeterum ſecundum locum natalem, magnitudine, colore et culmorum foliorumque ſcabritie et ipſis ligulis magis exſertis praeſertim in paluſtribus.

† 19. Festuca tenuifolia. *Sibth.* panicula *lineari* ſubſecunda, ſpiculis oblongis ſubquadrifloris muticis, foliis capillaribus complicatis flaccidis caeſpitoſis.

Feſtuca tenuifolia *Sibth. oxon.* n. 138. *Hoffm. germ.* I. 51. *Schrad. germ.* I. 318. excl. ſyn. *Scheuchz.* et *Moriſ.*

F. ovina β. *Leers herb.* 31. t. 8. f. 4. cum ⚹ ſigno.

In ericetis nemoroſis ad Roſsleben, in collibus der Steinklippe var. minor occurrit.

Quamvis ab agroſtographis nuperrimis, a *Gaudino* et ſyſtematis vegetab. editoribus celeberrimis, de F. tenuifolia *Sibth.*, ab *Hoffmanno* primum in memoriam vocata, dubia moveantur et F. ovinae *L.*, varietatis muticae loco ſubſcribatur, mihi tamen aptius eſſe videtur illam retinere et reliqua gramina ſimillima, ab auctoribus F. ovinae ſ. ſtrictae *Gaud.* nominibus expoſita, F. ovinae titulo a *Schradero* optime illuſtrato ſalutare. Equidem enim ſpeciei eſſentiam in paniculae protractae gracilitate lineari video, qualem *Leerſii* icon naturae congruenter reddit, nemo autem in hoc gramine dignoſcendo adhibuit.

Schraderus optime quidem deſcripſit, quatenus autem a Feſtuca ovina dignoſcenda ſit, haud

addidit. Differt: 1) radice nigra, quae in illa fuscescit. 2) culmis altioribus, gracilioribus, inferne subcompressis; superne tetragonis, qui in F. ovina semper firmiores et crassiores sunt, magnitudine autem ludunt. 3) foliis capillaceis, tenuissimis, complicatis; flaccidis, siccitate rigidulis, longis, fasciculos densos pulvinatos efficientibus, quae in F. ovina, forma et colore plus minusve glaucescente, varia quidem, semper tamen latiora, concava, breviora et crassiora sunt. 4) panicula graciliore, angustiore, simpliciore et magis protracta (i. e. lineari), ut *Leersii* icon optime exhibet, ex spiculis muticis minoribus et paucioribus et fere in ordinem subsecundum dispositis composita: quae in illa, densior, magis composita et congesta, florescentia peracta, plerumque in formam ovatam s. ovato-oblongam contrahitur et ex spiculis majoribus et copiosioribus, aristatis componitur.

20. Festuca ovina panicula ovata sparsa, spiculis oblongis sub5-floris aristatis, culmo inferne tereti usculo, foliis linearibus canaliculatis brevibus.

In pascuis abundat et per Thuringiam praeprimis viarum latera ornat.

Omnes partes innumeras subeunt varietates, quarum vulgatiores ita fere interpretor:

α. vulgaris, spiculis glabris.

β. hirsuta, spiculis hirsutis. 1. debilis. — 2. robusta.

γ. rorida, foliis, culmo spiculisque rore caesio glaucis.

† 21. Festuca glauca *Lam.* panicula ovato-oblonga, spiculis lanceolatis aristatis 5—6-floris, culmo superne angulato, foliis complicato-tereti usculis junceo-rigidis extus laevissimis glauco-pallescentibus.

α. JUNCEA *W.*, foliis teretiusculis rigidis.
F. glauca *Lam. dict.* II. 459. *DC. gall.* III. 51.
F. pallens *Host. gram.* II. 63. t. 88.
β. DONACELLA *W.*, foliis teretibus firmis pungentibus, innovationum caespitosis recurvis brevibus, *culmeis* inferioribus longioribus, senescentibus arundinaceis.

In solo calcareo s. arenoso, α. *in* pascuis siccis, β. in collibus apricis ad Wendelstein et alibi.

Totum gramen e glauco pallescit et demum ex aetate, colorem stramineum induit. Radix fibrosa, culmos plures, spithameos et foliorum fasciculos in caespitem densum cum foliis emortuis residuis junctos sustinens. Folia complicata indeque teretiuscula, acuminata, subpungentia, ut culmi, rigida, (fere ut Junci squarrosi) glaberrima, facie interna glauco-pallescentia et pubescentia, secundum varium locum magis minusve firma, in var. β. duplo crassiora et firmiora, demum senescentia Donacis instar rigentia: culmea reliquis breviora. Ligula brevissima, biaurita. Panicula ovato-oblonga, erecta, ut in congeneribus sub florescentia patens, composita, ante et post illam, contracta et adpressa. Spiculae lanceolatae, compressae, aristatae, 4 — 6-florae, glaucescentes, quoad solum varium jam cum reliquis partibus concolores jam cum antheris purpurascentes, plerumque glabrae, raro hirsutae ut in F. ovina.

Cl. *Schraderus* nostram in pratis et pascuis siccis haud infrequentem indicat: equidem autem veram semper in solo calcareo s. arenoso vidi illumque F. ovinae var. roridam nostram cum nostra commiscuisse vereor. Differt autem saltem ab indigenis: foliis complicatis indeque teretibus, fasciculos densos constituentibus, junceo-rigidis et omnium partium colore glauco-pallescente.

F. amethystina *Host.* nec *Linn.*, quae forsan F. tenuifolia nostra, F. glaucae var. longifoliae

tam ſimilis, ut praeter ſpiculas muticas dignoſci non poſſit. An mera var. mutica?

† 22. FESTUCA RUBRA *L.* panicula patente, flosculis ariſta brevioribus, radice repente. — *Hoſt. gram.* t. 82. *Engl. bot.* t. 2056. *Scheuchz. agroſt.* t. 6. f. 9.

β. MULTIFLORA, ſpiculis lanceolatis 10 — 12-floris foliisque latioribus.

F. multiflora *Koel. gram.* 271.
F. rubra β. *Röth. germ.* II. 125. *Schrad. germ.* 330.
F. pratenſis *Schreb. ſpic.* 57.

In pratis, paſcuis, ad vias noſtras paſſim, β. rareſcit.

23. FESTUCA DURIUSCULA *L.* panicula erecta patente, corollis ariſta longioribus, foliis radicalibus caulinisque ſubconformibus linearibus, radice fibroſa.

Variat β. ſpiculis pubeſcentibus. — *Fl. dan.* t. 700.

24. FESTUCA MYURUS *L.* panicula elongata contracta ſubſecunda, floſculis ariſta brevioribus monandris, culmo foliorum vaginis obtecto.

Am Steinbruche bey der Weintraube. Varietas floſculis ſcaberrimis paſſim occurrit.

25. FESTUCA NEMORUM *Leyſs.* panicula laxa patula nutante, foliis radicalibus filiformibus longiſſimis, caulinis latioribus, radice repente.

Feſtuca heterophylla *Haenke* in *Jacq. Coll.* I. 93. *Spr. hal.* 39. excl. ſyn. *fl. dan.*
Feſtuca nemorum, panicula ſecunda nutante, ſpiculis 5-floris glabris ariſtatis, foliis radi-

calibus setaceis, culmeis planis longissimis scabriusculis *Leyss. hal.* 23.
Act. Soc. N. C. Hal. I. 368. *Roth. germ.* II 1. 129.
F. foliis radicalibus setaceis, caulinis latioribus, locusta 7-flora *Hall. helv.* 1438.

In collibus nemorosis des Rocken- et Mittelholzes et alibi.

Hallerus primum observavit, *Leyszerus* (1783) jam denominavit et *Haenkius* novo nomine (1786) divulgavit, quam *Rothius*, *Willdenowius*, *Sprengelius* olim, *Villarsius*, *Candollius* et *Gaudinus* distinctam retinuerunt. *Schraderus* vero et *Sprengelius* (*mant.* II. 7.), F. duriusculae subscripserunt, quae ab hac praeter alias notas, maxime radice fasciculata repente recedit eaque et aliis partibus F. rubrae adfinior est quam illi.

26. Festuca erecta, *Wallr.* panicula erecta, spiculis lanceolato-linearibus compressis, flosculis imbricatis, aristis rectis gluma brevioribus, foliis inferioribus linearibus vaginisque ciliatis. — *Fl. dan.* t. 1383. Bromus erectus *Smith. brit.* I. 131. *Spr. hal.* 41.

In collibus calcareis auf dem Vogelsberge ad Bennstaedt, et Querfurth.

Br. erectum Festucam esse, valva exterior in aristam desinens, glumae interiores nudae nec pectinato-ciliatae, radix perennis totusque habitus demonstrant. — Synonyma *Smithius* et *Schraderus* exposuerunt et gramen descripserunt. *Vaillantii* figura laudata a nostris aliena esse videtur: florae dan. icon gramen procerius, forsan ex loco, reddit.

27. Festuca elatior *L.* quatenus ab auctoribus vulgo statuitur (Schoenodorus elatior

Pal. de Beauv.), vix in pratis et pascuis nostris ubertim crescit, ut in *fl. hal.* 40. indicatur, sed ad fluviorum Salae et Unstruth ripas rarissime occurrit: nec *Hostii* figura t. 74., quam cl. *Sprengelius* huc trahit, quadrat, sed F. pratensem reddit. Vera exstat t. 8. et in botanico anglico t. 1593.

† 28. BROMUS RACEMOSUS *Sm.* panicula erecta laxa, spiculis ovato-oblongis subcompressis laevibus, flosculis imbricatis, corollarum glumae exteriore apice indivisa, aristis rectis glumam aequantibus, foliis vaginisque parce pubescentibus. — *Engl. bot.* t. 1079.

Br. racemosus *Smith. Act. Linn. Soc.* IV. 286. *Roth N. Beytr.* I. 112. *Schrad. germ.* I. 353.

Br. pratensis *Ehrh. gram.* n. 116.

In pratis pomariisque ad Lodersleben, Rosslebe passim.

Differt a Br. molli consimili: vagina foliisque parcius pubescentibus; panicula laxa simpliciore rhachi pedicellisque scabris nec molliter pubescentibus; spiculis glaberrimis, nitidis; glumis exterioribus apice fere indivisis nec bifidis et habitu.

Alium a nostro diversum praeceptor dilectissimus ejusdem nominis sine loco natali dedit: hinc dubius haereo an noster sit in *Mant.* II. 7. indicatus. Variat culmis scabriusculis glabrisque. *Schraderus* glumas scabras vidit, quae in me laevissimae sunt. Nostrum caeterum verum esse praeter descriptionem specimina e seminibus anglicis culta et alia ex Sicilia ab amicissimo *Rothi* benevole communicata testantur.

† 29. BROMUS COMMUTATUS *Schrad.* panicula apice nutante, spiculis lanceolatis con

pressis, flosculis imbricatis, aristis rectis gluma longioribus, foliis villosis *Schrad. germ.* I. 353.
α. spiculis glabris. — Br. commutatus *Schr.* Br. multiflorus *Willd. Roth. Host.*
β. spiculis pubescentibus. — Br. velutinus *Schrad. germ.* 344. excl. syn. *J. B.* et *Scheuchz.* Br. multiflorus *DC. syn.* 133.

Var. α. inter segetes ad Rossleben passim. Jun. Jul.

Culmi plures ex radice fibrosa, 1 — 2-pedales. Folia linearia, acuminata, plana, pubescentia. Vaginae teretes, pilis horizontalibus densis villosae. Ligula abbreviata. Spiculae lanceolatae, compressae, nitidae, virescentes, acutae ex flosculis 9 — 12, imbricatis, margine scariosis compositae, in var. α. glabrae, in β. tomento tenui velutinae. Arista gluma longior.

Br. secalinus differt: vaginis glabris, spiculis ovato-oblongis; aristis gluma brevioribus aliisque notis.

30. Bromus secalinus *L.* panicula fructifera apice nutante, spiculis oblongo-ovatis compressis nudis, flosculis demum distinctis remotiusculis, aristis subflexuosis gluma brevioribus, foliis pilosiusculis.

α. spiculis glabris.
Br. secalinus *L.* et *omn. auct.*
Fest. graminea glumis glabris *Bauh. pin.*
Gramen Gros-Montbelgardens. spic. glabris *J. Bauh. hist.* II. 438. *Scheuchz. agrostr.* 251. t. V. f. 10.

β. spiculis pubescentibus.
Br. grossus *Desf. DC. gall.* III. p. 68. *Hocquart fl. de Jemmappe* p. 108.
Festuca graminea, glumis hirsutis *Bauh. pin.*

Gramen Gros-Montbelg. ſpic. hirſut. *J. Bauh. hiſt.* II. 438. *Scheuchz.* l.*l. t. V. f. 9.

Var. α. inter ſegetes ubertim; β. in agris gallicis et belgicis minime rara.

Pubem ludicram largiri differentiam, canon Linnaeanus (*phil. bot.* §. 272.) jam monet ejusque veritas vix in ulla alia magis comprobatur quam in graminum familia et maxime in Bromo et Feſtuca generibus. Plurima enim gramina, quae praeter pubis rationem, nullis omnino inter ſe discrepant notis, conſocianda nec his ſolum denuo diſtinguenda ſunt. Similiter quoque de ariſtarum longitudine judicandum eſt. Omnes propemodum Bromi, ſaltem indigeni, ſpiculis glabris pubeſcentibusque variant, ut ex Bromi ſquarroſi (Br. villoſus *Sut.*), Br. divaricati (Br. lanuginoſus *Poir.*), Br. polyſtachyi *DC.* (*fl. gall.* VI. p. 276.), Br. rubentis (Br. liguſticus *All.*), Br. erecti (qui in collibus Bennſtadienſibus ſpiculis glabris et pubeſcentibus creſcit), Br. ſcoparii *Gouan*, qui itidem ſpiculis glabris variat, aliorumque patet exemplis. Ex eorum ſcilicet numero Br. groſſus *Desf.* et Br. velutinus ſunt, illeque ſpiculis ovato-oblongis ad Br. ſecalinum, hic ſpiculis oblongis ad Br. commutatum ſpectat.

Similiter quoque de *Tritico turgido Linn.* quod paſſim inter ſegetes thuringiacas cultum occurrit, judico idque pro ſpecie diſtincta putatum, pro mera Tr. aeſtivi declaro varietate ſpiculis pubeſcentibus inſigni. Datur etiam var. glumis ariſtatis et inariſtatis, ſpecie neutiquam dignoſcenda. Formae in eodem loco fideliter redeuntes ejusmodi ſtirpes nec ſpecies diſtinctae ſunt, partium omnium figura et numero congruae, ſolum pubis ratione, generis natura jubente, abludentes.

31. Andropogon angustifolius *Sm.* foliis linearibus canaliculatis piloſis, ſpicis digitatis corymboſis plurimis, calycibus ſtriatis pedicellisque hirſutis. — *Smith. prodr. fl.*

graec. I. p. 47. *Roemer et Schult. ſyſt.* III. p. 822.

Andr. Iſchaemum *Schreb. Roth. Spr. Schr.* et *reliq. auct. ſl. germ.* — *Schk.*

Ad vias circa Leimbach, Querfurth, Roſsleben, Lodersleben et vicinis locis uberrime.

Andropogon Iſchaemum *Linn.* ab hoc *Smithio* praeceptore differre dicitur: ſtatura majore, foliis latioribus longioribusque, ſpicis paucioribus, glumis calycinis duplo majoribus at minus concinne ſtriatis.

Noſtra ſpecimina: calycibus hirſutiusculis pedicellisque piloſis a *Smithii* deſcriptione recedunt. Cf. deſcriptio optima in *Schrad. ſl. germ.* p. 234. Synonymis addantur: Gramen dactylon anguſtifolium, ſpicis villoſis *C. Bauh. Buxb. hal.* 149. *Rupp. jen.* 308.

32. Avena orientalis *Schreb.* quae in *Sp. pl.* ed. *Willd.* 446. ſine ſynonymis indicatur, eſt:

Avena panicula longa, minus ſparſa unam partem ſpectante *Buxb. hal.* 34.

Avena elatior panicula propendente *Rupp. jen.* 303.

Nuperrime iterum in *Mant.* II. inter ſegetes ad Eisleben tanquam planta ſpontanea indicatur. Immerito autem; ab antiquiſſimis enim temporibus haec aeque ac Avena ſativa in quibusdam regionibus ad uſum domeſticum ſeritur, nec in flora halenſi civitatem poteſt expoſcere, ex qua omnia cerealia exotica excluſa ſunt. Agricolis thuringiacis nota ſub nomine: Faehnichenhafer, olim *Buxbaumio* teſte, türkiſcher Hafer, Gallis l'avoine d'Hongrie. A *Ruppio* ad Schmonam indicatur ubi et noſtris diebus ſeritur.» Ne Wetteraviae agris quidem indigenam habeo, cui a *Schradero* (*germ.* p. 371.) adſcribitur.

33. Avenae flavescentis duplices habeo varietates: alteram, panicula multiflora, densiore, ex flosculis maioribus, plerumque flavescentibus: alteram, panicula rariore et laxiore, e flosculis minoribus, fusco-variegatis compositam: quae habitu et pedicellorum dispositione Av. alpestrem quadantenus refert.

† 34. Elymus europaeus *L.*

Calyx lateralis, *bivalvis* geminus s. ternus; singulis *bi-trifloris*. *Cor. bivalvis: valvulae* lanceolatae; exterior acuminata, mutica v. apice in aristam finiens. Semen corolla tectum.

Elymus europaeus, spiculis glabris, flosculis aristatis, foliis planis flaccidis. *Schrad. germ.* 402. Cuviera europaea *Koel. gram.* p. 328. — *Engl. bot.* t. 1327. *Host. gram.* t. 28. *Scheuchz. prodr.* t. 1. *Fl. dan.* t. 1631. opt.

In faginetis montosis hinter Wendelstein, unico loco quatuor sexve culmos legi.

Gramen apud nos rarissimum e longinquo similitudinem quamdam habet cum Secale Cereali.

35. Arundo arenaria *L.* a *Wohllebenio* in arenosis des Heideberges prope Halam indicata, a me nunquam ibi observata est, quam in Bataviae arenosis uberrimam vidi. Gravissime igitur *Schraderus* (*german.* p. 222.) errat sub Arundinis arenariae titulo agrum halensem quoque pro loco natali indicans.

36. Tritici repentis *var. glaucescens*, omnium partium colore glauco, culmis minoribus foliisque acutioribus; rigidioribus, radice maxime repente fasciculos foliorum densos sustinente, a vulgari diversa, in solo calcareo passim occurrit.

TETRANDRIA.

II. DIPSACEARUM FAMILIA.

De Dipſacearum ſ. Aggregatarum generibus communionis naturalis vinculo arctiſſimo junctis a primis inde ſcientiae reſtauratae temporibus multum disceptatum eſt et noſtris potiſſimum diebus, quibus nova circa genera ſtatuenda relucelcere incipiunt ſtudia, auctorum diſſentientium opiniones aut comprobare aut reſtringere juvat. Qui primum generibus a priſcis ex habitu potius quam ex notarum eſſentialium ſerie conſtitutis operam dedit et omnia genera diſtincte ſatis ad characteres idoneos revocavit, *Vaillantius* eſt in tractatu de generibus plantarum novis ſtabiliendis (Suite de l'établiſſement de nouveaux caractères des plantes) in *Actis acad. pariſ.* 1722. Indicat ibi nec inique discernit genera: *Dipſacum, Succiſam, Scabioſam, Aſterocephalum* et *Pterocephalum* eaque apud *Adanſonium, Ruppium* et *Hallerum* redeunt. *Linnaeus Vaillantii* examen ſive ignorans ſive deſpiciens, Dipſacum retinuit, Succiſam autem, Aſterocephalum et Pterocephalum Scabioſae adjunxit novumque addidit Knautiam; in univerſum generis characteres promiſcuos edidit, limites quibus invicem discernerentur, haud ſatis ſuccincte expoſuit et ob hanc cauſſam alibi (*gener. pl. natural.* ed. *Gieſek.* 532.) generum notarumque ad illa ſtabilienda laudatarum fallaciam minime ignorans, ut difficultates involveret, ad habitum confugit, Dipſacum nimirum cognoſcere praecipit, quod ſemper ſit rigidus et aculeatus, Scabioſam vero genus difficillimum nominat ob corollae feminisque coronulae indolem polymorpham, omnia prorſus ambigue ſatis nec ſimili, quo *Vaillantius* exhibuerat, tractavit ſtudio.

Quae quum ita ſint quumque nemo *Linnaei* genera retractaverit, quamvis in generibus Lin-

naeanis taxandis ejus canonem: habitum occulte consulendum esse, ne genera erronea levi de caussa fingantur et botanicum differentiis genericis genera naturalia separare non debere, — bene perspiciam et lubens persequar: quamvis perspectum habeam, vix unquam singulas Dipsacearum species notis generum ad amussim respondere, ante plures jam annos (1815) in his generibus *Raji* dicto antiquiore admonitus, ne dissimiles et alienae plantae consocientur, specierum farraginem ad genera distincta revocare et notis stabilioribus distinguere institui et omnia genera ex *Vaillantii* mente statuta, unico Succisa genere omisso et cum *Dioscoride Pycnocomon* dicto, denuo distinxi. Eodem fere tempore, quo de hisce generibus denuo et similiter distinguendis agerem, aliis etiam eorumdem subiit examen eoque suadente apud *Lagascam* Lepicephalus, apud *Schottium* Cerionanthus, et Sclerostemma, apud *Schraderum* autem Cephalaria et Trichera, generum novorum nomina varia illuxerunt eaque in plantarum catalogos et systemata hodierna irrepserunt.

Haec fere sunt generum Dipsacearum familiae fata et nomina, de quibus proxime et uberius dicendum est.

De *Lagascae* nominibus et generum dispositione (*gener. pl. et spec. novar. diagn.* 7.) laude satis digna, meo saltem labori simillima nihil plane habeo quod moneam: minus feliciter tamen Knautiam *Linn.*, ut infra docebo, satis distinctam, Scabiosae generi adjunxit.

Pejoris notae sunt *Schraderi* fudamina de his generibus eaque in systematibus nostris divulgata, attentius interpretentur necesse est. Et primum quidem de nominibus a *Schradero* temuiter satis et barbare emunctis.

Cephalaria. Vox hybrida simul ac arbitraria est, linguae graecae et legibus scientiae contraria. Quid enim in verbo graeco, quod adnexum est: ——*aria?* Nihil profecto quam ut verbum grae-

cum in plantarum fyftemate fatis jam ufitatum corrumperetur. Auctor igitur neque linguae graecae ingenium, neque illa, quae *Linnaeus* (*phil. bot.* §. 235.) ftatuit, nomina generum adjectiva fubftantivis pejora effe, tenuit. Ex fimili ratione, Cerionanthus *Schott.* nihil praeftat ob fimilem Ceranthum *Schreb.*

Trichera (θρὶξ). Eadem quae de Cephalaria dicta funt, de Trichera valent. Graecus hanc vocem neutiquam ἀπὸ τοῦ τριχὸς fed potius a Trichero derivabit. — Papae! ejusmodi nomina a *Schradero* ficta, ad ea pertinere videntur, quae a *Linnaeo* (§. 249.) naufeabunda vocantur. Hortulani *ejusmodi nomina* nec doctoris linguam *produnt fane ac redolent!*

Ecquis igitur in nominibus eligendis dubius haerebit, quis levidenfia illa retinebit, quae linguae graecae et fcientiae praecepto: nomina generica, quamdiu fynonyma digna in promtu funt, nova non fingenda (§. 244), refutantur! —

Explofis his nominibus et *Vaillantii* multo praeftantioribus reftitutis, ad partium in generibus informandis nobilium examen pervenimus.

Omnes auctores a *Linnaeo* ad *Schraderum* usque in Dipfaceis calycem duplicem urgent: communem et partialem eumque inferum et fuperum dignofcunt: calycis notione autem abutuntur. Calycem communem in floribus compofitis, anthodium vocari, *Linnaeus* jam ftatuit et praecepta hodierna comprobarunt. Neque minus praeftat *calycis* proprii notio. Pars enim ita vocata, quamvis perianthii vices agat, ad fructum proprie pertinet, calycis nomine plane indigna. Minus apte igitur in Cephalaria et Trichera generibus *Schraderus* calycem proprium duplicem laudat: inferior enim feminis arillus externus continuatus et effiguratus: fuperior corollam quidem munit feminis corculo tamen utriculo inclufo impofitus eft et cum illo concretus. Quae quum ita fint, calycem in generum characteribus omifi et

calycem proprium ſuperum; partem ſeminis vertici ſuperimpoſitam et cum pappo ſemifloſculoſorum analogam, ut ab illo diſtinguerem, coronulam dixi. In his vero partibus, me judice, ſtabiliores, aliis ſubalternis ſimul collatis, exſtant generum et ſpecierum differentiae, quae quamvis in quibusdam ſpeciebus heteroclitis abludere videantur, normam tamen et facilem et certam ſuppeditant, ad quam genera ſtatuantur. Reſpiciendum igitur eſt, num arillus ſemina includens externus integer ſit et angulis truncatis terminetur (Dipſacus, Pterocephalus); ſive effiguratus angulis ſuis in apiculos plus minusve longos et exſtructos (Succiſa), ſive in radium membranaceo-ſcarioſum expanſum excurrat et dilatetur (Aſterocephalus). Similes formas easque varias coronula etiam induit in variis generibus: jam enim cyathum parvum, ſerico-ſtuppeum, in conum demum contortum et ex ſeminum corculo, maturo, cui ſuperimpoſitus adfigitur, deciduum conſtituit (Dipſacus, Succiſa), jam diſcum carnoſum ſubrotundum, ariſtis 1—5 ſcabriuſculis (Aſterocephalus) aut plumoſis (Pterocephalus) expanſis munitum, ſeſſilem et perſiſtentem offert et ex his variis coronulae formis, rariſſime mutabilibus generum characteres derivantur ſtabiles atque inconcuſſi. Pauculas tantum ſcio ſpecies heteroclitas, hybridas revera, quippe ex alterutrius generis natura quid mutuant et hac parte ad id, alia vero ad illud genus deflectere videntur. Ejusmodi ſpecies, ex quarum numero Aſterocephalus Succiſa, auſtralis et Scabioſa hybrida ſunt, ambiguitatem quamdam quidem produnt, aliis ſignis tamen ultro ad genera recurrunt. Aſterocephalus Succiſa enim quamvis praeter corollam quadrifidam ſeminibus radio ſcarioſo deſtitutis et obſolete apiculatis a reliquis aliena eſſe videatur, coronula interna conformi tamen ad illos ultro redit nec ab illis diſpeſci poteſt. Aſterocephalus auſtralis itidem ſemina radiata nec coronulas ariſtatas ſed ex ſimili radio conſtructas habet et habitus et receptaculi commu-

nione Asterocephalos relinquere nequit. Raro scilicet, ut cum *Linnaeo* meo loquar (*ph. bot.* §. 170.) observatur genus, in quo pars aliqua fructificationis non aberret.

Aliae generis differentiae subalternae ex receptaculi figura et paleis ei impositis derivantur. Receptaculum subcarnosum in Dipsaco, idque in aliis conicum in aliis sphaericum observatur: in Succisa subglobosum; in Asterocephalo ventricoso-cylindricum; in Scabiosa convexum; in Knautia et Pterocephalo planum deprehenditur. Praeprimis vero respiciendum est ad paleas, quibus receptaculum exstructum est; anque paleae apice spinulcant, an inermes sint anque plane deficiant et villum (*Scabiosa*) constituant. In Dipsaco et Succisa generibus ex paleis notas genericas promiscuas derivavimus et illi anthodium receptaculi paleis majus et heteromorphum: huic vero paleas anthodii foliolis conformes et sensim minores adscripsimus: Haec nota ambigua et nimis subtilis quidem, in plurimis tamen constans esse videtur et ob summam utriusque generis affinitatem minime spernenda est. Asterocephalus syriacus calyce simplici gaudet, ut Knautiae et a reliquis similiter abludit ut Hieracium praemorsum a reliquis Hieraciis.

Quod denique ad seminum indolem attinet, haec quoque in generibus singulis varia est. Dipsacus et Succisa seminibus columnaribus arillatis: Asterocephalus tetragonis, utriculatis, striatis: Knautia, Pterocephalus et Scabiosa compressis gaudet, Scabiosarum semina tamen a reliquis omnibus in eo abludunt ut basin versus in appendicem brevem, vacuam fere ut in Podospermo *DC.* attenuentur. Knautiae generis semina similia quidem at basi appendiculata callos gerunt.

Haec fere sunt, quibus in singulis Dipsacearum generibus informandis fidem habui et ex illorum communione genera a *Vaillantio* primum proposita exstruxi.

DIPSACUS *Tourn.*

(*Gaertn.* I. t. 86.)

Receptaculum paleatum *): paleae ſpineſcentes. Anthodii ſimplicis polyphylli foliola receptaculi paleis majora et cum illis difformia. Corolla tubuloſa quadrifida. Semen columnare tetragonum arillatum integrum: anguli obtuſi aequales. Coronula ſimplex cyathiformis ſerica decidua. *W.*

SUCCISA *Vaill.*

(*Gaertn.* II. 86.)

Receptaculum commune ſubgloboſum paleatum. Anthodium imbricatum polyphyllum: foliola paleis receptaculi minora et cum illis conformia. Corolla 4-fida. Semina ſubtetragona arillata: anguli ſuperne producti ſ. ſpineſcentes. Coronula cyathiformis decidua. *W.*

Pycnocomon *Wallr. in lit.* — Lepicephalus *Lagaſc.* — Cerionanthus *Schott.* — Cephalaria *Schrad.*

Hujus generis ſunt: Scabioſa alpina, uſtulata *Thunb.*, rigida *Th.*, attenuata, ſcabra *Th.*, transſylvanica *Sm.*, ſyriaca, leucantha, albeſcens *W.*, centauroides *Lam.*, corniculata *Kit.*, uralenſis *Murr.*, cretacea *M.-B.*, tatarica.

ASTEROCEPHALUS *Vaill.*

(*Vaill.* l. l. t. 13. f. 18. *Gaertn.* t. 86.)

Receptaculum commune ventricoſum cylindricum paleatum. Anthodium ſimplex polyphyllum. Co-

*) Priſcorum auctoritas pro cynoſura. Paleaceus verbum novum eſt: *Plinius* et *Columella* ſemper paleatus ſcribunt.

rolla 4 — 5-fida. Semina tetragona utriculata ſtriata: utriculus apice in radium membranaceo-ſcarioſum perſiſtentem expanſus. Coronula perſiſtens ariſtata: ariſtae ſcabriusculae. *W.*

Scleroſtemma *Schott.* — Scabioſa *Schrad.*

SCABIOSA *Vaill.*

(*Vaill.* l. l. t. 13. f. 14. 15. *Tourn.* t. 263.)

Receptaculum commune convexum villoſum. Anthodium ſimplex polyphyllum. Corolla 4-fida. Semen compreſſum integrum pedicellatum. Coronula decidua ariſtata: ariſtae ſtuppeo-piloſae.

Trichera *Schrad.* — Scabioſa *Lagaſc.*

Huc pertinent: Scabioſa arvenſis, ſylvatica *Jacq.*, longifolia *Wulff.*, montana *M. B.*, pubeſcens *W.*, ciliata *Spr.*, hybrida *All.* et integrifolia *L.*

PTEROCEPHALUS *Vaill.*

(*Vaill.* l. l. t. 13. f. 23. 24. *Gaertn.* t. 86.)

Receptaculum ſubvilloſum. Anthodium ſimplex oligophyllum. Semina compreſſa arillata: anguli obtuſi. Coronula ariſtata: ariſtae plumoſae.

Congeneres ſunt: Scabioſa pappoſa *Gaertn.*, S. plumoſa *L.*, S. involucrata *Sm.*, S. pterocephala *L.*

KNAUTIA *L.*

(*Gaertn.* t. 86.)

Receptaculum nudum. Anthodium ſimplex polyphyllum pauciflorum. Semen compreſſum, baſi calloſum: anguli pectinato-ſpineſcentes.

Hactenus de generibus: jam de ſpeciebus diligentius deſcribendis.

37. Dipsacus fullonum *L.* capitulo ovato anthodium reflexum excedente, paleis lanceolatis brevibus rigidis recurvis, foliis inferioribus ovato-lanceolatis baſi attenuatis, ſuperioribus connatis ſerratis. — *Engl. bot.* t. 2080. *Camer. epit.* 431.

Colitur in agro halenſi ad uſum fullonum.

38. Dipsacus sylvestris *L.* capitulo conico anthodio inflexo breviore, paleis linearibus rectis corollas excedentibus, foliis radicalibus petiolatis, ſuperioribus connatis oblongis ſerratis. — *Engl. bot.* t. 1032. *Flor. dan.* t. 965. et t. 1448. *Camer. epit.* 432.

39. Dipsacus pilosus *L.* capitulo ſubrotundo anthodium inflexum aequante, paleis rectis piloſis corollas ſuperantibus, foliis ovatis acuminatis ſerratis baſi appendiculatis. — *Engl. bot.* t. 877. *Camer. epit.* 433.

D. piloſus tranſitum patefacit ad ſequens genus et capituli forma valde ad hoc accedit, a quo quidem ſeminibus apice nudis et habitu discrepat. Errat igitur *Schraderus* qui noſtrum Cephalariam appendiculatam dixit.

40. Asterocephalus columbaria *Wallr.* foliis radicalibus ovatis obtuſis longe petiolatis crenatis membranaceis utrinque pedunculisque ſubtrifidis elongatis pubeſcentibus, caulinorum pinnis linearibus planis ſubintegerrimis cauleque

glabriusculis, ariſtis coronulae ſemen ſubaequantibus denigratis.

α. PRATENSIS *W.*, foliis radicalibus caulinisque inferioribus ovato-oblongis parce crenatis in petiolum longum attenuatis hirſutiusculis, intermediis inciſo-ſerratis baſi pinnatis, ſummis pinnato-laciniatis. — Var. fol. ſuperioribus cauleque glaberrimis et hirſutis.

Scab. V. *Cluſ. hiſt.* II. 2. f. 2. *Camer. epit.* 711. opt.

β. CAMPESTRIS *W.*, foliis radicalibus ovatis inciſo-ſerratis in petiolum decurrentibus, caulinis inferioribus decuſſive laciniatis, ſuperioribus bipinnatis.

γ. DEGENERANS *W.*, foliis radicalibus ovatis obtuſis crenatis baſi auriculatis ſublyratisve, caulinis mediis bipinnatis, pinnis oblongis acutis inciſis, ſuperioribus linearibus ſubintegerrimis.

δ. INTERRUPTUS *W.*, foliis inferioribus interrupte ſimpliciterque pinnatis, pinnis ovatis obtuſis ſubintegris decuſſive decurrentibus, ſuperiorum pinnis linearibus elongatis.

ε. LACINIATUS *W.*, foliis omnibus pinnatis, inferiorum radicaliumque pinnis oblongis baſi attenuatis inciſo-crenatis, ſuperiorum ſenſim anguſtioribus. — *Tabernaem. hiſt.* 443. f 4.

Aliae varietates ſunt: *prolifera* (*Cluſ. hiſt.* II. 5. f. 1.); *uniſeta Tenor.* — *Hermanni* icon aliam africanam reddit.

Stirps ſuis locis pervulgatiſſima, ab indigenis facile, ab exoticis aegrius ex definitione recognoſcenda eſt. Omnes, quot noſco definitiones univerſam Aſt. Columbariae naturam ſatis polymorpham haud exacte complectuntur illumque ne ab indigenis quidem rite diſcernunt. *Smithii* deſcriptio ob ſetas fuſcas coronulae, a noſtra quadantenus aliena eſſe videtur: coronulae ariſtae enim

in hac et aliis congeneribus essentiam largiuntur, me judice, haud spernendam. Folia caulina setacea, qualia a *Linnaeo* inde usque ad *Roemerum* Columbariae adscribuntur, A. suaveolenti potius quam huic propria sunt, nec quoque caulis semper pubescit, ut *Roemerus* μακαρίτης (*sp. pl.* IV. 64.) voluit, sed in nostris multo frequentius glabrescit et infra calyces modo pubem aliquam acquirit.

41. Asterocephalus ochroleucus *Wallr.* caule pedunculisque elongatis hirsutiusculis, foliis radicalibus lyrato-pinnatifidis utrinque pubescentibus, caulinorum pinnis planis linearibus, aristis coronulae semen subaequantibus fuscescentibus.

Scabiosa ochroleuca *Linn.* excl. syn. *Moris.*

Magnam fecit haec species a *Linnaei* ad nostra usque tempora dissensionem: alii enim nostrum ab Ast. Columbaria distinctum, alii vero pro mera varietate declarant. *Linnaei* differentiae, foliis radicalibus exceptis, ambiguae ad utrumque spectant; nec aliae sunt quas *Roemerus* et *Schultesius* recitant, qui praeter corollae colorem nullas esse adseverant utque alii meliores eruant, praecipiunt. Equidem vero differentiis ab auctoribus ad nauseam exscriptis, quas hic repetere nolo, alias addidi ex pube, qua caulis integer hirsutus et folia radicalia pubescunt et ex coronulae aristarum colore, me observante, inconcussas. Color florum ochroleucus praeterea, Asterocephalis plane alienus et Succisis proprius, vix ex Columbariae colore potest transmutari: color ruber enim et qui ex violaceo trahit quid, mutatus albus redditur ut in Betonica, Galeopside, Cirsio aliisque observari licet. Folia radicalia lyrata aut pinnatifida sunt, nunquam vero ut in A. Columbaria integra crenata.

Locum tenet definitum et ex seminibus satis fideliter redit.

Morisoni synon. et figura a *Linnaeo* laudata a nostro aliena, Succisam centauroiden potius refert. Qui primum descripsit *Thalius* (*herc.* 109.) est Scab. VII. tenuifoliae candidae seu majoris nomine.

42. Asterocephalus suaveolens *Wallr.* foliis radicalibus ovato-oblongis in basin attenuatis caulinorumque *pinnis integerrimis crassiusculis glabriusculis, aristis coronulae semine minoribus rectis rigidulis concoloribus.*

Scabiosa suaveolens *Desf. cat. hort. pag.* 110. *D C. syn.* 295.
Sc. columbaria odorata *Thuill par.* II. 72.
Sc. canescens *Waldst. et Kit. hung.* I. 53. t. 53. *Willd. enum.* 146 *Ann. bot.* 143.
Sc. Columbaria β. *Linn. sp. pl.* I. 144.
Sc. minor capitulo globoso odoro *C. Bauh. pin.* 271.
Sc. parva odorata *Chabr. stirp.* 336. f. 3.
Phyteuma minus *Columm ecphr.*
Sc. minor I. IX. *Tabern. hist.* 443. f. 1. 2.
Sc. IX. tenuifolia minima prior *Thal. herc.* 110.

α. hirsutus *W.*, caule procero pedunculisque hirsutis, floribus fragrantissimis.

β. canescens *W.*, caule pedunculisque illum subaequantibus pube tenui incanescentibus.

γ. virens *W.*, caule pedunculisque glabriusculis.

In collibus editioribus, a Rossleben et Biebra inde ad Halam, in ipsis arenosis ad Nietleben, Kroellwitz, in via cava der Steinklippe, quo loco var. α. legi: inque omnibus collibus thuringiacis maxime calcareis abundat. Jun. Aug.

Hujus ſtirpis cognitio in veterum jam latet monumentis et cum *Kitaibelii* et *Desfontainesii* nominibus iterum modo reluxit, quae a primis ſcientiae ſtatoribus bene deſcribitur et figuris mediocribus illuſtratur.

Folia radicalia ſubcoriacea integerrima, rariſſime modo crena una alterave leviter inſcribuntur.

††) *corollis 4-fidis aequalibus, ſeminibus eradiatis.*

43. Asterocephalus Succisa *Wallr.* foliis radicalibus ovato-lanceolatis utrinque acuminatis integerrimis, caulinis connatis ſubintegris, angulis ſeminum eradiatorum ſpineſcentibus, ariſtis coronulae nudis, radice faſciculata praemorſa.

α. hirsutus *W.*; caule, pedunculis foliisque utrinque hirſutis.

Scabioſa Succiſa *Linn.* et *auct.*

Succiſa hirſuta *C. Bauh. pin.* 269.

β. glabratus *W.*, caule foliisque utrinque glabris, caulinis ſuperioribus inciſo-dentatis.

Sc. glabrata *Schott. Roem. et Schult. ſyſt.* IV. 61.

Succiſa glabra *C. Bauh. pin.* 269.

44. Scabiosa arvensis *L.* Trichera arvenſis *Schrad. Roem. et Sch. t. t.* IV. 54. — quo loco varietates in agro noſtro redeuntes optime exponuntur. Alias enumerat jam *Thalius herc.* 108. Sc. integrifoliae, minoris Sc. maculatae, diſſectifoliae majoris et mediae nominibus.

III. GALIUM.

Galiorum indigenorum vulgarium quidem ſimulac vero difficillimorum cognitio ante *Linnaeum*

exiit *Ruppio* duce ex Thuringia: poſt *Linnaeum*, *Leyſsero* praeceptore ex agro halenſi: noviſſimis temporibus ſynonymis novarumque ſpecierum titulis obruta ad priſtinam rediit obſcuritatem et ex *Schraderi* auctoris exactiſſimi et in ſpeciminibus ab amicis miſſis conferendis magis quam in loco colligendis exercitati ἀκριβείᾳ lucem exſpectat. Hinc omnes ſpecies intactas ſine ſynonymis indicare et ita plane deſcribere volui, ut alii ſciant, quid ipſe de Galiis agro noſtro indigenis egerim. Plura nomina ex mea interpretatione et ex ſynonymis, *titulos ambiguos* nunc perficiunt et novis eo *melius* inſigniuntur, ut ab aliis facilius *addiſcantur.*

45. Galium palustre *L.* foliis obovato-oblongis inaequalibus, caulibus ramoſis diffuſis (ſcabriuſculis), cymis axillaribus terminalibusque paucifloris trichotomo-divaricatis. — Aſperula quadrifolia paluſtris *Rupp. jen.* 6.

In noſtris caulis anguli utplurimum ſcabriuſculi, rariſſime glabri et ſimilem ſcabritiem folia etiam paſſim acquirunt. Herba exſiccata nigreſcit.

46. Galium multicaule *Wallr.* foliis octonis oblongo-lanceolatis ariſtato-mucronatis, umbella bi-trifida pauciflora, pedunculis ſuperioribus aphyllis, caulibus e baſi declinata adſcendentibus caeſpitoſis diffuſis flaccidis.

G. album multicaule ſupinum anguſtifolium polyſpermum *Rupp. jen.* 4. *Buxb. hal.* 134.

α. polyphyllum *W.*, glaberrimum, foliis inferioribus ovato-lanceolatis cuſpidatis brevibus confertioribus, ſuperioribus linearibus ſenſim anguſtioribus et minoribus, umbella ſubſimplici bi-trifida terminali.

G. pusillum *Wallr. ann. bot.* 22.
G. saxatile *Hornem. fl. dan.* t. 1633. opt.

β OXYPHYLLUM *W.*, glaberrimum, foliis omnibus lineari-lanceolatis cuspidatis sensim angustioribus, umbellis axillaribus terminalibusque.

γ. ERIOPHYLLUM *W.*, foliis inferioribus caulequae basi undique hirtis, superioribus glabris, umbellis axillaribus terminalibusque.

G. pusillum β. hirsutum *Wallr. ann. bot.* l. l.
G. Bocconi *Willd. sp. pl.* II. 587.
G. sylvestre *Leyss hal.* 36.

Var. α. inter saxa lapicidinarum inque nemoribus caeduis apricis; β. et γ. in aggeribus et promontoriis graminosis haud raro.

Descriptionis loco, quam *Ruppius* succinctam dedit, modo indico, speciei admodum polymorphae essentiam versari in: 1) cauliculis declinatis demum adscendentibus, circumquaque sparsis, numerosissimis ex eadem radice prodeuntibus. 2) in inflorescentia, quae umbellam ex pedicellis aequalibus bi- trifidis compositam (paucifloram) refert. 3) in foliis apice cuspidatis, inque habitu demisso, verbis difficilius exprimendo.

Synonymis in *Roemeri et Schult.* opere facundo (IV. 224 — 227.) affatim enumeratis horret ad nauseam. Quivis locus hujus Galii suas profert varietates: quivis auctor sua promulgat nomina, sine speciminibus simul additis plane non aut difficilius saltem recognoscenda. Summam profecto in Galii nostri oeconomiam locus natalis jactat potestatem! Hinc quoniam vix ullus praeter *Ruppium*, plantae variabilis naturam taxaverit, quumque nullum nomen universam varietatum comprehenderit seriem, novum dedi idque forsan aptissimum et varietates apposui in agro nostro vulgatiores et stabiliores: reliquas autem, quae secundum foliorum figuram, latitudinem, longitudinem,

pubem et habitum infinitae plane ſunt, reticui eo aliis, quibus indigenae, deſcribendas reliqui.

47. Galium Mollugo *L.* foliis octonis elliptico-lanceolatis obtuſiuſculis mucronulatis margine ſcabris, panicula ſubracemoſa obtuſa repetito trifido-divaricata folioſa multiflora, caule tetragono ſurrecto vitigineo remote-geniculato.

G. album *latifolium pratenſe Rupp. jen.* 4.

α. latifolium *W.*, *foliis lanceolato-oblongis ſublenis baſi attenuatis, verticillis pedunculisque confertioribus.*

G. Mollugo α. *Leyſs. hal.* 37.

β. angustifolium *W.*, foliis linearibus mucronatis.

G. Mollugo β. anguſtifolium *Leyſs. hal.* l. l.

γ. ? pauciflorum *W.*, pedunculis ſubumbellatis trifidis ſimplicioribus.

Varietates ludunt itidem, *Ruppio* jam obſervante ut omnia Galia, caulibus glabris et hirſutis. Var. γ. abludit quadantenus in floreſcentia et dubiis par eſt: hybrida videtur ex G. multicauli patre. — G. tyrolenſe ex hortis quibusdam G. Mollugo verum eſt.

48. Galium sylvaticum *L.* foliis octonis ovato-oblongis tenuiſſime ſerrulatis in baſin attenuatis glauco-viridibus, caule tereti erecto geniculis nodoſis diſtantibus intercepto, pedicellis umbellato-corymboſis folioſis demum erectis.

G. album latifolium ſylvaticum *Rupp. jen.* 4.

α. laevigatum *W.*, caule foliisque utrinque laeviſſimis.

' G. laevigatum *Vill.*

β. PUBENS *W.*, caule inferiori foliisque carina ſcabris.

G. ſylvaticum, foliis laevibus ſubtus ſcabris *Linn. ſp. pl.* I. 155. *Schrad. Perſ.*

Var. β. apud nos rareſcit.

Aliud videtur ejusdem nominis apud *Roem. et Schult.* IV. 236. ob flores ſatis magnos: an ad Aſperulae galioidis varietatem proceram referendum?

49. GALIUM VERUM *L.* foliis octonis linearibus ſulcatis margine verticillisque reflexis nitidis, caule obſolete-quadrigono erecto ſimpliciusculo, ramulis floriferis paniculatis ſubterminalibus, pedicellis congeſtis folioſis flores ſubaequantibus.

α. TRACHYPHYLLUM *W.*, caule pedicellis foliisque utrinque ſcaberrimis, floribus flavis.

G. verum *Linn. Sm. DC. Hall.*

a. latifolium, foliis linearibus.

b. anguſtiſſimum, foliis ſetaceis cuſpidatis convolutis.

G. luteum anguſtifolium *Rupp. jen.* 3.

β. LEIOPHYLLUM *W.*, caule foliisque latioribus utrinque laeviusculis, floribus pallido-flaveſcentibus congeſtis.

G. verum, foliis linearibus cauleque tactu laevibus *Roem. et Schult.* IV. 233.

G. luteum paluſtre *Rupp. jen.* 3

Var. α. in aggeribus dumetisque clivoſis cujuslibet loci, β. in humectis.

Foliorum indoles diverſa ex loco natali et climate eſt.

50. Galium uliginosum *L.* foliis ſubſenis lanceolatis baſi attenuata cauleque erecto retrorſum — apice antrorſum hiſpidis, corollis germine majoribus, pedunculis communibus bracteatis divaricato-refractis, partialibus bifidis aphyllis fructus laeves ſubaequantibus.

In uliginoſis paſſim: in ſulcis pratorum elatius evadit.

† 51. Galium gracile *Wallr.* foliis reflexis *antrorſum hiſpidis*, inferioribus ovatis ſubquaternis, ſuperioribus ſenis lanceolatis duplo majoribus, corollis germine minoribus, pedunculis communibus bracteatis patentibus, partialibus inaequalibus bifidis aphyllis fructu ruguloſo duplo longioribus.

In agris bey der Windmühle inter Teutſchen-Thal et Opphauſen; in arvis ſterilibus inter Gleina et Lauchſtaedt paſſim. Jun. Sept.

Radix fibroſa, tenuis, flaveſcens; annua. Caulis obſolete ſ. compreſſo quadrangulus, retrorſum hiſpidus, ſimpliciſſimus, rarius modo baſi ramulo uno alterove brevi auctus, gracilis, ex verticillis inferioribus jam floriferus, ſpithameus pedaliſve, debilis. Folia reflexa, nuda, margine caulis more antrorſum hiſpida, ſordide viridia: infima quaterna, obovata, reticulata; caulina reliqua lanceolata, acuminata, ſumma ſenſim minora et anguſtiora. Ramuli floriferi axillares, patentiſſimi, compoſiti, oppoſiti. Pedunculi communes patentes, trifidi: partiales bifidi, fructu duplo longiores, inaequales. Flores dilute-purpuraſcentes, fructu duplo breviores: petala omnium minutiſſima, obtuſa. Fructus tenuiſſime ruguloſi, ſimul juncti Papaveris Rhoeados ſemen ad-

aequantes, glaberrimi, tamen G. paluſtris fructuum more ſtriis albidis (quae ne cum pilis commutentur, proſpiciendum) leviter notati.

Habitus, creſcendi modus ſummam cum G. uliginoſo ſpondent affinitatem, a quo differt: 1) habitu graciliore, flaccidiore, herbae colore ſordide - vireſcente, qui in illo firmior, pallide vireſcit. 2) verticillis remotioribus, foliis inferioribus 4-ternis, a caulinis reliquis difformibus, margine undique antrorſum hiſpidis: quae in illo conformia, baſin verſus retrorſum, apice antrorſum hiſpida ſunt et verticillos minus remotos perficiunt. 3) ramulis floriferis patentiſſimis: in illo patentibus. 4) pedunculis partialibus patentibus, fructu duplo longioribus, qui in illo: divaricato-refracti fructus ſubaequant. 5) corolla dilute-purpuraſcente, exiliſſima, germine duplo fere minor: quae in illo alba germine quadruplo major eſt. 6) fructibus tenuiſſime exaſperatis: qui in illo laevigati, duplo majores ſunt. 7) loco denique natali, in aſperis; illud in uliginoſis. Planta circa T. Thal lecta robuſtior et ramoſior ex l. natali.

Galium noſtrum novum non eſſe, bene ſcio: nihiloſecius tamen illud novo interim divulgo nomine, donec comperiverim, ad quod referendum ſit et donec dubia de G. anglici et pariſienſis diſcrimine ſoluta ſint. Ambigit inter G. anglicum et litigioſum *DC.* et ni idem cum illo, ſaltem ſimillimum. Cl. *Sprengelius* et *Schraderus* pro G. uliginoſo habuerunt: *Mertenſius* acutiſſimus pro intermedio inter G. anglicum et litigioſum.

De *Galio ſaccharato* et *tricorni With.*, ad quod G ſpurium *Roth. Willd. Spreng.* et Aparine ſeminibus majoribus et teſticulatis, ſupina et per terram ſtrata *Rupp. jen.* 5. pertinent, cf. *Ann. bot.* 23.

52. Galii borealis L. varietates indigenas habeo: 1. caule basi hirsuto; 2. caule ramosissimo, procero, cubitali, ad quam G. rubioides *Poll.* excl. syn. et G. hyssopifolium *Hoffm. germ.* I 71. pertinere videntur; 3. fructibus obsolete hispidis et omnino glaberrimis. Secundum foliorum latitudinem nervorum cursus ludit ut in Thesio Linophyllo.

† 53. Galium agreste *Wallr.* foliis senis octonisve *lanceolatis* mucronatis basi attenuatis supra scabris margine carinaque retrorsum *hispidis, geniculis* nudiusculis subapproximatis, *corollis* (virescentibus) germine minoribus, fructibus reniformibus laevibus hispidisve.

α. echinospermon *W.*, fructibus aculeolis aduncis parce obsitis.

G. infestum *W. et Kit. hung.* III. t. 202.
G. Vaillantii *DC. gall.* IV. 263. *Synops.* 301.
G. Aparine β. *Lam. encycl.* II. 581.
Aparine vulgaris semine minore *Tourn. inst.* 114. *Vaill. par.* 14. t. 4. f. 4. opt.
A. vulgaris semine hirsuto *Moris. hist.* f. IX. 22. f. 1. nec descr.
Aparine *Camer. epit.* 557. ad dextr.

β. leiospermon *W.*, fructibus laevissimis.

G. hispidum *Hoffm. germ.* I. 74.
G. spurium *Linn. sp. pl.* I. 154. nec auct.
Aparine vulgaris seminibus glabris *Rupp. jen.* β.

Utraque var. inter segetes aestivas, maxime inter oleraceas (Br. Napum etc.) abundat, β. rarescere solet.

G. Aparines habitum exacte aemulatur et forte ejus proles hybrida, corollis minoribus, virescentibus et fructibus diversissima, ad quorum in-

dolem varietates duplices nec ſpecies diſtinctae ſtatuuntur. Transitus in eodem loco inque eadem planta patent.

G. ſpurium in ſyſtemate hodierno, titulum vagum praebet et hinc ob errores innumeros melius omittitur. Aliud enim auctores varii intelligunt quam *Linnaeus*, ut ex G. ſpuriis *Willd.* *Hoffm.* *Spr.* *DC.* aliorumque patet.

54. Asperula galioides *M. B.* foliis ſubſenis linearibus *ſulcatis* ſubtus ramulisque junioribus glaucefcentibus, *margine hiſpido* reflexis, floribus ſubumbellatis *terminalibus*, *tubo brevi fructuque glaberrimo.*

α. glabra, caule foliisque glabris.

Aſperula galioides *M. Bieberſt. taur. cauc.* I. 101.

G. glaucum *Jacq. auſtr.* I. 51. t. 81. teſte *Bieb.* — *Spr. hal.* 52. excl. fig. *fl. dan.*, *Leyſs. hal.* 37. excl. ſyn. *L. Willd. ſp. pl.* II. 593. excl. ſyn. pl.

G. campanulatum *Vill. delph.* II. 326. t. 7.

G. caule erecto, foliis ſenis inferne canaliculatis *Zinn gott.* 231. *Hall. gott.* 189.

G. montanum altiſſimum, foliis anguſtis albicantibus *Rupp. jen.* 5. *Buxb. hal.* 134. excl. ſyn.

β. hirsutum *W.*, caule inferiore foliisque hirſutis.

G. ſcabrum *Spr. hal.* 52. excl. ſyn.

G. montanum *Linn. ſp. pl.* I. 155. ex ſyn. — *Ehrh.* exſicc.

In aggeribus, promontoriis dumetisque calcareis circa Halam paſſim, maxime vero in ſimilibus Thuringiae locis, in quibus primum illuxit.

Stirps admodum variis locum dedit erroribus, *Ruppio* melius nota quam recentioribus. Dubia

Linnaei descriptio divulgavit et discrimina inter G. montanum et glaucum minus diligenter exposita: illius tamen patriam Germaniam, hujus Tatariam, Austriam Galliamque australem facit. *Biebersteinio* igitur G. glauci valorem statuere par est: mihi vero G. montani *Linn.* thuringiaci et ex *Ruppii* auctoritate descripti dignitatem defendere. G. montanum *Linn.* enim stirpem thuringiacam esse, tum ex synonymis tumque ex loco natali indicato elucet idque diu jam, antequam cl. *Biebersteinii* opinionem contulerim, compertum habui. *Ruppii* locus de hoc Galio classicus est nec ullum relinquere videtur dubium. Quin nostrum praeter caules duriores, erectiores, folia longiora sursum rigentia et subtus alba, maxime tamen flore a reliquis Galiis quadantenus diverso insigne praecellere, recte jam observavit. Ambigit revera inter Galium et Asperulam et cum A. laevigata melius sub hoc genere in sect. altera tubo corollae abbreviato, militat quam sub Galio.

Varietates plures occurrunt ex loco natali, quae quoniam aliis Galiis communes, nominibus propriis non inscribuntur. Var. *major*, qualem *Ruppius* indicare videtur, in collibus demissis fertilioribus passim occurrit, caulibus pedalibus, pennam corvinam crassis, inferne decumbentibus ibique geniculis nodosis approximatis interceptis, quae superne remotiores sunt, insignis. *Minor* in collibus apricis editioribus viget, caulibus gracilioribus at firmis, spithameis et foliis superioribus subquaternis angustissimis diversa eaque jam glaberrima, jam partibus inferioribus scabra est, qualem forsan *Linnaeus* G. montani et *Sprengelius* sub G. scabri titulo descripserunt. — Ex hac scilicet stirpis indole polymorpha descriptiones variae proficiscuntur.

55. Plantago major *L. foliis ovatis multicostatis subintegris scapoque tereti glabriusculis,

costis in petiolum confluentibus, calycibus obtusis capsulae scissuram aequantibus, flosculis in spicam subimbricatis.

α. MEGASTACHYA *W.*, foliis 5—12-costatis subintegris frigidis scapoque e basi declinata surrectis, flosculis in spicam longam dense imbricatis, operculo conico.

Pl. major *Linn.* — *Fl. dan.* t. 461. *Blackw.* t. 35. *Moris. hist.* VIII. 15. 2. *Tabern. hist.* 1107.

Pl. πολύνευρος *Thal. herc.* 86.

β. LEPTOSTACHYA *W.*, foliis 5—7-costatis sinuato-dentatis utrinque petiolis, scapoque erectiusculis illaque subaequantibus pilosis, flosculis alternis in spicam laxe dispositis, operculo ovato.

γ PHYLLOSTACHYA *W.*, foliis 5—7-costatis parce dentatis glabris, bracteis foliaceis subspathulatis capsulas obtegentibus in spicam pyramidatam digestis.

Pl. major β. bracteata *Roem. et Schult.* IV. 110

Pl. major rosea *Camer. epit.* 261. *Chabr. stirp.* 497. f. 3. *Moris. hist.* s. VIII. 15. f. 3.

Pl. multiplex *Tabern. hist.* 1108. f. 1.

δ. PSILOSTACHYA *W.*, foliis trinerviis ovato-oblongis brevibus, flosculis capsulisque exiguis in spicam gracilem congestis.

ε. BRACHYSTACHYA *W.*, foliis ovatis parce dentatis trinerviis erectis flaccidis, scapo gracili illa subaequante, spica pauciflora ovato-oblonga ex flosculis remotis laxe composita, operculo rotundo.

Pl. minima *DC. gall.* III 408.

Pl. latifolia minor *Tabern. hist.* 1107. *Chabr. stirp.* 498. f. 6.

ζ. MICROSTACHYA *W.*, foliis ovatis depressis minutissimis, scapo illa subaequante brevissimo de-

clinato, ſpica ovata depauperata ex floſculis 4 — 5 compoſita.

Pl. ex hoc genere minima, minoribus foliis et ſpica *Thal. herc.* 86.

Var. α. ad ſemitas limoſas irriguas ſ. roridas cum Junco bufonio; β. in inundatis et foſſis; γ. in graminoſis; δ. in glareoſis macris; ε. in agris limoſis nuper inundatis (Rolsleben etc.); ζ. in ericetis macris humectis.

Var. bracteis roſaceo-expanſis, qualem *Tabernaemontanus, Camerarius, Moriſonus* et *Chabraeus* habent, *platyanthiam*: aliam quam nuperi non indicant, cujus figura apud *Moriſon.* ſ. VIII. 15. 4. *Chabr ſtirp.* 497. f. 1 exſtat, *polyſtachyam* dixi. Nervi coſtati, ex quibus *Thalius* recte alteram πολύνευρον, alteram πεντάνευρον ſtatuit. habitu nec numero eſſentiam reddunt.

Vix ulla alia planta tam variis ludit formis in variis locis fideliter redeuntibus, nec ulla alia plantarum quarumdam polymorpharum indolem certius teſtificatur et de illa et de noſtris praeceptis, Naturam miras ſaepe jactare viciſſitudines, dubitaturis et diſceptaturis praeclarius perſuadet, quam Plantago major. Omnes enim partes, praeter eſſentiales in hac ſtirpe mire mutantur, ita ut ſpecimina ſeorſim adſpecta, ob habitum generalem mutatum, toto coelo differre videantur.

IV. POTAMOGETON *L.*

Omnes Potamogetones, plantarum aquaticarum more ob indolem polymorpham ab ipſa Natura commiſſam, graviores objiciunt difficultates et ex *Schraderi* ſtudio examen diligentius deſiderant. Alios enim habere botanicos gallicos, alios anglicos et germanicos et hos itidem a Linnaeanis diverſos, ex deſcriptionibus brevibus ſynonymisque

promiſcue laudatis, plane non aut difficilius recognoſcendis, liquet. Quae quum ita ſint et quamvis omne ſtudium de hujus generis plantis niſi inane, intempeſtivum tamen eſſe videatur, meum nihiloſecius eſſe duxi, de Potamogetonibus agro baleuſi indigenis et a me olim in illis minus curioſo lectis, obiter agere.

In notis eſſentialibus inquirendis praeprimis reſpiciendum eſt, ad nucularum formam et quo, pedunculo varie comparato, adfiguntur modum, dein vero ad foliorum indolem et qua, cauli admota ſunt, rationem. *Triplices* autem in Potamogetonibus *noſtratibus obſervantur formae:* alia enim *diſtincta* ſunt i. e. *ſeſſilia* ſ. *petiolata*, *vaginis* foliiferis *deſtituta:* alia *ex ochreis* caulem ambeuntibus emergunt, alia denique ex ipſa vagina prodeunt ejusque partes ſunt.

56. Potamogeton natans *L.* caulibus teretibus immerſis inferne ochreatis aphyllis, ochreis ſuperioribus laxis membranaceis acuminatis, foliis ſuperioribus longe petiolatis ellipticis ſubcoriaceis *natantibus*, pedunculo incraſſato, nuculis in ſpicam contiguam conſertis.

α. foliis omnibus ellipticis conformibus. — *Flor. dan.* t. 1025. *Lonicer.* 390. *Tabern.* 1117. f. 1.

β. foliis ſuperioribus ellipticis, inferioribus ovato-oblongis.

P. natans *L. Matth. hiſt.* 400. f. *Camer. epit.* 373.

In locis exſiccatis caulis a baſi ſtatim folioſus eſt.

57. Potamogeton heterophyllus *Schreb.* caulibus teretibus folioſis immerſis,

foliis difformibus, inferioribus sessilibus linearibus flaccidis, superioribus ellipticis rigidulis.

P. heterophyllus *Schreb. spic.* 21

In fossis ad Rossleben. —. An mera P. natantis var.?

58. Potamogeton lucens *L.* β. macrophylla *W.* caulibus teretibus foliosis, foliis oblongo-lanceolatis pellucidis multinerviis, nervo intermedio prominulo in mucronem carinatum rigidum producto, ochreis laxis obtusis internodia excedentibus, pedunculis incrassatis spicam densam subaequantibus.

P. acuminatum, foliis ovato-lanceolatis planis in petiolos desinentibus, acuminibus subulatis rigidis. *Schumach. saell.* I. 49. *Hornem. fl. dan.* t. 1384. opt.

P. aquis immersum, folio pellucido lato oblongo acuto *Raj. Buxb. hal.* 269. ex l. nat.

In fossis inter urbem et Passendorf. — Planta speciosa a P. lucente *Linn.* mihi, dum haec scribo, minus noto, forsan distinguenda. Icon *fl. dan.* laudata, quamvis etiam mucrones foliorum minus longi sint, eximie quadrat et nostrum optime reddit. *Schumacheri* plantam syst. editores nuperrimi non habent. — P. lucens foliorum forma prae caeteris mire ludit et jam foliis lanceolatis utrinque attenuatis, jam oblongis, jam ellipticis utrinque ovatis s. basi attenuatis (P. lucens, foliis lanceolatis in petiolos desinentibus *Linn. sp. pl.* I. 183. — *Fl. dan.* t 195. Fontinalis lucens major *J. Bauh. hist.* III. 769 *Chabr. stirp.* 562. f. 6.), iisque modo sessilibus, modo breviter petiolatis, in locis variis occurrit et in aquis profundioribus et rapidius fluentibus caules emittit praelongos et folia acquirit longiora: quas omnes formas alio loco et die illustrandi mens est.

59. POTAMOGETON RUFESCENS *Schrad.* caule tereti, foliis venosis, inferioribus lanceolatis subsessilibus, superioribus oppositis ovato-oblongis in petiolum attenuatis, pedunculis aequalibus tenuibus, spicis confertis, nuculis ovatis disco utroque impressis.

In rivulo lento auf dem Rolsleber Riethe.

† 60. POTAMOGETON DENSUS *L.* caule tereti erecto folioso, foliis oppositis ovato-oblongis acuminatis amplexicauli-connatis trinerviis, pedunculis axillaribus reflexis folio brevioribus paucifloris, nuculis subcompressis marginatis obsolete-cochleatis.

α. *LATIFOLIUS *W.*, foliis ovatis.

P. densum *Linn. sp. pl.* I. 182. excl. syn. *Clus.*

P. alterum *Dodon. Chabr. stirp.* 563. f. 3.

β. ANGUSTIFOLIUS *W.*, foliis ovato-oblongis confertioribus?

Fontinalis media lucens *Chabr. stirp.* l. l. f. 1.

In fossis uliginosis ad Wiehe.

Clusii figura (*hist.* II. 252.) ad P. crispum pertinet. Ex var. β. angustifolia, in aquis rapidius fluentibus alia evadit foliis magis lanceolatis insignis, qualem *fl. dan.* t. 1264. bene exprimit.

61. POTAMOGETON PERFOLIATUS *L.* caule tereti evaginato, foliis alternis 5-nerviis basi cordata amplexicaulibus.

α. OVATIFOLIUS *W.*, foliis ovatis. — P. perfoliatus *L. flor. dan.* t. 196.

β. ROTUNDIFOLIUS *W.*, foliis rotundis. — P. Loefelii *Hall.* enum. n. 844. *Roem.* et *Schult* *syst.* IV. 508. P. rotundifolius II. *Loes.* *pruss.* t. 65.

Var. β. in fossis bey der hohen Brücke.

Stipulas exiguas, angustas, quas *Wahlenbergius* in P. perfoliato, lapponico vidit, equidem in nostris desidero.

62. POTAMOGETON COMPLANATUS *Willd.* a me in *Ann. bot.* 27. descriptus, idem est cum P. zosteraefolio *Schumach.* *saell.* I. 50. *Pers* *syn.* I. 152. *Roem.* et *Schult.* *syst.* IV. 512.

De Pot. compresso in *Ann. bot.* l. l. egi.

63. POTAMOGETON GRAMINEUS *L.* in *flor. hal.* 57. indicatus, ex *flor. dan.* t. 222. dubius evadit: icon enim a cl. *Smithio* (*brit.* III. 1391.) ad heterophyllum, alibi ad P. lanceolatum *Engl. bot.* t. 1985. laudata, *Wahlenbergio* teste (*lapp.* 52.) ad P. gramineum *L.* revera pertinet, qui a P. compresso, consimili, habitu multoties grandiore, foliis lineas 2 — 4 latis, pedunculis pennam columbinam crassis differt.

64. POTAMOGETON PECTINATUS *L.* caulibus subdichotomis ramosissimis eburneis, vaginis foliiferis, auriculis vaginarum membranaceo-diaphanis foliisque setaceis, spica interrupta longe tenuiterque pedunculata, nuculis subovatis extus gibbosis stylo brevissimo coronatis laevigatis.

α. PROTENSUS *W.*, caulibus ramosis longissime protensis flaccidis filiformibus, vaginis foliiferis remotis foliisque debilibus.

β. DICHOTOMUS *W.*, caulibus divaricato-ramosis foliisque rigidulis, spica pauciflora.

P. Vaillantii *Roem. et Schult. syst.* IV. 514.
P. marinum? *Linn. sp. pl.* I. 184. *Flor. dan.* t. 186.
P. ingens, gramineo folio longiori *Vaill. par.* t. 32. f. 5.

γ. SCOPARIUS *W.*, caulibus praelongis inferne denudatis geniculato-nodosis, superne in ramulos scopaeformes polyphyllos expansis, vaginis distichis margine membranaceo-diaphanis articulisque approximatis. — P. pectinatus *L. DC. Wallr. ann. bot.* 145.

Var. α. in rivulis (salsis) rapidius fluentibus; β. in stagnis; δ. in lacubus den Themeken prope Wansleben abundat. — In var. β. auriculae detritae vaginas ciliatas mentiuntur.

65. POTAMOGETON PUSILLUS *L.* caulibus teretibus ramosis concoloribus, foliis alternis oppositisve linearibus utrinque aequalibus uninerviis distinctis (evaginatis), pedunculis axillaribus caulis crassitudinem subaequantibus, nuculis ovatis laevissimis stylo recto brevi coronatis in spicam laxam dispositis. — *Fl. dan.* t. 1451. *Vaill.* t. 32. f. 4.

β. ANGUSTISSIMUS *W.*, foliis patentibus lineari-setaceis, caule debili.

66. SAGINA APETALA *L.* totius plantae magnitudine, pedunculorum longitudine eorumque pube variat nec semper glabrescit, ut cl. *Schultzius* (*suppl.* 10.) adseverat, sed multo frequentius pilos glanduliferos parvos in pedunculis acquirit. Ob hanc rem S. depressa *Schultz.* l. l. in agris nostris cum priore passim occurrens in contentionem venit et meram ejus var. largitur.

†. 67. Sagina erecta *L.* caule erecto subunifloro, foliis linearibus acutis connatis, foliolis calycinis acuminatis margine scariosis petala integra capsulamque cylindricam superantibus. — *Vaill. par.* t. 3. f. 2. opt.* *Engl. bot.* t. 609. Moenchia Quaternella *Ehrh. Beytr.* II. 177. M. glauca *Pers. ench.* I. 153.

In ericetis arenosis et pascuis apricis ad Nebram, suis locis vulgaris, alioquin perrara et facile praetervidenda.

Smithius (*brit.* I. 200.) descripsit. — Icon *fl. dan.* t. 845., quam *Roemerus* et *Schultesius* ad Saginam erectam laudant, omnibus partibus aliena est et potius ad S. procumbentem simplicem pertinet.

PENTANDRIA.

V. MYOSOTIS *L.*

Et de genere denominando et de speciebus distinguendis auctores omnis temporis bipartiuntur. *Tragus*, *Tabernaemontanus* Auriculam muris: *Columna*, *C. Bauhinus* et *Thalius* Echium palustre: *Gesnerus*, *Hermannus* et *Boerhaavius* Heliotropium: *Tournefortius* et *Scheuchzerus* Lithospermum: *Morisonus* et *Hallerus* Scorpiurum: *Dillenius* denique, *Ruppius*, *Buxbaumius* et *Linnaeus* Myosotidem dixerunt eaque, *Hallero* renuente, in systemata nostra transiit. Quod ad species attinet, plurimi veteres rei herbariae statores, ex quorum numero *Hermannus*, *Boerhaavius*, *Magnolius*, *Volcamerius*, *Dillenius*, *Siegesbeckius*, *Buxbaumius* et ipse *Linnaeus* sunt, M. scorpioiden ad pubis rationem, alteram pube adpressa praeter-

visa, *glabram*, alteram *hirsutam*: *Morisonus* ex loco natali, *palustrem* et *arvensem*: *Hallerus* (*opusc.* 290.) secundum corollae magnitudinem, aliam *flore minore*, aliam *majore* et hujus triplices varietates, palustrem vulgarem, sylvaticam maximam et alpinam humilem. inque *Ruppii* flora jenensi ad radicis durationem, illam *annuam*, hanc *perennem*, distinxerunt. Aliter autem *Linnaeus*, in quo *Smithium*, *Sprengelium* et alios multos habet asseclas, Myosotidem glabram et hirsutam, palustris et arvensis nominibus M. scorpioidi subscripsit et in *prael. in ordin. natural.* p. 492. M. scorpioidem tam variabilem indicat, ut in montibus aridis minima et asperrima, vix digiti attingat altitudinem: ad aquas delata eo laevior et major, inque aquis tam dissimilis evadat ut mox jurares non esse unam eandemque speciem. Errat autem et quamvis in plantis simillimis distinguendis habitus nihil valere videatur, pubis indoles tamen adjuncta simul pedunculorum proportione et radicis duratione, differentias largiuntur stabiles inconcussasque.

Character gener. Calyx 5-fidus. Corolla hypocrateriformis, fauce fornicibus convexis clausa. Semina 4, nuda receptaculo basi umbilicata adfixa.

68. Myosotis scorpioides *L. emend.* caule calycibusque campanulatis adpresso-pilosis, laciniis ovatis patentibus, limbo explanato tubo longiore. — *Engl. bot.* 28. t. 1973.

α. palustris *W.*, caulibus radicantibus stoloniferis, laciniis calycinis exacte ovatis obtusis brevissimis.

M. paluſtris *Roth. germ.* I. 87. *Lehm. aſperif.* 88.
M. perennis *Moench. haſſ.* n. 158. *DC. gall.* III. 629.
M. ſcorpioides β. paluſtris *Linn. Scop. Sm. Spr. Schk.*
Scorpiurus paluſtris perennis foliis viridioribus *Moriſ. hiſt.* III. 451. ſ. XI. 31. 4.
M. ſcorpioides paluſtris *Buxb. hal.* 250.
M. paluſtris major perennis. *Rupp. jen.* 10.
Eufraſia coerulea *Tabern. hiſt.* I. 511.
Echium paluſtre Cordi *Thal. herc.* 40.

β. PRATENSIS *W.*, caule erecto ſtolonibus deſtituto, laciniis calycinis oblongis obtuſiusculis.

M. ceſpitoſa *Schultz. ſuppl. ſtarg.* 11.

γ. ULIGINOSA *W.*, caule ſimplici gracillimo flaccido, laciniis calycinis linearibus acuminatis

Var. α. ad foſſas ſtagnantes interpratenſes, in ſcaturiginoſis primo vere; β. prata humecta, nemoroſa a veris initio inde ad aeſtatem ornat; γ. in uliginibus cum Galio uliginoſo paſſim ad Lodersleben.

Planta ſecundum loci natalis varietatem annique tempus perquam polymorpha, cujus formae in variis locis fideliter redeuntes, me judice, melius pro varietatibus ſubſcribuntur quam pro ſpeciebus diſtinguuntur. Laciniae calycinae in ſpeciminibus ſeorſim viſis ſatis peculiares, differentias tantum mentiuntur eaeque aliis intermediis refutantur. His perinde et aliis ex habitu, qui alius in ſcaturiginoſis pinguioribus, ubi omnes partes laetiores et pinguiores non raro perennant: alius in pratis humectis eſt notis ambiguis omiſſis, pubi calycis et caulis appreſſae ſolum confidendum et omnes formae, quotquot redeunt, M. ſcorpioïdis indoli polymorphae nec plantae naturae adſcribendae ſunt.

69. Myosotis sylvatica *Ehrh.* caule ramoso erecto patenti-piloso, racemi laxi ebracteati pedunculorumque patentium pube adpressa, foliis inferioribus subspathulatis in petiolum attenuatis, laciniis calycinis oblongis patentibus, limbo explanato tubo longiore. — *Flor. dan.* t. 583. ad sinistr.

M. sylvatica *Ehrh. herb.* n. 31. *Hoffm. germ.* I. 55. *Lehm. asperif.* 85.
M. montana *Bess. gall.* I. 142.
M. alpestris *Hopp Willd. enum.* 175.
M. scorpioides γ. *Smith. brit.* I. 212.
M. sylvatica maxima *Hall. iter helv.* 291.
M. sylvatica praecox latifolia hispida *Rupp. jen.* 10. *Buxb. hal.* 231.
M. scorp. latifolia hirsuta *Merr. pin.* 1. *brit.* 82. *Dillen.* in *Raj. syn.* 229. t. 9. f. 2.
Lithospermum arvense majus *Scheuchz. it. alp.* II 137
M. hirsuta montana et sylvatica *Dill. cat. giss* 46. *Siegesb. petropol.* 77.
Echium palustre in sylvis *Thal. herc.* 40.

In sylvis umbrosis montosis ad Liebenau, Seeben, Rossleben, Ziegelrode et alibi passim.

Hanc procul dubio *C. Bauh. pin.* 254. etiam intelligit, dicens, M. arvensem magnitudine et hispiditate variare.

70. Myosotis arvensis *Roth.* caule erecto foliisque ovato-oblongis pilosis; racemis adpresso-hirtis, pedunculis inferioribus calycibus ovatis uncinato-hispidis duplo longioribus, laciniis calycinis acuminatis demum conniventibus tubum aequantibus, limbo erecto. — *Fl. dan.* t. 583. ad dextr.

M. annua *Moench. haff.* l. l. *DC. gall.* l. l.
M. fcorpioides α. arvenfis *Linn. Hoffm. Sm. Spr.*
Scorpiurus annuus hirfutus coeruleus *Morif.* III. 450. f. XI. 31. 1.
Auricula muris coerulea *Tabern. hift.* I. 511.

Inter fegetes inque arvorum folo pinguiore per totum annum abundat.

† 71. Myosotis collina *Ehrh.* caule ramofo foliisque radicalibus pilofis, racemis adpreffo-hirtis, calycibus pedunculos fuperantibus uncinato-hifpidis, laciniis calycinis acuminatis demum conniventibus limboque erecto tubo brevioribus.

M. ftricta *Link. Roem. et Schult. fyft.* III. 104.
M. collina *Ehrh. herb.* n. 31. *Hoffm. germ.* I. 61.
M. verficolor *Ehrh.* — *Lehmann afperif.* 93.

β. simplex *Perf.* caule fimpliciffimo, foliis rofaceo-congeftis, petalis non emarginatis *Perf. fyn.* I. 156.

M. pufilla *Loifel. Journ. bot.* II. 260. t. 8. f. 2. *Roem. et Schult. fyft.* III. 106.

In arvis apricis fteriliffimis, β. ad fylvarum margines in folo arenofo primo vere.

De M. fcorpioidis et arvenfis differentiis nullum fupereffe poteft dubium. Majorem M. fylvaticae, arvenfis et collinae triga fuadet ambiguitatem, quae pubis ratione quamdam offerunt communionem, pedunculorum longitudine tamen et limbi magnitudine acutius et cautius diftinguuntur. Quamvis id ita fit et fpecierum valor cultu denuo comprobari debeat, differentias tamen, quibus

quaevis dignofci poffit, interim exponere lubet, donec certiora profiteri valeam.

M. fylvatica Ehrh. ambigit quafi inter M. fcorpioidem et arvenfem illique corollae fpeciofae limbo explanato fimilis: huic itidem pube calycis uncinata laciniarum conniventium, fimplici caulisque patentiffima adfinis, ab hac tamen differt: 1) radice bienni, quae in M. arvenfi et collina annua eft. 2) foliis inferioribus ovato-oblongis longe petiolatis in bafin decurrentibus. 3) pedicellis quam calyces duplo longioribus. 4) corollae fpeciofae limbo explanato. Totidem fere in M. arvenfi et collina dignofcenda redeunt differentiae, ita ut haec ab illa differre videatur: 1) caulibus caefpitofis brevioribus in var. β. fimpliciffimis. 2) foliis fpathulatis. 3) pedicellis breviffimis ne calyces quidem aequantibus. 4) petalis minoribus inconfpicuis.

Var β. fimplex ita fere differt a M. collina Ehrh. ex caulibus pluribus in cefpitem denfum juncta, ut haec a M. arvenfi eaque itidem a M. fylvatica recedit. Tota planta vix uncialem attingit altitudinem, caulem fimpliciffimum et folia fpathulata breviter petiolata, molliter pubefcentia, in rofulam expanfa fiftit et cum racemo paucifloro terminatur, cujus flores breviffime pedicellati, fere feffiles a radice inde jam ex foliorum axillis prognofcuntur. Crefcit primo veris initio ad fylvarum oras meridionales arenofas et nivem difcuffam illico fubfequitur cum Draba verna. Plantae magnitudini et caulis fimplicitati nihil proprii ineffe, ex aliarum vernalium liquet exemplis. Eodem enim tempore eodemque loco magis tamen limofo et pinguiore, Myofuri minimi legi fpecimina, tenerrima, fimpliciffima, unciam dimidiam vix alta, foliis perangustis et paucis modo fustentata, a M. minimo, ferius in arvis tectorumque grumis haud raro, habitu quadantenus aliena. Tantam igitur loci natalis varietas in Myofotidum magnitudine habi-

tuque mutando habet potestatem simulque admonet ut M. sylvaticae, collinae aliarumque specierum nuperrime distinctarum valor seminibus ad eum finem satis varioque solo mandatis ulterius comprobetur.

VI. CYNOGLOSSUM.

De Cynoglossi generis charactere a pristinis inde temporibus inter auctores magna fuit dissensio, quam ne praecepta hodierna quidem composuerunt sed potius dubiis novis additis implicarunt. Omnes, quos scio datique sunt de Cynoglosso genere characteres aut nimis breves ad alia quoque spectant genera aut ipsas, quibus Cynoglossa ab affinibus discrepant, notas naturales haud exacte referunt et complectuntur. Omnes propemodum a *Linnaeo* et *Gaertnero* inde ad *R. Brownium* *Lehmannum*que notas solum urgent, familiae naturali in universum communes et quae propriae sunt Cynoglossisque genuinae transgrediuntur. Huc spectant corollae varie effiguratae fornices, huc fructuum polymorphorum numerus quaternus et, qua columnae centrali affiguntur, indoles: quae notae, quamvis Cynoglossa designent, ubique tamen ob Asperifoliarum communionem naturalem, ambiguitatem quamdam prodere videntur. Iis perinde omnibus habitus familiae naturali nec ipsi generi proprius designatur, Cynoglossorum natura autem nequaquam circumscribitur. In plurimis plantarum familiis naturalibus notas genericas fere nunquam sine summa difficultate indagandas esse atque statuendas, ex singularum cognitione et ex iis, quae alibi a nobis dicta sunt, affatim elucet. Hinc eo sedulo videndum est ut in ejusmodi generibus alia innotescant signa magisque stabilia, quorum ope species aut in genera distincta dispescantur aut secus quoad fructuum indolem polymorpham consocientur nec genus naturale, invita natura, in alia genera ficta multiplicetur. In Cyno-

glossis plurimis neque corollae neque seminum forma generalis in speciebus singulis diversissima, stabilem largiuntur notam genericam, quae quidem in rima hiulca, pertenui quidem at stabili, qua commissura receptaculo affixa pertusa est, certissima exstat et inconcussa. Quam igitur a nemine hucdum observatam notam in Cynoglosso genere statuendo, canone Linnaeano admoniti retineamus (*philos. bot.* §. 171.) et omnia, in quae disjunctum est genera restringamus eorumque nomina ad subdivisiones indicandas adhibeamus.

Character gener. Calyx 5-partitus. Corolla varia, fauce fornicibus erectis clausa. Fructus varii, basi imperforati liberi, commissuris lateralibus rima hiulca pertusis receptaculo 4-angulo columnari adnexi.

1. CYNOGLOSSUM. Corolla infundibuliformis. Fructus arillati echinati, commissura laterali dilatata nuda receptaculo declinatim admoti, basi rotundata liberi, apice processu styloideo adglutinati.

Huc pertinent: Cynoglossum officinale, C. sylvaticum, C. pictum, C. cheirifolium, C. apenninum aliaque plura.

2. LAPPULA. Corolla infundibuliformis. Fructus echinati commissuris contracti, circa receptaculum pyramidati. (Myosotidis sp. Linn. Echinospermum *Swartz. Lehmann.* Rochelia *Roem. et Schultes.*

Hujus sectionis sunt: Myosotis Lappula, M. squarrosa *M. B.* M. deflexa* *Wahlenb.* M. virginiana, M. marginata *M. B.* M. echinophora, M. spinocarpus, M. borbonica, M. gracilis, M. barbata *M. B.* M. cynoglossoides *Lam.* quae a *Thunbergio* jam Cynoglossum echinatum vocatur.

3. TETRASPIS. Corolla tubulosa. Stamina exserta. Fructus alati, nudi in discum dilatati, commissura laterali *receptaculo circumpositi.* (Rindera *Pall.* Mattia *Roem. et Schult.*)

Huc refero: Cyn. laevigatum (Rindera tetraspis *Pall.*) C. glastifolium *W.* C. cristatum, C. umbellatum *W. et Kit.* et alia.

4. OMPHALIUM. Corolla subrotata. Fructus nudi margine inflexo in calathi formam effigurati. (Omphalodes *Tournef. Link. Hoffmanseg. Lehmann.* Picotia *Roem. et Sch.*)

Sub hac sectione militant: C. omphalodes, C. linifolium, C. myosotodes et aliquot alia. Fructus a Cynoglosso genere alieni quidem videntur, proxime tamen ad Tetraspides, fructibus in orbem alatum expansis insignes accedunt, qui in his, margine contracti urceolos sistunt. Rima hiulca in his obsoleta ex commissurae latere adscendente et plicato formatur.

Hactenus de genere summatim: jam de speciebus.

72. Cynoglossum Lappula *Wallr.* fructuum aculeis marginalibus bijugis, foliis lanceolatis obtusis amplexicaulibus substrigosis, pedun-

culis racemosis bracteatis virgatis, caule superne ramoso subtrichotomo.

Myosotis Lappula *Linn.* et *auct.*
Echinospermum Lappula *Lehmann. asp.* 120.
Rochelia Lappula *Roem. et Schult. syst.* III. 109.
Cynoglossum hirsutum vineale minus, flosculis coeruleis minimis *Moris. hist.* III. 449. f. IX. 30. 10.

In ruderibus et aggeribus limosis inque tectorum grumis.

Argumenta quibus *Linnaeus* et qui illum sequuti sunt, hanc plantam vulgarem Myosotidi generi subjungere potuerint, plane ignoro et auctores admiror. Quorsum enim calyx quinquefidus; quorsum corolla hypocrateriformis; quorsum nuces in sinu calycis foventes, glabrae; quorsum denique limbus emarginatus, ut in *Linn. gen. pl.* p. 75. constitutum est, in M. Lappula et congeneribus plurimis possunt inveniri, quae calyce 5-partito, quae corolla infundibuliformi, limbo integro fructibusque echinatis stylo columnari commissura laterali adfixis gaudet. His omnibus et habitu generali ad Cynoglossum genus propius accedit, ad quod olim jam a *Columna, C. Bauhino* aliisque relata fuit, nec genus distinctum, quod *Ruppius* (*jen.* 12.) *Hallero* jam renuente, primum sualit quodque nuperrimis denique temporibus cum Echinospermo *Swartzii et Lehmanni* s. Rochelia *Roemeri et Schultesii* illuxit, vix nisi invita natura intrat.

M. squarrosa *M. Bieberst.* (*taur. cauc.* I. 120.), quae aculeorum marginalium serie simplici excellit, a Retziana planta eodem nomine descripta satis diversa esse videtur. M. squarrosam *Retz* a Cynoglosso Lappula nostro plane non alienam esse ejus verba: »fructuum anguli bini exteriores

ut et angulus baleos binis setarum ordinibus uncinatarum veſtiti », demonſtrant. Talem vero ex halenſi et berolinenſi hortis retuli, quae quamvis habitu magis ſquarroſo a ſpontaneis noſtris quodantenus recedere videatur, aculeorum ſerie duplici tamen ad illam accedit et a taurica recedit.

VII. ASPERUGO.

Pericarpium calycinum compreſſum e laminis plano-parallelis compoſitum demum increſcens. Nuces 4, baſi imperforata liberi, rima hiulca laterali pertuſae eaque columnae centrali affixae. Receptaculum laminellis membranaceis coronatum.

Aſperuginem procumbentem L. primum et quidem optime deſcripſit *Thalius* (*herc.* 19.) Buglоſſae ſylveſtris nomine et fructum dixit munimentum bifoliatum ſcabrum. *Garidelius* (*aix* t. 9.) figuram idoneam dedit.

73. Androsaces elongatae variet. *nana*, ſcapo foliis pedunculisque involucrum ſubaequantibus, — quam clar. *Hornemannus* (*Hort. R. Havn.* I. 184.) et *Roemerus* et *Schult.* (*ſyſt.* IV. 153.) pro diſtincta, *Jacquinus* autem et *Sprengelius* noſter pro mera varietate habent et quae reapſe vix niſi laciniis calycinis ovatis capſulam aequantibus, pedunculis abbreviatis piliſque tri-quadrifurcatis copioſioribus differt, in ſterilibus horti der Weintraube prope Halam minime rara eſt.

74. Primula officinalis L. limbo corollae (citrinae) concavo ore aurantiaco-maculato, dentibus calycinis ovatis a tubo retractis, ſcapo multifloro pubeſcente.

Pr. veris α. officinalis *Linn.* — Pr. veris *L.* *auct.* excl. var. β. et γ.

α. calycibus obovatis subcampanulatis, dentibus ovatis obtusis. *W.*

Pr. odorata foliis rugosis dentatis scapoque tomentosis, calyce inflato, laciniis obtusis *Pers.* in *Uster. N. Annal.* Fasc. V. 11.

P. officinalis, — — dentibus calycinis obtusissimis *DC. synops. fl. gall.* 217.

β. calycibus dentibusque oblongis acuminatis. *W.*

Var. α. vera in collibus rarescit: β. cujuslibet loci est.

Praeter varietates ex foliorum forma, hirsutie, scapi altitudine, florum numero, sive ex tubi corollae, pistilli staminumque longitudine, a *Persoonio* primum observata et a *Candollio* ad species distinguendas minus bene adhibita, duplices distinguere praecipio formas, ex dentium calycinorum ipsiusque calycis figura, supra fusius indicata. Varietas α. admonet ut Pr. inflata *Lehm. prim.* 26. et alia eodem nomine in *Roem. et Schult. syst.* III. 784. descripta, siquidem a nostra differunt, curiosius distinguantur. Quod ad nomen speciei triviale attinet, Linnaeanum verum restitui; P. veris enim apud *Linnaeum* ob varietates adjunctas titulum vagum constituit et vix nisi exclusis varietatibus ita vocari potest.

Pistilli et staminum longitudinem et cum corollae tubo proportionem a *Persoonio* primum (1794.) nec a *Bastardio* observatam et ab illo haud inepte ad varietates dignoscendas adhibitam, in variis speciminibus inque eodem loco admodum variam ac fortuitam esse, ex examine repetito edoctus profiteor. *Persoonius* ejusmodi varietates, pistillo exserto, *prominulas*, pistillo tubo breviore, *latitantes* dixit. Hinc quoque Primula grandiflora et Pr. brevistyla *DC. gall.* V. 383. ob nominis hybridi rationem jam suspecta, in contentionem veniunt.

75. Verbascum caule ſimplici rigido baſi foliisque ſubtus parce pubeſcentibus, radicalibus petiolatis ovatis ſubcordatis irregulariter groſſeque crenatis, caulinis inferioribus oblongis ſeſſilibus minoribus, racemo terminali laxo, pedicellis ſolitariis ſenſim longioribus bracteas lanceolatas breviſſimas multo ſuperantibus.

Verbaſcum phoeniceum *Wallr. ann. bot.* 29. * excl. ſyn. omn.

In colle editiore aprico der *Steinklippe* prope Wendelſtein *haud longe á caſa das Winzerhaeuschen dicta. Jun.*

Radix fuſiformis, perpendicularis, nigricans, digiti minoris mole, perennis. Caulis erectus, ſimplex, teres, laevigatus, inferne pube tenui articulata petiolorum more veſtitus, ſuperne et inter racemum pilis breviſſimis capitato-glanduliferis raris adſperſus, 1 — 2-pedalis. Folia ſubrugoſa, utrinque nervis parce pubeſcentia, Salviae pratenſis fere conſiſtentia et colore: radicalia petiolata, exacte ovata, obtuſa, baſi ſubcordata, reticulato-nervoſa, irregulariter groſſeque crenata, 6 — 7 centimetr. longa, 4 — 5 lata: caulina oblonga multo minora et anguſtiora, minus crenata. Racemus ſimpliciſſimus, terminalis, pedalis reliquam plantae partem ſubaequans. Bracteae ex baſi ovata acuminatae, anguſtae, breviſſimae, pedicellis multo breviores, centimetr. ½ longae. Pedicelli teretes, patentes, alterni, uniflori, parce glanduloſi, colorati, inferiores centimetr. 1½, ſuperiores centim. 2 longi. Calyx ſubcampanulatus, brevis, pedunculorum more glanduloſus: laciniae ovatae, obtuſae, breves. Corolla ſpecioſa, magnitudine V. phlomoidis, cito caduca, atro-violacea: laciniae aequales, obtuſae, lato-obovatae, fundo (ſaltem in exſiccatis) fulvae. Filamenta baſi cum fundo concolora, infra antheras

fubreniformes, nigricantes, villo violaceo, denfe intertexto veftita. Piftillum deflexum, apice incraffatum, ftaminibus longius, purpureum. Capfula ovata, abrupte et breviter mucronata, nitida venofo-reticulata, folida, Pifi minoris mole.

Quod in *Anno botanico* dubium nec cum *Jacquini* icone congruum indicavi et ob corollae colorem atro-fanguineum fub V. phoenicei nomine ancipiti defcripfi, fynonymis collatis et auctorum defcriptionibus lectis ab illo nunc reftringo inque earum fidem, quamvis etiam Linnaeanum non viderim, diverfum declaro. Argumenta, ex quibus differentias auguror, fere fequentia habeo: *Linnaeus* Verbafcum phoeniceum fuum *Blattariae* nimis affine indicat illique Europam orientalem patriam adfcribit. Ex fimili cauffa et ob fummam cum V. Blattaria fimilitudinem *Ruppius* jam (*jen.* 248.) V. ph. pro Blattariae varietate floribus purpureis declarat. *Linnaeus* porro pro fynonymis Blattariam perennem flore violaceo *Morifon. hift.* II. 497.: hic itidem Bl. flore coeruleo *J. Bauh.* et *Chabr. ftirp.* 495. f. 4. adfert, quae praeter figuras datas, ex defcriptione foliis integerrimis, pedunculis longis, floribus purpureis cum ftaminibus aureis differunt. Bl. phoenicea *Tabernaemont. hift.* 959. quam *C. Bauhinus* in fynonymo a *Linnaeo* laudato citat, foliis inferioribus integerrimis, oblongis, caulinis cordatis cauleque ramofo infignis difcrepat. Alia V. phoenicei defcriptio, in *Syft. veg. ed. Murr.* p. 183. exftans et a *Willdenowio*, *Roemero* et *Schultefio* et reliquis omnibus exfcripta, V. ph folia radicalia integerrima, caulina cordata, feffilia, rugofo-venofa, caulem ramofum, corollam faturate-purpuream, et filamenta tria fuperiora alba adjudicat, quae omnia cum veterum defcriptionibus et figuris, minime vero cum plantae noftrae natura congruunt. *Decandollii* Verb. phoeniceum caule fubramofo ejusque pilis

subviscosis, foliis inferioribus ovalibus, caulinis basi subcordatis et pedunculis longis bractea foliacea suffultis a nostro recedit et ad illud a veteribus descriptum accedit. *Willdenowii* definitio in *enum. hort. berol.* contra a nostro plane non aliena esse videtur. Quae quum ita sint, ne synonyma novo augeam, anonymum indicavi, nominaturus ubi sciverim differentias essentiales a V. phoeniceo vero.

76. Hyoscyamus niger *L.* caule ramoso foliisque oleoso-viscido, primordialibus sinuato-pinnatifidis, caulinis superioribus amplexicaulibus, ramulis floriferis congestis, fructiferis in spicas foliosas subsecundas excrescentibus, radice bienni.

In aggeribus, ruderibus, glareosis abundat.

† 77. Hyoscyamus agrestis *Kit.* caule simplicissimo, foliis inferioribus ovatis subintegris in petiolum abrupte decurrentibus, caulinis semidecurrentibus sessilibus sinuato-dentatis glabriusculis, floribus capsulisque sessilibus sparsis, radice annua.

α. sinuatus *W.*, foliis radicalibus angulato-dentatis, caule pedali.

H. agrestis *Kit* in *Roem. et Schult. syst.* IV. 308. *Schult. oestr. fl.* 383.

H. segetalis *Wahlr.* in *lit.*

β. integrifolius *W.*, foliis omnibus integerrimis, radicalibus caulinisque inferioribus obovatis in basin attenuatis, reliquis amplexicaulibus, caule pygmaeo.

H. nigri var. pygmaea *Wallr. ann. bot.* 30. *Roem. et Schult. syst.* IV. 308.

In agris, maxime vero in occatis, in quibus oleraceae e seminibus educantur et hinc transplantantur, solo perpingui et fimo esatiato ad Lodersleben et alibi: β. in agris pinguioribus Wanslebensibus. Aestate.

H. agrestis *Kit.*, quem jam dudum ab *H.* nigro adfini H. segetalis nomine distinxi, exsiccatus quidem differentias minus conspicuas suppeditare videtur; quae in vivo primo intuitu patent. Differt enim: 1) radice annua, quae in illo biennis. 2) foliis radicalibus ovatis angulato-dentatis integerrimisve: quae in illo, *oblonga*, pinnatifido-sinuata esse solent. 3) caule multo minori idque in solo perpingui, ubi reliquae herbae vicinae laetantur et grandescunt: qui in illo, in macro procerus et nonnisi orgyalem afficit altitudinem, qualem ramulis numerosissimis auctum et capsularum multitudine quasi sepultum in riparum glareosis vidi. 4) floribus rarioribus, sparsis, minoribus ac dilutioribus: qui in illo congesti foliisque oppositi in ramulos subsecundos plerumque praelongos excrescunt. 5) capsulis minoribus obsolete - nervosis.

Varietatem alteram in systemate H. pallidus *Willd. enum.* ab H. agresti, solum floribus unicoloribus nec ungue violaceis diversam constituit.

Nostra var. *integrifolia*, quam olim neque specierum novarum faciendarum gnarus neque cupidus pro H. nigri varietate habui, perquam singularis est nec botanicis halensibus ad examen curiosius satis commendari potest. *Planta* 1 — 2-uncialis est, in agris perpinguibus etiam nunquam procerior. Folia omnia integerrima, inferiora ovata, in petiolum attenuata, superiora semiamplexicaulia. Flores in quovis caule 1 — 3, forma *H.* agrestis, at duplo minores. Capsula turbinata, obsolete striata, nervis lateralibus evanescentibus: laciniae brevissimae.

VIII. CAMPANULA

Campanularum germanicarum examen minime absolutum est sed cum die, aliis speciebus novis additis ex specimine nec ex descriptione recognoscendis novas acquirit difficultates, quibus admonitus agro halensi indigenas accuratius describendas sumsi.

78. Campanula patula *L.* foliis crenatis, radicalibus obovatis obtusiusculis, caulinis sessilibus oblongis sensim minoribus, dentibus calycinis linearibus basi denticulatis, corollae limbo pedunculisque patentibus.

α. stricta *W.*, caule basi foliisque utrinque parce pubescentibus, pedunculis patentibus rigidis, calycibus glaberrimis.

C. minor flosculis in summis cauliculis *C. B. pin.* 93. ex synonym. et figura rudi *Tabern. hist.* 794. f. 2. 3.

β. punctata *W.*, foliis inferioribus oblongo-lanceolatis obtusis, calycibus glanduloso-punctatis.

γ. flaccida *W.*, foliis radicalibus exacte ovatis in petiolum abrupte attenuatis, caulinis cauleque flaccidis, ramulis pedunculisque filiformibus diffusis, floribus minoribus.

C. neglecta *Roem. et Schult. syst.* V. 104.
C. nemorosa angustifolia parvo flore *Rupp. jen.* 30.

Var. α. in graminolis vulgaris; β. ibidem pallim; γ. in pratis nemorosis inque quercetis vicinis nemoris Loders. et Ziegelr. rarior.

Var. flaccidam, quam dudum jam et antequam *Schultesii* cl. auctoritatem scirem, iisdem notis distinxi et varietatis constantis loco seposui, habitu flaccido, debiliori, pedunculis patentissimis, longissimis, filiformibus, diffusis et

floribus minoribus differt. Folia deflexa, quibus *Schultesius* hanc a C. patula foliis strictioribus insigni, dignoscere praecipit, ex plantae natura generali flaccida proficiscitur nec speciei valorem defendit.

Var. punctatam dixi ob calyces ex glandulis albis demum more filicularum Iberidis campestris *Wallr.* impresso-punctatis.

79. Campanula Rapunculus *L.* flores paniculato-racemosos nec in paniculam coarctatos, quales omnes auctores laudant, gerit. *Flor. dan.* t. 1326. opt. Variat magnitudine caulis, racemi et florum, foliisque glabris pariter ac hirsutis *Ruppio* jam observante.

80. Campanula Thaliana *Wallr.* caule simplici folioso basi foliisque subtus incano-pubescentibus inaequaliter dentatis, inferioribus ovato-oblongis cordatis longe petiolatis, caulinis confertioribus semiamplexicaulibus, summis sensim minoribus, pedunculis in racemum longissimum digestis, dentibus calycinis linearibus brevibus denticulatis.

C. bononiensis *auct. fl. germ.* nec *Linn.*

C. media foliis inferius candida lanugine vestitis *C. Bauh. pin.* 94. *Rupp. jen.* 29. *Buxb. hal.* 52.

Cervicaria media *Thal. hercyn.* 32.

α. monostachya, racemo simplicissimo.

C. media caule unico sine ramosis adnatis *Thal.* l. l.

β. polystachya, racemo inferne ramulis aliquot aucto.

C. media caule in virgulas brachiatas divisc *Thal.* l. l.

In collibus herbidis ad Lettin, Rolsleben, an dei

Steinklippe, et aliis agri hal., thuring. et hercyn. locis rarius.

Radix subnapiformis, fibris quibusdam aucta, alba, perennis, caulem solitarium sustinens. Caulis teres, lignosa fere duritie, inferne laevis s. obsolete striatus et foliorum paginae inferioris petiolorumque more pube molli canescens, superne inter flores angulato-striatus, media parte maxime foliosus, 2 — 4-pedalis. Folia caulina inferiora aeque ac radicalia ovato-oblonga, remota, longe petiolata (petiolo vario cf. *Ann. bot.*), basi cordata, supra tenuiter subtus dense et molliter incano-pubescentia, inaequaliter dentata; intermedia amplexicaulia, confertim circa caulem disposita; summa ex basi ovata acuminata, sensim minora et ut in nonnullis congeneribus (C. glomerata) subcomplicata et recurvata. Racemus longissimus alteram totius stirpis partem ferme adaequans, 1 — 2-pedalis, strictus, ex floribus numerosissimis undique sparsis compositus, jam simplicissimus jam inferne ramulis lateralibus gracilibus multo brevioribus, aphyllis erecto-patentibus auctus. Pedunculi foliolis parvis illos subaequantibus suffulti, inferiores conferti, longitudinis variae, semper multiflori, erectiusculi demum recurvi: summi alterni, suboppositi, uniflori, racemum acutum conficientes. Calyx obovatus, brevis, pilis brevissimis, raris, adpressis hirsutiusculus, demum glabratus: dentes lineares, patentes demum reflexi, breves, calycem subaequantes, margine ex pilis rigidis quasi serrulatae. Corolla ut in congeneribus, C. patulae magnitudine, saturatius coerulescens: laciniae obtusae, pistillum subaequantes. Capsula obovata, ut in reliquis costato-angulata; (in speciminibus ex apricis) glaberrima, laete virens cum quodam nitore, pisi minoris mole.

En novum stirpis germanicae, ex mea interpretatione veteribus rei herbariae statoribus melius quam recentioribus notae titulum! De synonymis pariter ac de C. bononiensis *Linn.* differentia certus sum. Exactissime enim *Thalius* noster

ſuam a C. rapunculoide, quacum *Hallerus Ruppii* plantam conjungere praecipit et a Trachelio caule ſimpliciſſimo, folioſo, ex media parte jam florifero, foliis minoribus et inferne ex lanugine candida Althaeae foliorum inſtar mollibus, floribus creberrimis, eleganter coeruleis, C. rapunculoidi ſimilibus ſed multo minoribus, pedicellis agminatim denſeque ſibi cohaerentibus ſuffultis longa ſerie in ſcapo diſpoſitis et aliis notis acutiſſime dignoſcere jubet. Hinc potiſſimum ut hujus deſcriptionis aeque ac *Thalii*, auctoris acutiſſimi memoriam rite celebrem, Campanulam noſtram ejus nomine adornavi.

C. ruthenica *M. Bieberſt.* et C. ſimplex *DC.* adfines nec diſſimiles ſunt. C. bononienſis *L.* vera, quo nomine *Thalii* plantam auctores florae germanicae ſalutarunt, generis communione quidem ſimilis, abunde tamen diverſa: foliis caulinis inferioribus ovatis acuminatis baſi fere deltoideis, pube rariore et candidiore hirſutis, ſuperioribus oblongis ſuboppoſitis, floribus calycibusque majoribus, piſtillo exſerto, racemo paniculato et aliis notis. Cum hac ſcilicet *J. Bauhini* deſcriptio et icon quae apud *Chabraeum ſtirp. hiſt.* p. 263. f. 4. a nemine laudata redit et a *Moriſono* (*hiſt.* V. 4. 38.) mutuata et a *Linnaeo* omnibusque auctoribus citata egregie conſpirat.

81. CAMPANULA RAPUNCULOIDES *L.* caule ſimpliciuſculo baſi pilis deflexis hirſuto, foliis ſcabriuſculis, inferioribus cordato-oblongis, caulinis lanceolatis ſparſis ſenſim minoribus, floribus ſecundis ſubremotis nutantibus, laciniis calycinis lanceolato-linearibus reflexis calyce adpreſſo-hirto majoribus.

α RIGIDA *W.*, caule foliisque rigidis ſcabris, pedunculis inferioribus elongatis 2—3-floris, piſtillo exſerto pubeſcente.

β. CILIATA *W.*, caule foliisque ovatis acuminatis scabriusculis, bracteis dentibusque calycinis ciliato-hirsutis.

γ. MEGASTACHYA *W.*, caule procero foliisque cordatis hirsutiusculis, racemo elongato inferne ramulis gracilibus composito.

δ. PAUCIFLORA *W.*, caule gracili unifloro digitali, foliis omnibus ovatis obtusis crenatis.

Var. α. ex aggeribus Loderslebensibus habeo: β. quae proxime ad C. ucranicam *Spr. N. prov. h. ber.* p. 8. *Schult. syst.* V. 121. accedere videtur, in dumetis Rosslebensibus exstat: γ. in sepibus Heringensibus viget: δ. quae C. rhomboideam *L.* ita fere fingit ut sine dentium calycinorum ratione plane non dignosci possit, olim promiscue cum vulgari in pomariis Ziegelrodensibus legi.

Ex varietatibus innumeris, quibus C. rapunculoides *L.*, pube caulis inferioris deflexa, laciniis calycinis lineari-lanceolatis reflexis et floribus secundis sparsis a reliquis, a C. Thaliana autem, caule inferne pilis deflexis, scabro, foliis utrinque hirsutiusculis nec subtus molliter pubescentibus, floribus duplo majoribus et dentibus calycinis duplo longioribus et latioribus praeter habitum generalem, facile recognoscenda variat, formas notabiliores et in variis agri balensis locis fideliter redeuntes distinguere volui.

82. CAMPANULA TRACHELIUM *L.* caule angulato simplici, foliis inferioribus ovatis, acutis subcordatis, superioribus ovato-lanceolatis, pedunculis sparsis inferioribus subtrifidis, calycibus turgidis hispidis, dentibus ovato-oblongis patentibus.

83. CAMPANULA URTICAEFOLIA caule subangulato, racemo paucifloro calycibusque simpli-

cibus, foliis duplicato-serratis, radicalibus caulinisque inferioribus petiolatis exacte cordatis, sinubus rotundatis, supremis ovatis sessilibus.

Ad sepes pomariorum Ziegelrodensium passim.

Qui hanc cum C. latifolia s. C. Trachelio commutat, veram non vidit. Distinctissima enim est, foliis inferioribus subrotundo-cordatis, auriculis protractis rotundatis et sinum similiter excisum recludentibus. Differentiae ex calycibus et pedunculis ambiguae quidem, rarius tamen modo exceptionem admittunt.

84. CAMPANULA GLOMERATA *L.* foliis crenulatis cauleque simplici erecto hirsutiusculis, radicalibus oblongis cordatis petiolatis, caulinis superioribus ovatis amplexicaulibus, calycibus bracteatis conglomeratis axillaribus terminalibusque. — (*Flor. dan.* t. 1328. opt.)

α. AMPLEXICAULIS *W.*, foliis caulinis ovato-oblongis, infimis basi ovata subsessilibus, reliquis amplexicaulibus, capitulis florum axillaribus paucifloris, terminali multifloro.

β. SALVIAEFOLIA *W.*, foliis crenatis crispis subtus incano-tomentosis, caulinis inferioribus petiolatis oblongo-lanceolatis basi hiante cordatis, superioribus in petiolum decurrentibus, summis amplexicaulibus, capitulis axillaribus terminalique maximo multifloris.

γ. ACUTIFOLIA *W.*, foliis crenulatis longe acuminatis utrinque pubescenti-hirsutiusculis, inferioribus cordatis longe petiolatis, intermediis basi ovata sessilibus, capitulis axillaribus terminalibusque.

δ. DELIQUESCENS *W.*, foliis scabriusculis parce crenulatis, caulinis inferioribus oblongis basi

oblique cordata hinc deliquefcentibus petiolo brevioribus, capitulis multifloris fubterminalibus.

η. LONGIFOLIA W., foliis caulinis omnibus lanceolatis utrinque acuminatis in petiolum attenuatis parce crenulatis hirfutiusculis, capitulis multifloris, axillaribus inferioribus pedunculatis, caule fubflexuofo.

Var. α. quae in graminofis plurimis obvia eft, foliis gaudet centimetr. 3 — 4 longis, 1½ latis; β. folia gerit decimetr. 8 longa, 2 f. 2½ lata et in collibus Heringenfibus exftat; γ. in collibus Bottendorfenfibus; δ. folia habet decimetr. 6 — 7 longa, 1½ lata, petiolis decimetr. 9 — 12 fuffulta inque graminofis der Steinklippe occurrit; η. foliis centimetr. 10 cum petiolo 13 longis, 2 latis praecellit et foliorum forma generali a legitima quadantenus aliena ad C. aggregatam W. accedit. Legitur in promontoriis Heringenfibus.

Veteres rei herbariae ftatores et nominatim *C. Bauhinus pin.* 94. duplices enumerant fpecies: alteram floribus in fummo caule confertim in orbem congeftos, alteram fingularibus per caulem fparfis. *Clufii* (*hift.* 171. f. 1.) figura ad var. α. noftram pertinere videtur. Aliam habet *Morifonus hift.* f. V. 4. 43.

85. JASIONE MONTANA *L.* calyce fubdecaphyllo, capfulis e bafi fubrotunda ovatis dentes coloratos pedicellosque fubaequantibus, caulibus ramofiffimis diffufis.

Jafione montana *L. fp. pl.* II. 1327. *Jacq. vind.* 289. et auct.
Rapunculus Scabiofae capitulo coeruleo *C. Bauh. pin.* 92. *Rupp. jen.* 31.
Scabiofa minor *Tabern. hift* 444.
Rapunculus fylveftris coeruleus umbellatus var. minor *Thal. herc.* 94. ex defcript. nec ex icon. a *Camer.* additis.

In arenosis circa Halam abundat, maxime in pineto Nietlebensi.

Radix fusiformis, longa satis, fibrillis capillaribus multis aucta et infra caulem foliorum emortuorum rudimentis coronata, pennae corvinae crassitie, albida, biennis. Caules nunc et quidem frequentius (maxime in pineto Nietl.) a basi inde ramosissimi, et ramulis patentissimis aucti, nunc simpliciores et minus ramosi, jam glabri jam hirsuti, a dodrantali altitudine ad pedalem variantes. Folia radicalia et innovationum in caespitem rosaceum densum dispositorum, linearia, utrinque subaequalia, subcarinata, *undulato-crispa*, laete-viridia, integra s. dentata, glabriuscula, uncialia: caulina breviora multo ac angustiora. Pedunculi aphylli, graciles, alteram plantae partem superantes. Calyx subdecaphyllus, ex foliolis ad seriem duplicem digestis brevibus digestus. Capitulum multiflorum, subrotundum. Flores belle cyanei, rarissime albi. Germen subrotundum, semper glabrum. Capsula e basi rotundata ovata (*Gaertn.* t. 30. f. 5.) pedicelli longitudine. Semina ovata, cum capsulae figura congrua, concolora.

Herbam oves in deliciis habent: hinc Scabiosa ovilla s. ovina veteribus dicta, in pascuis *nostris*, ad quae greges ducuntur, raro integra et ab *illis* intacta reperitur.

Radicem, quae ab omnibus auctoribus annua vocatur, biennem esse, ex *plantis innovantibus*, sero auctumno lectis altero anno *florentibus* et emorientibus auguror.

†80. JASIONE PERENNIS *L.* calyce subicosiphyllo, capsulis e basi ovata oblongis dentibus calycinis rigidis pedicellisque brevioribus, caulibus subsimplicibus e basi adscendente surrectis.

Jasione perennis *Lam. dict.* III. 216. *illustr.* t. 724. f. 2. *DC. gall.* III. 717.

J. montana *Vill. delph.* II. 670. *Schk.* III. t. 266. et al. auct.
J. annua β. perennis *Linn. ſuppl.* 392. *Willd. ſp. pl.* II. 889.
Rapuntium capitulo Scabioſae laete coeruleo folio glabro ſpiſſo *Rupp. jen.* 31.
Scabioſa minor XIV. *Tabern. hiſt.* 444.
Rapunculus ſylveſtris coeruleus umbellatus var. major *Thal. herc.* 94. ex deſcript.

In paſcuis ſylvaticis ad Roſsleben, ni fallor, in ſolo lutoſo.

Radix fuſiformis, laevis, caules plures ſuſtinens, albida, pennam anſerinam craſſa, ? perennis. Caules ſimplices, rariſſime ramulo uno alterove aucto, inferne ad mediam caulis partem folioſi, ſuperne aphylli, glabri, nitidi, baſi adſcendente purpuraſcentes, leviter ſtriati, jam hirſuti jam glabri 1 — 2-pedales. Folia radicalia ſ. innovationum, oblonga, obtuſa, crenata, in baſin amplexicaulem attenuata, jam glaberrima, (*Rupp. Tabern. DC.* J. laevis *Lam.*), jam hirſuta (*Thal. Linn.*) eaque invicem, *Linnaeo* jam obſervante, in caulibus ex eadem radice: caulina oblongo-lanceolata, plana, obtuſa, erecta, margine corpuſculis cartilagineis ſubtiliſſimis quaſi exaſperata, integerrima, pallide viridia. Calyx ſubcoſiphyllus, ex foliolis e baſi ovata acuminatis, obtuſis, foliorum more nunc glabris nunc hirſutis, integerrimis ſ. crenatis acuteque inciſis et plerumque in ſeries triplices digeſtis compoſiti. Capitulum multiflorum, Scab. arvenſis vulgaris magnitudine. Flores dilute coeruleſcentes. Pedicelli teretiuſculi, germen ſubaequantes, capſulis duplo longiores. Germen ovale, glabrum jamque etiam in noſtris potiſſimum hirſutiuſculum. Capſula e baſi ovata oblonga, (*Schk.* t. l.) dentibus calycinis concoloribus rigidis brevior. Semina oblonga, apice utroque fuſcata.

Variat: 1) caulibus simplicissimis; subramosis; glabris et hirsutis. 2) Foliis glabris; hirsutis; integerrimis crenatisve. 3) Calycibus glabris; hirsutis; inter 16 — 20 variis iisque jam integerrimis, jam crenatis jam inciso-serratis.

Novum de Jasione montana *Linn.* ex speciminibus exsiccatis haud sine anxietate profero titulum et plantarum adfinium historiam ab antiquissimis inde temporibus testimonio bilingui dubioque inustam, eo lubentius examini euratiori propono, quo majorem indoles polymorpha suadet attentionem. Stirps, quam cum *Linnaeo*, *Lamarckio* et *Candollio* dignoscere adgredior, nostra memoria modo iterum relucescit et me judice antiquitus jam innotuit. Primam cognitionem *Thalio* debemus, qui Rapunculi sylvestris coerulei umbellati duplices sistens species, *majorem* eamque rariorem, caulibus hispidis sesquipedalibus, foliis plurimis oblongiusculis hispidis insignem a *minore* in locis arenosis frequentiore foliis et caulibus brevioribus umbellaque minore haud inique discernere praecipit. Qui post hunc mentionem fecit *Ruppius* est, nostram flore laete coeruleo folioque glabro spisso, *Hallero* renuente, distinguens simulque admonens, *C. Bauhinum* etiam differentias vidisse nec tamen utramque separasse. Praeter hos aliis etiam innotuisse videtur, *Columnae* v. c., quem *J.* montanae radices perennes adscripturum, *Morisonus* (*Tom.* II. 464.) carpit, ipsique *Tabernaemontano* duplices Scabiosae minoris figuras daturo. Omnes has ex ipsa natura haustas observationes *Linnaei* auctoritas abolevit cum Jasione sua montana; donec ejus filio ex seminibus a *Thouino* missis altera, radice perenni, caulibus florumque capitulis majoribus diversa innotesceret, quam quidem dubie propositam et a *Willdenowio* Jasioni montanae varietatis loco subscriptam, novissimis temporibus *Candollius* *Lamarckio* prae-

eunte, foliis linearibus fublaevibus planis obtufiusculis ab illa foliis lineari-lanceolatis bafi angustioribus undulato-crifpis iterum diftinxit. Equidem autem, foliis in utraque ftirpe dignofcenda fidem plane denegans alias propofui notas, quamvis ulterius comprobandas. Noftram borealem caeterum cum J. perenni auftrali eandem effe, fpecimen ex horto gottingenfi latum, declarat: quaenam autem fuerit J. montana, cui *Smithius* in *brit.* folia radicalia maxima adfcripfit, fcilicet.

Differt prorfus *J. perennis:* 1) *radice ? perenni*, quae in illa annua f. biennis eft. 2) *caulibus erectioribus, robuftioribus, fimplicioribus, raro tantum ramulo uno alterove auctis*, qui in J. montana, ramofiffimi, in ramulos plus minusve patentes dividuntur. 3) pedunculis rigidioribus, in illa multo gracilioribus. 4) calycibus amplioribus ex foliolis numerofioribus a 16 — 20 variis, qui in illa duplo minores funt, ex foliolis 8 — 12 componuntur. 5) capitulo duplo majore, fere Scabiofae arvenfis. 6) floribus dilute-coerulefcentibus, qui in illa belle cyanei. 7) capfulis oblongis bafi ovata longius pedicellatis earumque dentibus longioribus et rigidioribus: quae in illa ovatae, bafi rotundata pedicellis multo brevioribus innituntur et dentibus brevioribus coronantur. 8) feminibus cylindricis: in illa exacte ovatis, duplo minoribus.

87. PHYTEUMA ORBICULARE *L.*

β. CAMERARII *Wallr.*, foliis radicalibus oblongo-lanceolatis acutis in petiolum attenuatis crenatis, caulinis oblongis amplexicaulibus, bracteis ovatis acuminatis capitulo orbiculari brevioribus.

? Phyteuma lanceolata *Vill. delph.* II. 517. t. 12. f. 1.

Ph. orbicularis γ. *Linn. fp. pl.* I. 242. ed. *Willd.* II. 912.

Rapunculus umbellatus anguftifolius *C. Bauh. pin.* 92.

R. ſylveſtris umbellatus coeruleus *Camer.* apud *Thal hercyn.* ex figur. t. 8. f. 1. nec ex deſcript.

In montibus calcareis Bennſtadienſibus inque pratis Loderslebenſibus am Sandbrunnen.

Quamvis omnia Phyteumata, quotquot in noviſſimis pl. ſyſtematibus enumerantur, ambiguitatem quamdam prodant et in ipſis locis natalibus examen curioſius deſiderent ut ſynonyma ob generis communionem naturalem difficilia ſuis locis inſerantur: hanc tamen a *Camerario* jam depictam et ab ipſo *Linnaeo* varietatis loco memoratam, ſatis ſingularem hic exponere et aliorum examini commendare abs re fore non credidi. Ex omnibus enim deſcriptionibus, quas *Cluſius* (*hiſt.* II. 173.), *Moriſonus* (*hiſt.* I. 463.), *Smithius* aliique limatas dederunt et ex definitionibus a *Linnaeo* ad *Roemerum* usque repetitis, Phyteumati orbiculari legitimo folia radicalia baſi cordata propria eſſe, patet et in earum fidem, ſtirpem noſtram a *Linnaeo* ex *Camerarii* figura caute diſtinctam in memoriam revoco et varietatis titulo interim propono, donec Phyt. orbicularis α. *Linn.* compos aut differentias melius exponere aut utramque conjungere valeam. Ad eum finem, ut noſtrum aliis clarius pateat, deſcriptionem addere lubet.

Radix lignoſa, fuſca, perennis. Caulis ſimplex, uniflorus, ſtrictus, glaber, ſubtiliſſime ſtriatus, in collibus ſpithameus, in pratis fertilioribus 1 ſ. 1 et ½-pedalis. Folia utrinque glabra ſ. margine venisque parce pubeſcentia, exſiccata rigidiuscula: radicalia et caulina inferiora oblongo-lanceolata, acuta, in petiolum longum decurrentia, parce remoteque crenata, centimetr. 6 — 7 longa, ¾ lata: caulina ſuperiora baſi latiora ſemiamplexicaulia. Bracteae capitulum orbiculare multiflorum ſuffulcientes illoque breviores e baſi ovata acu-

minatae, margine tenuiter ciliatae, subintegrae, 5 — 6. Corollae coeruleae. Antherae pilosae.

Phyteuma orbiculare *L.*, Ph. Michelii *All.*, Ph. Siberii *Spr.* ad quam *Camer.* fig. 2. a *Moris. hist.* s. V. 1. f. 11. repetita forsan pertinet, Ph. Charmelii *Vill.*, utpote adfinia denuo conferantur. De Ph. lanceolato *Vill.*, quod *Candollius* (*gall.* III. 712.) Phyteumati Michelii, *Willdenowius* autem varietati nostrae subscripsit, dubius haereo: de *reliquis* certus sum ex figura a *Camerario* data: *Thalii* descriptio contra a nostro aliena est eamque Jasioni subscripsimus. *Figura* tertia ej. tab. Ph. hemisphaericum optime reddit.

88. Viola scaturiginosa *Wallr.* acaulis, foliis cordatis glabris pedunculo obsoleto bracteato brevioribus basi vaginis submembranaceis munitis, laciniis calycinis ovato-oblongis obtusiusculis.

Viola uliginosa *Schrad. Roem. et Schult. syst.* V. 357.
V. palustris folio Trachelii glabro *Rupp. jen.* 289.

In pratorum scaturiginosis prope Wiehe et ni fallor etiam ad Benndorf.

Schraderi cl. nomen triviale alio a *Besser* *gall.* I. 169. dato pessumdatur: hinc novum dedi et *Ruppii* synonym. antiquissimum primum attraxi. Intermedia est inter Violam mirabilem et V. hirtam a *Rajo* V. Trachelii folio hirsuto dictam, a qua ut dignosceretur *Ruppius* jam optime nostram V. Trachelii folio glabro dixit. Differentias reticeo easque flor. germ. auctor enarrabit.

89. Viola canina *L.* caulibus demum adſcendentibus protenſis, foliis cordatis parce pilofis ſubtus glaberrimis, ſtipulis lanceolatis acuminatis inciſo-ſerratis, laciniis calycinis acuminatis capſulisque oblongis glaberrimis.

α. umbrosa *W.*, foliis cordatis obtuſiusculis, ſtipulis utrinque inciſo-pinnatifidis.

β. trachelifolia *W.*, foliis exacte cordatis acutis latioribus, ſtipulis linearibus acutis hinc parce dentatis, floribus caulinis abortivis.

γ. collina *W.*, caulibus demum ſurrectis flexuoſis, foliis ovato-oblongis cordatis, ſtipulis linearibus ſubintegris.

Var. α. in paſcuis udis inque nemoribus depreſſis et umbroſis abundat: β. in ſylvis caeduis paſſim, foliis majoribus C. trachelioidis folia aemulis inſignis: γ. in collibus et ericetis editioribus rarius a V. lactea *Sm.* caute dignoſcenda, ſiquidem revera differat. — Folia utrinque, ſaepius tamen ſupra fuſco-punctata plerumque quidem adſunt, nonnunquam tamen deſunt nec quoque ab aliis v. c. a V. ſcaturiginoſa aliena ſunt. — Aliae varietates in ericetis macris occurrunt minoris momenti.

90. Viola arenaria *DC.* tenuiter pubeſcens, caulibus ſubcaeſpitoſis, foliis ſubrotundis cordatis crenulatis, ſtipulis ovato-lanceolatis obtuſis dentatis, laciniis calycinis linearibus acuminatis, capſulis ovatis.

V. arenaria *DC. gall.* IV. 806. V. 617.
V. Allionii *Pio diſſ.* p. 20. t. 1. f. 2. *Roem. et Sch. ſyſt.* V. 367.

In ericetis arenoſis et rupeſtribus circa Halam et Lauchſtaedt: in collibus ſaxoſis calcareis ad Koel-

me, Nietleben, Bennstaedt inque similibus locis ad Auleben Thuring.

Radix lignosa, fusiformis, nodosa, superne foliorum rudimentis onusta, pro planta in collibus mactis valde imminutae satis valida. Folia pallide-virescentia, omnia subrotundata, obtusa, basi cordata, utrinque ut tota planta, pilis brevissimis numerosis rigidulis pubescentia: radicalia subcaespitosa: superiora in planta caulescente e figura rotunda paullisper oblongata. Stipulae ovato-oblongae, parce serratae. Pedunculi axillares, folia excedentes, in speciminibus nanis brevissimi, caulis more pubescentes, bracteis setaceis oppositis paullum infra flores muniti. Corolla V. caninae. Laciniae calycinae lineares, acutae, jam nudiusculae jam parce pubescentes et nonnisi leviter coloratae. Capsula subrotunda, reliquarum partium more pubescentes. Semina ovata, demum e fusco livescentia, nitida, hilo diaphano.

Differt a V. canina adfini et simillima: 1) radice sublignosa; 2) foliis exacte rotundatis, subcaespitosis; 3) corollis earumque calcaribus minoribus; 4) stipulis ovato-oblongis, duplo latioribus, brevioribus et obtusioribus, modo dentatis; 5) capsulis ovato-subrotundis et pube omnium partium nunquam variabili.

91. Viola lancifolia *Thor.* caulibus angulatis demum surrectis flexuosis subramosis, foliis e basi ovata oblongis remote crenato-dentatis crassiusculis glabris, stipulis lineari-lanceolatis dentatis, pedunculis folia subaequantibus, laciniis calycinis linearibus acutis, capsulis oblongis.

Viola lancifolia *Thor. land.* 355. *DC. gall.* IV. 807.

V. lactea *Smith. brit.* I. 247. *R. et Schult. syst.* V. 369. excl. syn. plur.
V. montana *Linn.* ex synon. Camer.
V. arborescens *Camer. epit.* 911. opt.

.d vias arenosas der Steinklippe prope Wenelstein.

Caules angulati, demum aetate provectiore erecti, ramosi, subflexuosi, ut reliquae partes, glaberrimi. Folia glaberrima, crassiuscula, glauco-viridia, radicalia exacte cordata, reliqua omnia ovato-oblonga, acuta, e basi ovata in petiolum leviter dilatatum abrupte declivia., centimetr. 3 longa, 1¾ lata. Stipulae lineares, denticulo uno alterove incisae. Pedunculi axillares, folia subaequantes. Corollam non vidi. Laciniae calycinae lineares capsula oblonga duplo breviores.

Habitu externo V. caninae var. γ. collinam fere refert, ad quam forsan V. lactea *Sm.* accedit, quae illo narrante, culta folia cordata induere dicitur, a quibus nostra omnino aliena est. Differt vero: foliis ovato-oblongis e basi ovata abrupte in petiolum attractis nec cordatis eorumque consistentia duriuscula et virore glaucescente.

V. lacteae nomen denique ex duplici propemodum caussa retinere nolui: primum enim de planta ipsa ex culta foliorum basi cordata variante, quaedam dubia supersunt nec sola corollam propriam habet: dein autem V. lactea ex Systematicorum recentium studio titulus vagus factus est, fere ut V. montana *auct.* nec *Linn. Camerarii* figuram a variis auctoribus varie laudatam ad hanc revera pertinere, habitus suadet.

92. Viola persicifolia *Roth.* caule erecto subsimplici scabriusculo, foliis lanceolatis basi ovata attractis serratis stipulas lanceolatas foliaceas hinc incisas sursum majores subaequanti-

bus, pedunculis elongatis folia duplo ſuperantibus, laciniis calycinis lanceolatis, cornu abbreviato obtuſo.

α. ROTHIANA *W.*, foliis lanceolatis caulibusque elongatis.

V. montana β. perſicifolia *Roth. germ.* II. 271. *Schk.* t. 269. *Willd. ſp. pl.* II. 1165. *Spreng. hal.* 80.
V. lactea γ. *Roem. et Sch.* l. l.
V. flore coeruleo longifolia *Rivin. tetr.* 119.
V. martia arboreſcens purpurea *Buxb. hal.* 338. *Moriſ. hiſt.* II. 475. ſ. V. 7. 7. mediocr.
V. ſylveſtris longifolia *Tabern. hiſt.* 682. f. 3.
V. martia ſylveſtris, foliis mucronatis oblongis ſtrictioribus *Thal. herc.* 130.

β. RUPPIANA *W.*, foliis lineari-lanceolatis caulibusque minoribus.

V. paluſtris anguſtis Perſicae foliis mucronatis et ſerratis *Rupp. jen.* 289.

In dumetis humidiusculis der Peisnitz; β. in uliginoſis ad Benndorf.

Stirps diſtinctiſſima, quae cum V. lancifolia noſtra commutari nequit; differt enim: 1) caulibus procerioribus, erectioribus et ſimplicioribus, pilis reflexis adpreſſis ſcabriusculis; 2) foliis utrinque et margine hirſutis, membranaceis, triplo longioribus; 3) ſtipulis foliaceis ſuperioribus folia ſubaequantibus; 4) pedunculis longiſſimis; 5) corollis ſpecioſioribus, duplo majoribus et capſulis.

V. montana *Linn. ſp. pl.* II. 1325. excl. ſynon. quibusdam ex alpibus lapponicis *Wahlenbergio* (*lapp.* 214.) teſte, V. caninae et mirabili proxima, a noſtris: pedunculis brevioribus, foliis longioribus, ſtipulis majoribus et tantum grandius dentatis diverſiſſima. Ad hanc icon *fl. dan.* t. 1329. pertinere dicitur.

93. Thesium Linophyllum *L.* bracteis ternis inaequalibus calycem corollinum ovatum sub aequantibus, foliis lineari-lanceolatis cauleque erectiusculo rigidis.

α. pratense *W.*, foliis linearibus crassiusculis uninerviis, caule erecto spithameo.

Thesium pratense *Ehrh. herb.* no. 12. *Schrad. spic.* 26

Th. Linophyllum? *Linn. Willd. Spr. hal.* excl. fig. *fl. dan.*

Anonyma linifolia longe minor *Clus. hist.* 324.

β. intermedium *W.*, foliis lineari-lanceolatis subtrinerviis, nervis lateralibus infra apicem evanescentibus, caule pedali. *Schk.* t.*51.

Th. intermedium *Schrad. spic.* 27. *R. et Sch. syst.* V. 579.

Th. Linophyllum *Schk. Handb.* t. 51. *Scop. carn.* I. n. 171.

Th. Linophyllum β. *Willd. sp. pl.* I. 1211.

Linosyris *Rupp. jen.* 2. *Buxb. hal.* 195.

Linaria adulterina *Tabern. hist.* 1209. f. 2, bona.

Anonymos Linifolia *Clus. hist.* I. 324. opt.

Linaria montana s. sylvatica *Thal. herc.* 72.

γ. montanum *W.*, foliis acuminatis trinerviis, nervis pellucidis excurrentibus, inferioribus lanceolatis, superioribus ovato-lanceolatis, caule bipedali rigido superne pedunculisque foliolo saepe aucto ramosis.

a. caule rigido.

b. caule flaccido. — Th. montanum *Ehrh. Schrad.* l. l. *R. et Sch. syst.* V. 579.

Var. α. in collibus apricis editioribus ad Kroellwitz, Rossleben etc.: β. im Mittelholze: γ. ad Biebram, extra fines in agro thuring. ad Auleben, Beichlingen, Sondershausen, Straussberg, Steigerthal, im alten Stolberg, ex quo *Ehrh.* suum tulit.

Radix lignosa, horizontalis, caules plurimos sustinens, ex ramulorum emortuorum rudimentis quasi nodosa, in variis formis ad magnitudinis rationem plus minusve robusta, flavescens. Caules inferne adscendentes, sublignosi, angulati, foliosi, rigidi, secundum loci indolem variam et stirpis ubertatem plus minusve flavo-virescentes, in var. α. simplices, digitales, dodrantales, plerumque flavo-virentes, in β. spithamei, pedales, γ. pennae corvinae crassitie, 1 — 2-pedales, jam rigidi jam flaccidi. Folia sparsa, margine cartilagineo scabriuscula, colore varia; in var. α. exacte linearia, utrinque aequalia, crassiuscula, 1 — 2 centimetr. longa, uninervia, nervis lateralibus haud longe ab exortu evanescentibus, in β. linearia, magis tamen ad formam lanceolatam vergentia, subtrinervia, nervis supra mediam partem evanescentibus, centimetr. 3 longa, in γ. inaequalia, trinervia, nervis pellucidis omnibus excurrentibus, acuminata, erecta, centimetr. 5 longa; inferiora lineari-lanceolata, caulina superiora s. ramulorum floriferorum mediotenus dilatata, patentia, centimetr. 1 longa, unum lata. Inflorescentia in var. α. spicata; spica simplex, 1 — 2-uncialis, pedunculis simplicibus, patentibus, in β spicato-ramosa, spica 1 digitalis, pedunculis inferioribus subramosis, in γ. elongato-racemosa, racemus pedalis saepe, ex ramulis inferioribus, patentibus subpyramidalis, pedunculis inferioribus divaricato-ramosis, foliolo saepe auctis. Pedicelli in var. α. subuniflori, centimetr. unum longi, in β. duplo longiores, apice simpliciter trifidi, in γ. subbi-trifidi, inferiores centimetr. 5—6 longi. Bracteae triphyllae calycem suffulcientes illumque subaequantes: foliola inaequalia, bina exteriora lineari, exterius duplo brevius. Calyx obconicus, brevis, secundum stirpis magnitudinem et ubertatem varians: laciniae calycis corollini basin versus denticulatae, in var. α. ovatae, brevissimae, obtusae, in γ. oblongae, profundius incisae. Stamina

et *stigmata* in omnibus conformia. **Nux** in quam calyx invertitur, monosperma, ovata, pedicellata, apice calyce corollino residuo et inflexo coronata, in var. α. et β. obsolete 5-nervia, in γ. duplo major et 5-costata, costis in pedicellum brevem, flavescentem indeque 5-angularem decurrentibus, in a. laete virens, in b. magis flavescens.

Stirps per Thuringiam vulgatissima et a florae thuringiacae parente nec a *Clusio*, ut ipse gloriatur, primum descripta, tantis ingemiscit dubiis, ut invitus quasi at necessitate accitus ejus historiam exponere adgrediar. Satis varie enim ab auctoribus interpretatur et vix de ullo alio genere tam multi supersunt nodi solvendi ac de Thesiis europaeis. Primum dubium de ipso Th. Linophyllo exstat idque partim ex synonymis et figuris, partim ex auctorum nuperrimorum testimoniis confirmatur nec *Smithii* descriptione partes singulas nimis obiter designante componi potest. *Morisoni* figura (s. XV. 1. 3.) et a nostra et a *Clusii* planta discrepat et *Retzius* de Th. Linophylli *Linn.* veritate dubitans probe exaudiendus est eaque dubia icone *fl. dan.* 1205., ab omnibus auctoribus ad Th. Linophyllum citata, ulterius augentur. Alia dubia eaque graviora redeunt in formis Thesii nostri variis in eodem loco fideliter redeuntibus dijudicandis, quas *Willdenowius*, *Candollius*, *Sprengelius* aliique pro varietatibus levibus ex solo natali, *Schraderus* autem, *Ehrhartus* aliique pro speciebus distinctis quidem declararunt nec tamen differentias stabiles dederunt. Specimina in variis locis fideliter redeuntia et attentius adspecta, foliorum figura, nervorum cursu, inflorescentia, dentium calycinorum forma totiusque plantae habitu, consistentia, magnitudine et colore ita inter se distant, ut is, qui tam dissimiles conjungeret formas, primo intuitu insanire videatur. Aliud autem curiosius examen speciminum multorum ex variis locis allatorum suadet aliarumque plantarum vicissitudines inex-

plicandae. In omnibus scilicet formis habitu externo inter se alienis, partes essentiales, quas in calyce, nucis forma et bracteis statuo, consentiunt et in earum fidem specierum ab *Ehrharto* et *Schradero* distinctarum trigam, melius in unam conjungi, persuasum habeo. Quod ad foliorum figuram et nervorum cursum attinet, illum aeque ac habitum cum caulis proceritate mire mutari, ex alibi dictis (cf. Plantago major, Mespilus Oxyacantha, Rubus et Rosa) patet: dentes calycinos autem in specimiuibus Thesii majoribus et surrectis simul produci, probabile esse videtur. Folia linearia, quibus var. α. gaudet, ob angustiam crassiora evadunt nec ut nervi laterales infra mediam partem jam evanescentes semet explicent permittunt, qui in var. β. infra apicem evanescunt, in var. γ. autem foliis latioribus insigni, pellucidi et rite explicati excurrunt et melius in conspectum veniunt. Similem lusum quoad foliorum figuram et caulis altitudinem, Chrysocoma Linosyris etiam, quae a veteribus pro adfini declaratur, offert. Similiter etiam de totius plantae colore et consistentia, quamvis ex illis *Schraderus* differentias derivare studeat, judico. Vidi enim Thesii var. α. et γ. et pallide et saturatius virescentes et in collibus sylvaticis des Alten-Stolbergs, ex quibus *Ehrhartus* Th. montanum suum tulit, in humo pinguiore inque umbrosis, idem caule flaccido perpallescente, in aliis vero vicinis apricis, caule rigido et laete virescente. Nullae prorsus sunt, quas auctores urgent, ex stirpis colore et consistentia differentiae: nullae ex habitu et plantae magnitudine, ad species stabiliendas indignae et vix nisi ad varietates a florae scriptoribus caute distinguendas idoneae.

IX. RIBES.

Ribes generis historia ex difficillimis est, auctorum interpretatione varia et quadantenus specierum mutabilitate implicita. Miras profecto species indigenae subierunt vicissitudines, cultu continuato ad usum domesticum ita multiplicatae, ut hortorum anglicorum catalogi tricentas fere enumerent Grossulariarum hortensium varietates. Arduum proinde opus, specierum essentiam explorare, partium mutabilitatem fere abstrusam et specierum definitiones, antea neglectas et nulla propemodum excepta, ambigue professas statuere sive redintegrare easque omnibus, quibus ludunt formis accommodare.

94. Ribes rubrum *L.* floribus hypocrateriformibus in racemum subsecundum propexum laxe dispositis, pedicellis bracteas solitarias ochreiformes obtusas multoties superantibus, foliis trilobis quinqueloba mentientibus utrinque concoloribus subtus, petiolis pedunculisque parce pubescentibus.

A. sylvestre *W.*, pedunculis petiolisque hirsutiusculis, foliis baccisque minoribus.

R. rubrum α. sylvestre *DC. gall.* IV. 406.
Grossularia sylvestris rubra *C. Bauh. pin.* 455.
R. rubrum, fructu parvo *Merr. pin.* 104. *Dill* in *Raj. syn.* 458.
R. sylvestris *Matth. Kreutrb.*

B. domesticum *W.*, pedunculis petiolisque glabriusculis, foliis amplioribus.

α. baccis rubris.

Grossularia multiplici acino s. non spinosa hortensis rubra s. Ribes officinarum *C. Bauh. pin.* 455. *Rupp. jen.* 53.

β. baccis carneis.

Gr. hortensis, fructu carneo *Rupp. jen.* 53.
Ribes major, fructu carneo *Mill. dict.* 201.

γ. baccis variegatis.

Gr. hortensis, fructu majore variegato *Rupp. jen.* l. l.

δ. baccis aquoso-flavicantibus I. margaritaceis.

R. rubrum γ fr. flavescente *DC. gall.* l. l.
Gr. hortensis, fr. margaritis similis *C. Bauh. pin.* l. l.
R. vulgaris, fr. albo *Clus. hist.* 2. 120. *Buxb. hal.* 284.
Gr. hortensis majore fr. albo *hort. reg. par. Rupp. jen.* l. l.
R. vulgaris acidum, baccas albas ferens *J. B. hist. Mill. dict.* 201.

ε. baccis majoribus.

R. hortense majore fructu *C. B.* l. l. *Rupp.* l. l.
R. hort. flore et fructu majoribus *Clus. hist.* l. l. *Camer. hort. med.* 141.

ζ. baccis maximis.

R. hortensis, arbusculoidea, acinis avellana majoribus *Gesn. lib. de hort. C. B. pin.* l. l.

Alias varietates, v. c., foliis variegatis *Millerus dict.* l. l. enumerat. — Stirps borealis agro nostro indigena facta.

95. Ribes nigrum *L.* floribus campanulatis in racemum laxum patulum dispersis, pedicellis bracteas acutas obsoletas adpressas multoties superantibus pedunculisque tomentosis, infimo intragemmaceo distincto, foliis trilobis utrinque germinibusque punctato-glandulosis odoratis,

Linnaeus et reliqui auctores, racemos pilosos et flores oblongos laudant, a stirpe nostra saltem, ex boreali tractu forsan ad nos delato alienos.

96. Ribes alpinum *L.*, floribus polygamis in racemos erectos confertiusculos dispersis, bracteis lineari-lanceolatis pedicellos parce glandulosos subaequantibus, foliis obtuse-trilobis supra pilosis saturate-virentibus subtus lucidis.

α. sterile *W.*, floribus planis germine destitutis fugacibus in racemos confertos digestis, bracteis pedicellos aequantibus persistentibus.

Ribes alpinum α. mas *Leers herb.* 66.
R. floribus dioicis *Grimm. isenac.*
R. alpinum *fl. dan.* t. 968. ad sinistr. opt.
R. sylvestre sterile *Camer. hort. med.* 141.

β. bacciferum *W*, floribus hypocrateriformibus in racemum erectum pauciflorum congestis germini superimpositis aciniferis, bracteis pedicellos superantibus.

R. alpinum *Linn. sp. pl.* I. 291. — foemina *Leers* l. l.
R. alpinus dulcis *J. Bauh. hist.* II. 93. *Buxb. hal.* 284.
Gr. vulgaris, fr. dulci *C. B. pin.* 455. *Clus. hist.* I. 120. c. fig. *Rupp. jen.* 54.
R. sylvestris, fructu viscoso *Thal. herc.* 96.

Stirpis fertilitatem veteres ex loco natali derivant hincque in apricis et in hortis plerumque sterilescere, *Camerarius* l. l. adseverat. Apud nos semper dioica est. Stirps mascula s. sterilis gaudet: racemis multifloris, densis, brevibus; bracteis pedicellos aequantibus et diutius persistentibus; floribus planis, flavescentibus, germinis cum calyce patente concreti styli stigmatumque emarcidorum rudimentis et antheris perfectis s. polliniferis auctis: foeminea s. baccifera vero excellit: racemis pau-

cifloris, laxis; bracteis pedicellos fuperantibus; laciniis calycinis reflexis, petalis dilute rubentibus; antheris imperfectis f. polline deftitutis; germinibus majoribus, ftylo femibifido, ftaminibus longiore et aliis notis. Racemi masculi et foeminei rariffime in eodem frutice obfervantur.

97. Ribes Grossularia L. *emend.* aculeis ramulorum tricipitibus rectis ramulos floriferos fuffulcientibus, *piftillo ftaminibusque corollae limbo brevioribus, pedunculis deflexis fubunifloris medio ex geniculis bracteatis, foliis obtufe-trilobis* quinqueloba mentientibus utrinque *parce pubefcentibus,* baccis utrinque triplicato-venofis.

A. hirsutum *W.,* germinibus, pedunculis foliisque utrinque pubefcentibus, ramulis arcuato-deflexis vimineis, baccis fubglobofis hirfutis.

α. munitum, bracteae fubtriphyllae foliolis inaequalibus, altero maximo ovato emarginato baccam bafi abrupte rotundatam obvallante, pedicellis 1 — 4-floris.

†) sylvestre, baccis minoribus, duriufculis, acidulis.

R. Uva crifpa *Poll. pal.* I. 235. excl. fyn. *Leyfs. hal.* 57. *Leers herb.* 66. *Spreng. hal.* 82. *Willd. fp. pl.* I. 1158.
Groffularia fimplici acino fpinofa fylveftris *C. B. pin.* 455. *Rupp. jen.* 53. *Buxb. hal.* 149.
Uva crifpa f. Groffularia *J. Bauh. hift.* I. 47. *Tabernaem. hift.* 1491.
Uva fpina *Matthiol. Kreutrb.* 48. a. (opt.). *Camer. epit.* 87.
Groffularia *Thal. herc.* 54. ex l. nat.

††) domesticum, baccis majoribus.

β. LIBERUM, bracteis diphyllis, foliolis inaequalibus dimidiatis obtusis a bacca basi subattenuata retractis, pedicellis subunifloris.

†) SYLVESTRE, baccis minoribus.

a. viridibus demum margaritaceis, glanduloso-hispidis.

R. Grossularia *Linn. sp. pl.* I. 291. *Spr. hal.* 82. *Smith. brit.* I. 266. et *auct.*

b. rubentibus, aculeis gracilioribus.

R. Grossularia *Leers herb.* 66.

? R. reclinatum *Linn. sp. pl.* I. 291. excl. syn.

Grossularia spinosa II. *Rupp. jen.* 53. excl. syn. *Bauh.*

Gr. spinosa, fr. obscure purpurasc. *J. B. hist.* I. 48.

††) DOMESTICUM, baccis majoribus.

a. viridibus demum margaritaceis, glandulosis.

Grossularia *Blackw. herb.* t. 277. f. III.

Gr. fr. maximo, hispido, margaritarum fere colore *Raj. Buxb. hal.* 150.

b. rubentibus.

Grossularia rubra *Blackw. herb.* t. 277. f. I.

B. *GLABRUM, germinibus foliisque utrinque glabris, baccis ovato-oblongis infra basin attenuatam bracteis diphyllis pedicellum mediotenus geniculo interceptum munientibus.

α. SYLVESTRE, baccis foliisque minoribus.

R. Uva-crispa *auctor. quorumd. an quoque Linn.?* —

β. DOMESTICUM, baccis foliisque majoribus.

R. Grossularia *hort.* et *auct. plur.*

R. Uvae crispae var. culta, fol. latioribus subglabris nitidulis, baccis nudis majoribus *Lam.*

Varietates singulae in sepibus nostris, arcium ruderibus dumetisque penitus omnibus obviae, ex

bractearum figura et dispositione disjunctae, in extremo positae, valde quidem inter se recedunt, aliis autem formis intermediis amice connectuntur, nec vix nisi ambiguas fingunt differentias. Similiter baccarum color, hirsuties, nonnisi glandulis stipitatis validis iisque copiosis immixta et figura ludunt.

X. ERYTHRAEA.

Cal. 5-fidus. Corolla infundibuliformis. Antherae demum spirales. *Stylus erectus.* Capsula supera cylindrica, *1-locularis, bivalvis*, tubo corollae emarcido *inclusa*: valvae margine inflexo seminiferae.

98. Erythraeae ramosissimae varietates habeo:

α. obtusifloram, foliis inferioribus ovatis confertis internodia approximata subaequantibus, caule ramosissimo dichotomo arbusculoideo, limbo ovato obtuso. — *Vaill.* t. 5. f. 1. — Er. pulchella *Hornem. fl. dan.* t. 1637.

β. acutifloram, foliis inferioribus ovato-oblongis internodio brevioribus, caule patulo divaricato, floribus pedicellatis axillaribus terminalibusque, limbo lineari acuminato gracili. — Centaurium minus Valerianae facie *Rupp. jen.* 22.

Var. α. in nonnullis pratis abundat, v. c. ad Rossleben: β. ad lacum Koelmensem et ex illo in montes vicinos transmigrat.

Aliam ex eodem loco, *angustifoliam* retuli, foliis inferioribus lineari-lanceolatis obtusis margine scabris, pedunculis simplicibus erectis insignem, inter hanc et Er. Centaurium *R.* quasi intermediam, denuo observandam. Erythraea inaperta s. Cent. palustre minimum, flore inaperto *Vaill.*

par. t. 5. f. 2. omnino diſtincta eſt. Ad Erythraeam Centaurii var. floribus albis, quae paſſim occurrit, Centaureum flore albo *Rupp. jen.* 22. pertinet.

XI. CHENOPODIUM.

Flores hermaphroditi. Perigonium 5-partitum, connivens, immutatum, perſiſtens. Stamina 5. Stylus bifidus. Semen lenticulare horizontale cruſtaceum extus pellicula hyalina friabili obductum, Embryo internus.

†99. CHENOPODIUM MICROSPERMUM *Wallr.* foliis triangularibus in baſin ſubrhomboideam attractis parce dentatis, racemis ramoſis erectis ſubaphyllis folio brevioribus axillaribus terminalibusque, ſeminibus minutiſſimis fuſcis.

Ch. Atriplicis ſativae folio et facie, ſpicis multis ſurrectis veluti racemoſis in foliorum alis *Rupp. jen.* 338.

In aggeribus campisque ſalſis circa Halam; ad Seeburg; extra fines ad Artern, auctumno.

Deſcriptionem in thuringiaca dabo. Plantam pro ſalina habeo. Semina et calyces Ch. rubri.

† 100. CHENOPODIUM MELANOSPERMUM. *Wallr.* foliis triangularibus in baſin ſubrhomboideam attractis parce dentatis, racemis ramoſis erectiusculis ſubaphyllis folio brevioribus, ſeminibus aterrimis exaſperatis.

Ch. latifolium minus ramoſum, florum petiolis longiſſimis ex foliorum alis confertim enaſcentibus *Buxb. hal.* 70. cum fig. idonea.

In aggeribus et ruderibus circa Halam et alibi paſſim.

Habitu et foliorum forma praecedens mentitur, quod calycibus et seminibus aterrimis, exasperatis, duplo majoribus diuque in calycibus persistentibus distinctissimum est, eaque indole et seminum mole ad Ch. murale f. Ch. polyspermum accedit. *Ruppii* et *Buxbaumii* synonyma ad utramque spectant speciem. Ch. urbicum foliis triangularibus subdentatis, racemis confertis strictissimis cauli approximatis longissimis *Linn. fl. suec.* 209. *sp. pl.* I. 318, ad quod *Buxbaumii* synonymon, a *Willdenowio* omissum vulgo et ab ipso *Linnaeo* laudatur, ad quod *flor. dan.* t. 1148. icon spectare videtur, *boreale est* et a nostro videlicet *distinguendum. Quatenus autem differat, doceant patrui. Seminibus Brassicae Napi magnitudine excellere, Curtisius* apud *Smithium* perhibet. Synonyma Ch. urbici *fl. germ. auct.* inter hoc et praecedens ambigunt.

101. Chenopodium rubrum *L.* foliis rhombeis triplinerviis in basin decurrentibus sinuato-dentatis, dentibus intermediis majoribus, racemis compositis erectis foliolosis, seminibus fuscescentibus minutissimis. — *Flor. dan.* t. 1549. opt.

In ruderibus et cultis. — *Linnaeus* folia cordato-triangularia habet. *Smithius* nostrum optime descripsit.

102. Chenopodium hybridum *L.* foliis ovatis acuminatis basi subcordatis angulato-dentatis, racemis paniculatis nudis divaricatis terminalibus axillaribusve, seminibus lenticularibus. — *Vaill. par.* t. 7. f. 2. opt.

Variat colore, foliorum et racemi forma. In cultis laete viret, gracilescit magis, et racemos subcymosos effusos acquirit, quale *Smithius* describit

et *Chabr. ſtirp.* 306. f. 6. *Tabern. hiſt.* 812. f. 3. reddiderunt: in paſcuis et aggeribus graminoſis racemos magis congeſtos, divaricatos caulesque rubentes gerit, quale *Vaillantii* icon exprimit.

103. CHENOPODIUM MURALE *L.* foliis ovatis ſubrhombeis nitidis utrinque productis undique inaequaliter dentatis, racemis patulis cymoſis ſubaphyllis cauleque ramoſiſſimis. — *Chabr.* l. l. f. 5. *Tabern.* l. l. f. 1. opt.

104. CHENOPODIUM POLYSPERMUM *L.* foliorum et racemi forma valde ludit jamque foliis ovatis obtuſis emarginatis, rubro-marginatis, acutis, cymis aphyllis et folioſis expanſis occurrit, quae varietas in hortis Ch. acutifolii *Kit.* nomine colitur.

XII. ATRIPLEX.

Flores polygami. Perigonium. masc. 5-partitum. Stamina 5. Stylus bifidus: foemin. diphyllum demum effiguratum ſemen occultans. Semen erectum compreſſum ſubcruſtaceum extus tunica hyalina reſidua obductum. Embryo externus. *Wallr.*

105. ATRIPLEX NITENS *Schk.* caule herbaceo erecto ramoſiſſimo, foliis ſubtriangularibus punctatis, nitidis infra leproſo - cineraſcentibus diſcoloribus baſi margineque ſinuato - dentatis, valvulis ovatis reticulato-nervoſis, ſeminibus planis pellicula obductis (fuſceſcentibus). — Atr. nitens *Schk. Handb.* III. 541. t. 348. mediocr.

In hortorum rejectamentis inque aggeribus circa Halam, Artern, Sangerhauſen frequens, aliis vero locis aut rareſcit aut omnino deficit.

Willdenowius valvas triangulari-ovatas: *Sprengelius* triquetras urget, equidem autem ovatas observo, Atr. hortensi tam similes ut vix nisi seminibus dignosci possit. Differt autem praeter alias differentias ex foliorum colore et forma, seminibus pellicula residua involutis, per omnem aetatem fuscescentibus, quae in illa cum nitore nigrescunt, et foliis, punctis oleosis inscriptis, infra leproso-cinerascentibus. Pellicula, qua involvuntur, in seminibus immaturis, marginem membranaceum, quem *Hoffmannus* et *Schkuhrius* laudant, mentitur tantum; isque in maturis deest et semen undique circumcludit.

106. Atriplex patula *L.* foliis radicalibus caulinisque inferioribus ovatis deltoideo-hastatis dentatis, summis lanceolatis integerrimis sensim angustioribus, valvis rhombeo-deltoideis basi parce dentatis nervosis dorso submuricatis semina longe superantibus, in spicas interrupto-conglomeratas aphyllas digestis. — A. hastata et laciniata *Schk.* t. 348. 349. *Flor. dan.* t. 1285. Atr. folio deltoide triangulo *Moris. hist.* s. V. 32, 14.

Variat quidem foliorum forma, dentibus et colore, inflorescentia spicata tamen ex glomerulis remotiusculis interrupta valvarumque figura; quae jam magis minusve rhombeo-deltoidea est, facile recognoscitur. Varietatem habeo singularem, valvis maximis, centimetrum integrum longis in caule spithameo.

107. Atriplex ruderalis *Wallr.* foliis hastato-deltoideis, dentatis oppositis omnibus subconformibus, summis sensim minoribus, val-

vulis ovatis integerrimis semen aequantibus in paniculam subramosam congestis.

In ruderibus prope Lodersleben. — Extra fines ad fossas circa Goersbach.

Differt ab indigenis et maxime ab Atr. patula, cui adfinis est: 1) foliis minoribus, conformibus, oppositis. 2) inflorescentia paniculata fere Chenopodii Vulvariae: quae in illa ex glomerulis interruptis spicata est. 3) valvulis ovatis, integerrimis, acutiusculis, multo minoribus, semen exacte aequantibus: quae in illa submembranaceae, nervosae, supra angulos dentatae, semper plus minusve deltoideae, semina multum superant et potius latescunt et elongantur quam abbreviantur.

108. Atriplex angustifolia *L.* foliis inferioribus subhastatis, reliquis lanceolatis in basin attractis subintegerrimis, summis linearibus, valvulis rhombeo-quadrangulis integerrimis apice acuto producto semen excedentibus. — Atr. patula *Schk.* t. 347. Atr. angusto oblongo folio *Moris.* V. 32. 15.

B. angustissima *W.*, foliis omnibus lineari-lanceolatis, caule divaricato-ramoso dodrantali, ramulis inferioribus horizontalibus.

Rami divaricati Atriplicibus modo descriptis et aliis communes, ambiguam largiuntur differentiam: melior exstat in habitu generali, valvularum forma earumque cum seminibus relatione. In integritate valvularum et muricibus, quibus valvulae disco nonnisi insperguntur, essentialis nihil inest. — Atr. hastata *Linn.* valvulis majoribus nervoso-reticulatis, margine sinuato-dentatis, dentibus elongatis setaceis differt.

XIII. HALIMUS *Wallr.*

Flores polygami. Perigonium masc. 5-partitum. Stamina 5. Stylus bifidus: foemin. integrum demum in capsulam undique clausam effiguratum. Semen erectum complanatum nudum membranaceum. Embryo periphericus cylindricus rostellatus (viridis). Albumen centrale tenerrimum (fuscum). Radicula libera descendens.

109. HALIMUS PEDUNCULATUS *Wallr.* leproso-cinerascens, caule herbaceo ramoso demum flexuoso, foliis caulinis inferioribus ovatis obtusis in petiolum attractis, summis oblongis sensim angustioribus, capsulis obverse cuneiformibus bicornibus complanatis longe pedicellatis.

Atriplex pedunculata *Linn. sp. pl.* II. 1675. *Ann. bot.* 37.

Ad salinas Arterenses et Numburgenses extra fines abundat.

Flor. dan. icon pejor vix nisi umbram Halimi nostri reddit. Hujus generis forsan etiam est Atriplex portulacoides, cujus fructus nondum vidi.

110. HERACLEI SPHONDYLII var. fructibus ovato-oblongis, Peucedani officinalis fr. molem et figuram fere aequantibus ad Rossleben legi.

111. PASTINACA SATIVA *L.*

α. SYLVESTRIS *W.*, caule sulcato, foliis pinnatis subtus pubescentibus, foliolis ovatis obtusis inaequaliter inciso-dentatis, extremo trilobo, radice subcarnosa amaricante. — *Lonic. hist.* 476. Siler sylvestre *Fuchs.* 752. P. germanica sylvestris

J. Bauh. hist. III. 149. *Chabr. stirp.* 391. f. 3. *Tabernaem. hist.* 198. f. 2. *Moris. hist.* f. IX. 16. f. 2.

β. SATIVA *W.*, foliolis oblongis inciso-serratis decussatis semidecurrentibus nitidis, radice carnosa dulci. — Elaphoboscum sativum *Tabern.* l. l. f. 1. *Chabr.* l. l. f. 1. *Flor. dan.* t. 1206.

112. ANGELICA CARVIFOLIA *Spr.*

α. PRATENSIS *W.*, foliis pinnatis, pinnis obovatis trifidis oblongo-lanceolatis mucronatis, caule sulcato acutangulo. *Hall. icon. helv.* t. 20.

β. SYLVATICA *W.*; foliis ternato-decompositis, foliolis trifido-pinnatifidis lineari-lanceolatis cuspidatis, caule erecto membranaceo angulato. — Angelica tenuifolia *Rupp. jen.* 277.

Utraque in nemoribus Loderslebensibus vicinisque passim occurrit.

Carvifolia *Vaill. par.* t. 5. f. 2. huc minime sed potius ad Seseli montanum pertinet. Selinum Carvifolia *L.* duplices comprehendit species: alteram nostram thuringiacam ex *Ruppii* et *Dillen.* synonym.; alteram sibiricam ex *Gmelini* descriptione.

† 113. ANGELICA PRATENSIS *M. B.* innotuit mihi ex specimine in pratis Rosslebensibus olim lecto, ex quo quidem descriptionem dare nolo.

114. LASERPITIUM PRUTHENICUM *L.*

α. HIRTUM *W.*, caule foliisque subtus hirtis.

β. GLABRUM *W.*, caule foliisque glaberrimis.

Utraque varietas in nemore Loderslebensi promiscue legitur. Fructus pilis rarissimis inspersi. Flores exsiccati flavescunt. Costae dorsales variant figura et numero.

115. Aethusa Cynapium *L.*

α. agrestis *W.*, caule gracili digitali, vaginis foliorum excurrentibus productis, umbellulis paucifloris breviter pedicellatis involucella subaequantibus. — Aeth. Cynapium var. β. *Ann. bot.* 44. Cynapium inter olera *Rupp. jen.* 284.

β. domestica *W.*, caule elato ramoso, vaginis abbreviatis apice in auriculas cordatas dilatatis, umbellis multifloris longe pedicellatis involucellis propendentibus linearibus brevioribus. — Aeth: Cynapium *auct.* fere omn. *Schk.* t. 72.

Var. *α.* post messem in arvis ad Bennstaedt, Wansleben, Zscherben et aliis circa H. locis: *β.* sativas comitatur et passim umbella foliosa exuberat.

116. Athamanta Libanotis *L.* praeter alias varietates ex caule foliisque, fructibus hirsutiusculis et dense pubescentibus, ut ne costae quidem appareant, ludit. Caulem canum, qualem *Sprengelius* cl. in *fl. hal.* indicat, in indigenis haud vidi.

117. Daucus Carota. Varietatem singularem *acaulem*, umbella solitae magnitudinis ex ipsa radice prodeunte, circa Lodersleben legi.

† 118. Caucalis grandiflora *L.* foliis decompositis glabris, foliolis ovatis duplicato-trifidis, laciniis linearibus acuminatis brevibus, supremis simplicibus vaginantibus, involucris involucellisque margine scariosis, petalis exterioribus bifidis maximis radiantibus. — *Jacq. austr.* t. 54. *Tabern. hist.* 490. opt. *Columnn.* ecph. t. 94

Inter segetes hiemales in arvis aridis arenosis citra Querfurth, qua itur ad Schmonam. Jun.

* Primum indicatur agro hal. indigena a *Buxbaumio hal.* 99. semel lecta ad Querfurth: equidem ante plures annos ibidem copiosam legi, quae inter indigenas petalis exterioribus speciosis oculos allicit. Culta major evadit omnibus partibus eaque habitum solitum plane exuit.

119. Torilis infesta *Wallr.* foliis pinnatifidis, involucro subnullo, umbellulis oligospermis, setis fructuum rectis condensatis apice subglochidiatis.

Torilis helvetica *Gmel. bad* — *Spr. prodr. umb.*
Caucalis infesta *Curt. Smith. Hoffm. Engl. bot.* 19. t. 1314 — helvetica *Jacq. hort. vind.* III. p. 12. t. 16. *Murr.* — segetum *Thuill. par.* II. 136. — aspera β. *Lam. dict.* I. 656. — arvensis *Hudf. With. Ait. Willd. DC. M. Bieb.*
Scandix infesta *Linn. syst. ed.* XII. (teste *Smithio* secund. herb. Linn.) nec vero *Willd. Spreng.*

In arvis apricis, aridis eorumque marginibus ad Querfurth, iisdem locis inter saxorum strues prope Rossleben auf dem ersten Schachtberge. Jul. Aug.

* Planta vexata, Torili Anthrisco primo intuitu simillima, attentius vero adspecta diversissima.

Radix albida. Caulis pedalis et altior in siccissimis saepe digitalis, ramosissimus, ramis alternis, teretiusculis divaricatis, internodiis inaequalibus approximatis, pilis brevibus reflexis adpressis scabriusculus. Folia magnitudine excepta, fere ut sequentis, magis tamen regulariter incisa. Involucrum universale subinde monophyllum, plerumque nullum; involucella ut in T. Anthrisco at minora. Flores albi carneive. Umbellulae oligospermae, plerumque ex 5 — 8 fructibus

compositae. Fructus ovato-oblongi, cinereo-nigrescentes, setis rectis condensatis, per lentem sursum hispidis apice aut hamatis aut subglochidiatis.

In planta a T. Anthrisco dignoscenda omnes, quos scio auctores singulari modo vexati desudarunt et plurimi legibus philosophiae botanicae contrarias promulgarunt definitiones. *Aitonius*, *Smithius*, *Willdenowius* unice involucrum adhibent et hic modo addit, valde adfinem esse sequenti. Quin florae gallicae auctores et *Persoonius* caulem humilem huic, elatum autem T. Anthrisco adnumerant in ipsa diagnosi, quae nota pessima in cujuslibet viae Torili Anthrisco nana et ipsa T. infesta cubitali potest refutari.

En igitur utriusque plantae differentiae certiores. Torilis infesta habet: 1) radicem albam: T. Anthriscus, flavescentem. 2) caulem plerumque humiliorem, dumosum, scabrum, ramis brevibus divaricatum, internodiis magis approximatis interceptum: T. Anthr. utplurimum exaltatum, procerum, internodiis elongatis insignem, strigosum. 3) folia minora, magis regulariter incisa. 4) involucrum oligophyllum aut plane nullum: T. Anthr. semper polyphyllum. 5) umbellulas ex 5 — 8 fructibus: T. Anth. ex 8 — 16 compositas. 6) fructus ovato-oblongos, cinereo-nigrescentes, setis rectis condensatis, per lentem sursum hispidis, apice aut glochidiatis aut ubi glochidis radius deest, tamen hamatis obtectos: T. Anthr. contra, fructus vere ovatos, apice saepius purpurascentes, obtusos, setis sparsis, multo rarioribus et brevioribus, incurvatis, acutis, modo muricatos, aliis minoribus simul intermixtis. 7) crescit inter segetes et passim in saxorum strues vicinas transcurrit: T. Anthr. ad sepes, in dumetis ubertim.

Synonyma permulta novo auxi, quum nomen specificum *Linnaei* apium, ob synonyma confusa solummodo oblitum, ex philosoph. bot. cano-

ne restituendum sit quumque illud a *Murrayo* datum, patriam nimis speciatim designans, minus idoneum esse videatur. Planta enim praeter Helvetiam totam fere Europam patriam agnoscit. Caucalis arvensis *Hudʃ. Willd.* nominari nequit ob charact. gener. ab acutissimo *Sprengelio* statutum. *Smithii* oculis denique exercitatissimis fidem denegare non possum, qui Scandicem infestam *L.* secundum specimina a *Linnaeo* conservata ad nostram Torilem rejicit. Quaenam igitur sit Scandix infesta *Willd.* a Zoëga missa, aut quaenam T. infesta *Spreng. (prodr.* p. 24.) cum Sc. infesta *L.* synonyma citata ne conjicere quidem audeo; aliam tamen speciem constituere videtur.

120. Torilis Anthriscus *Gmel.* foliis pinnatifidis, involucro polyphyllo lineari, umbellulis polyspermis, setis fructuum incurvis sparsis acuminatis. — Caucalis Anthriscus *L.* Torilis rubella *Moench meth.* p. 103.

Torilis character gener. a cl. *Sprengelio* constitutus vix ubique cum plantae partibus congruit. Involucrum, scilicet universale, quod a *Sprengelio*, denegatur, constanter adest polyphyllum, e foliolis lineari-setaceis compositum in planta florifera: cadit vero plerumque in fructifera. Fructus apice violacei, quos cl. *Smithius* urget, signum ambiguum praebent, a solo natali potius quam plantae proprietate pendent, a *T. infesta* minime alieni sunt et in umbrosis semper desiderantur.

121. Pimpinella magna *L.* foliis omnibus pinnatis, foliolis oblongis acuminatis inaequaliter inciso-serratis nitidis cauleque sulcato glabris, stylis germine majoribus, seminibus oblongis utrinque attenuatis. — *Clus. hist.* II. 197.

opt. *Chabr. stirp.* 398. f. 2. *Moris. hist.* f. V. 9. 1.

β. RUBRA *W.*, floribus roseis purpurascentibusve — P. rubra *Hopp.* in *Cent. exsicc.* P. Saxifraga major umbella rubente *C. B. pin.* 159. S. major in alpibus, fl. rubente *Clus. hist.* II. 197.

γ. LACINIATA *W.*, foliolis omnibus laciniatis, foliolis decursive-pinnatis, laciniis oblongis dentatis patentibus. — P. alia in lacinias divisa *Clus. hist.* l. l.

δ. DISSECTA *W.*, foliis bipinnatifidis, foliolis lineari-lanceolatis elongatis. — *Moris. hist.* f. V. 9. f. 3.

Pimpinellam majorem germanicam, quoad foliorum integritatem minus polymorpham, foliis tamen atro-virentibus et splendentibus, aeque ac floribus albis et ex purpura eleganter rubescentibus ludere, *Clusius* optime jam indicat.

122. PIMPINELLA SAXIFRAGA *L.* Foliis pinnatis, foliolis radicalibus subovatis inciso-serratis laciniatisve, caulinis mediis tenuiter pinnatis, summis in vaginas laxas abortientibus, caule tereti striato, stylis germine brevioribus, seminibus ovatis

A. MINOR *W.*, foliis cauleque dodrantali glaberrimis.

α. POTERIIFOLIA *W.*, foliis radicalibus pinnatis subcaespitosis, foliolis subrotundis basi ovata integerrimis inciso-serratis, subtus subdiscoloribus.

P. media *Riv. Rupp. jen.* 288.
P. Saxifraga hircina minor foliis Sanguisorbae *J. Bauh. hist.* III. 2. *Chabr. stirp.* 398. f. 4.
Pimpinella minor *Camer. epit.* 676. (solita minor)

Tragoselinum minus *Tabern. hist.* 253. f. 2. opt.

β. ALPESTRIS *W.*, nitida, foliolis inferioribus cuneiformibus inciso-serratis pinnatifidisque, caulinis superioribus in vaginas laxas abortientibus.

B. MAJOR *W.*, foliis cauleque pedali subpubescentibus.

INTEGRIFOLIA *W.*, foliolis radicalium ovatis obtusis inciso-serratis, summis abortientibus cauleque proceriore tenuissime pubescentibus.

P. Saxifraga *Schk.* t. 78. *Flor. dan.* t. 669.
P. nigra *Willd. sp. pl.* I. 1471.
P. major *Tabernaem. hist.* 253. f. 1.

D. DISSECTIFOLIA *W.*, foliis radicalibus varie laciniatis pinnatisque cauleque pubescentibus. — *Clus. hist.* II. 197.

Varietates innumerae (primarias enim modo exhibuimus), ut ita redigantur Natura dictitat, quamvis melius ex habitu et speciminibus exsiccatis quam ex verbis recognoscantur. Proprio enim var. minor et major gaudet habitu: omnibus tamen differentiis essentialibus, quas in fructibus ovatis, basi rotundatis stylisque brevioribus statuo, caret nec quoque haereo P. nigram *W.* P. Saxifragae subscribere. Var. α. foliis glabris, subtus e glauco virescentibus excellit. Poterii Sanguisorbae s. Sisonis segetum folia fere referentibus.

123. SESELI COLORATUM *Ehrh.* caule erecto striato subsimplici, petiolis vaginantibus foliisque decompositis erectis, foliolis tripartitis linearibus mucronatis, aveniis margine carinaque hirsutis, involucellis polyphyllis lanceolatis margine membranaceis glabris umbellulas subaequantibus, radice annulata. S. annuum *Linn.* S. coloratum *Ehrh.* Libanotis νοθηκοειδής *Thal. herc.* 71.

Duplices, *Thalio* jam praeeunte, dignosci possunt varietates: *major*, caulibus subpubescentibus apice subramosis, et *minor*, caulibus simplicissimis, digitalibus, umbella terminali rubescente. Alii annuam, alii biennem, iterum alii perennem faciunt stirpem: annua certe non est et ob eam rem nomen Ehrhartianum retinui.

124. Seseli dubium *Schk.* caule laevissimo stricto ramoso, petiolis patulis *vaginantibus*, foliis pinnatis, *foliolis subtrifidis linearibus* pellucido-venosis *nudis*, *involucellis* setaceis umbellas *subaequantibus*.

125. Seseli Hippomarathrum *L.* caule simpliciusculo, foliis bipinnatis glaucis radicalibus, foliolis linearibus trifidis brevibus carinatis margine carinaque *glabris*, caulinis in vaginas patulas abortientibus, *involucellis* monophyllis pelviformibus abbreviatis seminibusque parce pubescentibus.

In collibus calcareis circa Halam, ad Querfurth, quo loco a *Ruppio* jam indicatur (*jen.* 280.).

Involucella pelviformia *Linnaeus*: semina coronata *Ruppius* dixit, male vero Saxifragam pannonicam *Clusii* immiscuit, caulis vaginis a nostro alienam.

126. Cnidium Silaus *Spr.*

α. angustifolium *W.*, laciniis foliorum lanceolato-linearibus acuminatis cuspidatis subcanaliculatis obsolete-venosis, involucro subnullo, caule simpliciusculo.

β. latifolium *W.*, laciniis foliorum oblongo-lanceolatis obtusiusculis mucronatis pellucido-ve-

nosis, involucro oligophyllo, caule a basi inde ramosissimo.

Cnidium nostrum folio quandoque latiore variare *Ruppius* jam monuit. Var. β. Cnidium alsaticum. *Spr.* ex horto hal. exacte refert et forsan idem est cum Peucedano allatico *L.*, ut alibi jam (*ann. bot.* 54.) proposui. Cum foliorum latitudine, habitus et venarum indoles mutatur, ita ut venae ob oletae in foliolis angustioribus, in latioribus vero valde perspicuae, simplices, transversae sive reticulatae evadant. Var. α. folia, praeter longitudinem, Peucedani gallici habitum fere referunt.

XIV. CORRIGIOLA.

Calyx 5-partitus, persistens. Petala 5. Nucula monosperma, triquetra calyce tecta.

† 127. Corrigiola litoralis *L.* foliis linearibus glaucis, floribus subcymosis pedunculatis, calycibus margine membranaceis, caulibus prostratis centrifugis. — *Engl. bot.* XI. t. 668. *Schk.* t. 85. (mala.) *Moris. hist.* s. V. 37. 1.

Polygonifolia *Dill. Buxb. hal.* 266.

P. s. Linifolia per terram sparsa, flore scorpioidis. *J. Bauh. hist.* III. 379

In locis arenoso-siliceis ad Amtsdorf: in arenosis vor der Heide rechts vom Heidehause et ad Bennstaedt rarius: eo frequentius ad Heringen, Nordhausen, am kalten Graben, utrobique cum Herniaria et Polygonis.

Primus invenit *Knauthius* in agris der Heide: *Buxbaumius* frustra quaesivit, quam jam deperditam florae nostrae post centum annos haud sine voluptate reddo.

Commiſcui olim tiro hanc cum Polygono aviculari, quae *Linnaeo* praeceptore (*obſervat. in gener. pl. natur.* p. 304.) adeo refert Polygonum, ut absque numeri partium obſervatione eandem plantam eſſe diceres. Hinc quoque priſcis Polygonum fuit.

† 128. Linum tenuifolium *L.* calycibus acuminatis margine glanduloſis, foliis linearibus retrorſum ſcabris acuminatis, caule ſuffruticoſo erecto. — *Jacq. auſtr.* t. 255.

In *collibus aridis prope Querfurth links von der Windmühle rarius.* Jul.

Radix pro planta, vaſta, lignoſa, perennis. Caules ſuffruticoſi, erecti, plurimi ex eadem radice, erecti, ſpithamei, inferne pubeſcentes. Folia linearia, acuminata, margine retrorſum ſcabra, nervo unico valido notata. Ramuli ſubpaniculati. Flores rubro-violacei, cito evanidi, calyce triplo majores. Foliola calycina elliptica, acuminata, glandulis copioſis obſita, uninervia. Capſula calycibus brevior, ovata, acuta.

Caute diſtinguendum Linum anguſtifolium *Hudſ.* calycibus trinerviis eglanduloſis integris foliisque trinerviis lineari-lanceolatis, ſtylis ſubclavatis inſigne.

Linum perenne foliis anguſtiſſimis, calyce ariſtato *Hall. enum.* p. 371. *Rupp. jen. ed. H.* p. 408.

129. Drosera rotundifolia *L.* foliis orbiculatis radicalibus, laciniis calycinis lineari-lanceolatis denticulatis ſtriatis, ſcapo racemoſo, ſtigmatibus clavatis. — *Drev. et Hayne getr. Abbild.* I. t. 2. *Engl. bot.* t. 867. *Flor. dan.* 1028. *Thal. hercyn.* t. 9. f. 1. *Lonicer ſtirp.* p. 559.

130. Drosera longifolia *L.* foliis obovatis radicalibus, laciniis calycinis ellipticis subenerviis integris, stigmatibus emarginatis.

Dr. longifolia *sp. pl.* 403.* *Smith. brit.* I. p. 347. *Schk. bot.* I. t. 87. *Engl. bot.* t. 868.
Dr. intermedia *Drev. et Hayne* l. I. I. t. 3. f. B. *Spreng. hal.* p. 101. *Wahlenb. lapp.* 75.
Ros solis folio oblongo *Raj. syn.* 356. *Morison.* sect. XV. t. 4. f. 2.
Salsi rora s. roris solis var. femella *Thal. herc.* t. 9. f. 2.

In paludibus doelaviens. passim.

131. Drosera anglica *Huds.* foliis oblongis obtusis longe petiolatis radicalibus, laciniis calycinis ellipticis punctatis, floribus octogynis, capsulis 4-valvibus, stigmatibus clavatis.

Dr. anglica *Huds. Smith. brit.* I. p. 347. *Engl. bot.* t. 869.
Dr. longifolia *Drev. et Hayne* l. l. t. 3. f. A. *Flor. dan.* t. 1093. (opt.).
Ros solis major longiore folio et erectiore *Morison. hist.* sect. XV. t. 4. f. 1. (opt.).

In palude uliginosa am breiten Saale in nemore Lodersleben si.

Perperam a *Wahlenbergio* pro prioris var. declaratur in *fl. lappon.* p. 75.

HEXANDRIA.

XV. ALLIUM.

Allium genus et partium similitudine et alia quacunque indole typi naturalis communione quasi contineri, quilibet compertum habet. Anxietate quadam itaque hoc genus dispescendum indico, quod olim jam a vetustissimis inde temporibus ab ipsoque *Linnaeo* ante edit. *sp. pl*, *Hallero* (*opusc.* p. 329) valde refutante, in Gethyum, Porrum, Moly, Scorodoprasum inque Ampeloprasum divisum erat genera. Incommoda vero visa est talis divisio secundum habitum externum et partes minoris momenti sexuales, v. c. secundum filamenta simplicia et tricuspidata, aut secundum flores bulbis intermixtos et radicis proprietatem. Nostris autem temporibus, quibus aureum illud *Eresii*, ἔσχατον ἐν ἅπασι τὸ σπέρμα e novo regnat et relucescit praeceptum utque genera per se naturalia secundum differentias partium sexualium distinguantur permittit, ubi Luzula a Junco, Muscari ab Hyacintho, Dianella a Dracaena, Calluna ab Erica et alia genera naturalia in alia disjuncta sunt, his profecto, neglecto habitu naturali permissum est, istas leges in Allia quoque transferendi. His igitur fretus novum constituo genus, quod primo intuitu jam reliqua Allia relinquit.

XVI. OPHIOSCORODON *Wallr.*

Umbella terminalis. Spatha bivalvis multiflora. Corolla 6-petala, decidua. Stigma simplex. Capsula trilocularis: valvulae septo destitutae monospermae. Semen rotundatum.

Ita Allium ursinum a *Dioscoride* (II. 187.) jam vocatur, ex *Cordi*, *Loniceri* *Thalii*que interpretatione. Capsula toto coelo et eodem

plane modo ab Alliorum speciebus genuinis recedit, quo Juncus a Luzula genere distinctissimo discrepat. In Alliis nimirum valvula extus sulcata, intus vero dissepimento duo semina inter eandem valvulam distinguente aucta: in Ophioscorodo contra, valvula septo destituta, semen unicum, subrotundum modo concludit: illius capsula 6-sperma, hujus 3-sperma. Allium prorsus quoad Ophioscorodi capsulas, Ophioscorodon est duplicatum. Ex diversa capsulae structura, illae diversimode etiam, Alliorum scilicet externe, Ophioscorodi interne dehiscunt: Alliorum valvulae connivent, Ophioscorodi basi concretae semina continent in pericarpio quasi tripartito more Cneori tricocci, sic ut a *Morisono* jam (*hist.* s. IV. t. 15.) apprime repraesentatum exstat. Cum his differentiis aliae insuper belle conspirant proprietates: petala omnium speciosiora, alba et folia plana, lata.

132. Ophioscorodon ursinum *Wallr.* scapo triquetro, foliis radicalibus oblongo-lanceolatis petiolatis, umbella fastigiata. — *Engl. bot.* 122. *Flor. dan.* t. 757. opt.

In umbrosis nemoribusque roridis, v. c. ad Boelberg, Liebenau; extra fines in similibus locis haud rarescit.

Id vero ex indigenis est nec alia exotica desunt, quae genus nostrum intrant. Ex eorum numero sunt: *Ophioscorodon magicum W.*, Allium magicum *Linn.*, All. foliis caulinis lanceolatis, floribus umbelliferis ex ala bulbiferum *Hall.* n. 22., Moly latiflorum *Lobel. ic.* 161. — *Ophioscorodon tricoccon Wallr.*, Allium tricoccon *Ait. Kew.* I. 428. Hujus generis forsan etiam illud est, cujus figuram *Clus. hist.* I 192. sub Moly indici titulo praebet, quodque Ornithogali latifolii bulbiferi nomine apud *Morisonum hist.* s. IV. 13. 11. redit.

ALLIUM *L.*

Umbella terminalis congesta. Spatha bivalvis multiflora. Corolla 6-petala, persistens. Stigma simplex. Capsula trivalvis; valvae medio septiferae, dispermae. Semina compressa. *W.*

133. **Allium arenarium** *L.* caule planifolio bulbifero vaginisque tereti, foliis margine carinaque ciliato-hirsutis, *spatha mutica, staminibus alternis tricuspidatis, petalis carina exasperatis, umbella pauciflora bulbifera.*

All. *staminibus alterne trifidis, capite bulbifero, foliis gramineis leviter serratis* *Hall.* *de Allio* n. 2. *opusc.* 336.

Porrum planifolium, staminibus alterne trifidis, umbella bulbifera *Hall.* in *Rupp. jen.* 154. t. 2. f. 2. opt.

Allium sylvestre *Tabern. hist.* 872. f. 4. *Chabr. stirp.* 203.

All. s. Moly montanum latifolium *Clus. hist.* I. 193. *J. B. hist.* I. 560.

In dumetis ad radicem montis der Steinklippe, in vepretis nemoris Rosslebensis et aliis Thuring. locis minime rarum.

Bulbus primarius ovatus, multiparus, alios bulbillos tunica fusca includens. Caulis cum vaginis teres, erectus, basi foliosus, 1 — 3-pedalis. Folia lineari-lanceolata, graminea, margine carinaque ciliis tenuissimis quasi serrulata, tenuia. Umbella pro planta, parva et pauciflora: flores violaceo-purpurascentes bulbis atro-purpureis intermixti. Petala carinata ibique saturatius tincta et corpusculis parvis exasperata, stamina alterne trifida subaequantia.

Linnaeus et *Hallerus* de hac specie digladiantur. Hic enim Allium caule planifolio

bulbifero, foliis crenulatis, vaginis ancipitibus *Hort. upſ.* 77. ex quo *Linnaeus* All Scorodoprasum α. in *Sp. pl.* ſtatuit, Allio tertio ſuo ſ. All. arenario *L.* ſubſcripſit et Scorodopraſum verum margine foliorum glabro, caule ante maturitatem convoluto, floribus parvis et abortivis diſtinctum declarat.

134. Allium carinatum *L.* vaginis longiſſimis cauleque teretibus, foliis canaliculatis nervoſis margine carinaque glabris apice obtuſo deplanatis, umbella bulbifera pauciflora, floribus ſubcampanulatis effuſis longe pedunculatis ſpatha ventricoſa elongata ſuffultis. (*Hall. All.* t. 2. f. 2. *Fl. dan.* t. 1456. opt.)

α. carneum *W.*, floribus carneis concoloribus. (*Engl. bot.* t. 1658.)

All. inodorum, umbella bulbifera, vagina bicorni, foliis carinatis β. *Hall. All.* n. 27. *opusc.* 394.

All. montanum bicorne anguſtifolium, flore purpuraſcente *C. Bauh. Loeſ. pruſſ.* 9. *Rupp. jen.* 153.

All. ſylveſtre bicorne proliferum *J. Bauh. hiſt.* II. 561. *Chabr. ſtirp.* 202. f. 3.

All. ſ. Moly montanum II. *Cluſ. hiſt.* I. 195. *Scheffer. hal.* 5.

β. stramineum *W.*, floribus ſtramineo-palleſcentibus carina roſeis.

All. carinatum *Spr. hal.* 106.

All. inodorum etc. α. *Hall. All.* 393.

Cepa bicornis tenuifolia, flore obſoleto *Rupp. jen.* 155.

All. montanum bicorne, flore exalbido (obſoleto), *Knauth. hal.* 70. *C. Bauh. pin.* 74. *Moriſ. hiſt.* I. IV. 14. 2. *Buxb. hal.* 14.

All. bicorne proliferum *flore* intus albescente cum stria purpurascente externa *J. Bauh.* II. 560.

In vineis et promontoriis apricis passim, v. c. im Mittelholze, auf den Schachtbergen circa Rossleben et alibi.

Ab antiquissimis inde temporibus et a primis florae hal. scriptoribus, *Knauthio* et *Buxbaumio* duplices All. carinati describuntur varietates; novissimum autem florae nostrae *tentamen* (p. 106.) de unica floribus *ochroleucis* insigni modo loquitur, quem *quidem colorem*, quamvis etiam ab *Hallero* et *Smithio* ita nominetur, plane denego. *Nunquam* saltem, si quidem coloris ochroleuci *vim recte* stricteque interpretor, tales vidi, qui ex natura jam carnei sunt, jam varietati locum dant *sive* etiam ex aetate straminis instar perpallescere solent et decolorantur. Hinc rectius omnino veteres rei herbariae statores, Allio nostro flores exalbidos s. obsoletos, adscribunt. Quae quum ita sint, quamque coloris differentias aut leves aut ex aetate tantum immutatas, ex qua petala pallide carnea decolorantur, derivem, distinctionem ea potissimum mente retinui ut veterum synonyma melius exponerentur.

Similis error *Hallero* (*enum. helv.* 296.) folia teretia, et *Knauthio*, *Buxbaumio* et *Morisono*, folia cepacea s. fistulosa Allio carinato adscribentibus accidit, quae quidem saepe perangusta, *crassula*, exsiccata involvuntur et formam teretem mentiuntur. Apud *Ruppium* eandem plantam titulis duobus redire, certum est. — Variat caulis magnitudine, pedunculorum numero et foliorum latitudine: varietas major, latifolia in *Halleri* libello de Allio exstat: minorem ac tenuifoliam Cepae bicornis tenuifoliae synonymon apud *Ruppium* indicat. Aliam varietatem vaginis scabris et spatha membranacea dilatata in umbrosis ad Rossleben legi.

Allium a cl. *Smithio* in *fl. brit.* ejusdem nominis descriptum, ob umbellam globosam, densam, folia plana pedunculosque vix unciales a nostro forsan alienum est.

135. ALLIUM ANGULOSUM *L.* scapo ancipiti inferne in bulbum vaginis membranaceo-diaphanis foliiferis obductum intumescente, foliis linearibus canaliculatis subtus subangulatis (oleoso-punctatis), umbella fastigiata, radice fibrosa demum in appendicem lignosam transversam protensa.

α. PRATENSE *W.*, scapo foliisque robustioribus.
Allium angulosum *L. sp. pl.* I. 430. excl. syn. *Gmel.* — *Spr. hal.*
All. radice senescente lignosa transversa *Hall. de All.* no. 19. var. 1. *opusc.* 370.
All. umbelliferum pratense *J. Bauh. hist.* II. 564. *Knauth. hal.* 70. *Buxb. hal.* 15. *Rehfeldt. hod.* 66.
All. sive Moly narcissinis foliis II. *Clus. hist.* I. 196.

β. CALCAREUM *W.*, scapo foliisque gracilioribus, floribus dilutioribus roseis.
All. no. 19. var. I β. *Hall.* l. l. p. 372.
All. sphaerocephalum bifolium italicum *Chabr. stirp.* 203. f. 2. ex icone nec descript.
All. sive Moly narciss fol. II. var. foliis infirmioribus floribusque dilutioribus *Clus. hist.* l. l.

Var. α. in pratis subudis inter Urbem et Passendorf, ad Rossleben et alibi; β. in collibus calcareis apricis ad Wendelstein, Rossleben, et maxime extra fines, ad Auleben, im alten Stolberg, quem locum *Hallerus* jam laudat, ad Steigerthal etc. abundat.

136. Allium reticulatum *Wallr.* caule inferne in bulbum reticulo fibrofo compactili obtextum intumefcente, vaginis rotundato-excifis teretibus foliiferis induto, foliis linearibus, umbella fubglobofa, radice fenefcente in appendicem lignofam protenfa.

All. radice fenefcente lignofa transverfa Var. III. *Hall*, l. l. 374.
All. alpinum, caule maculato. *Rupp. jen.* 153 ex loc. n. auf dem Kiffhaeuferberge.
All. fphaericeo capite, folio anguftiore *C. Bauh. pin.* 74.
Allii genus forte Scorodopraffum II. Lobel. *J. Bauh. hift.* II. 564. *Chabr. ftirp.* 203. f. 6. bona.
Scorodopralon II. *Lobel. obferv.*

In colle praerupto aprico des Kiffhaeufers rarius: idem alio loco etiam, forfan in jugo faxofo der Steinklippe vidi eodemque tempore cum All. angulofo commutavi. Jul.

Bulbus annotinus, in quem caulis infimus in formam oblongam intumefcit, reticulo fibrofo, lacero, compactili, rufo, vaginarum primordialium rudimentis, Allii Victorialis more obductus, e bafi fibrofa in caudicem lignofum radicalem, ut Allium angulofum protenfus. Caulis teres, ftrictus, farctus, fupra reticulum vaginis teretibus, ftriatis, arcte appreffis, hinc rotundato-excifis, hinc foliiferis indutus, fuperne nudus, 1 — 2-pedalis. Folia linearia, fere Allii angulofi, planiuscula, craffiuscula, obtufa, in quovis caule 2 — 3, exficcata punctis oleofis infcripta. Umbella faftigiata, fubglobofa, multiflora. Flores pallide rofei. Petala linearia, ftamina fimplicia aequantia, fere Allii angulofi calcarei, tamen breviora et anguftiora. Capfula ovato-oblonga; valvae ovatae, apice fubintegrae.

Intermedium est inter All. angulosum et All. *Victorialem*: illi habitu generali, huic bulbo reticulo compactili-fibroso vestito affine. Hac prorius bulbi proprietate *Ruppium* deceptum esse auguror, dum Allium Victorialem, stirpem alpinam monti Kiffhaeuser nostro indigenam indicat, in cujus colle sterili ac inaccesso Allium nostrum hodie quoque laetatur. Differt ab All. anguloso, cum quo *Hallerus* et olim equidem ipse commutavi: 1) caule infimo in bulbum reticulo fibroso, compactili, *rufo vestitum abeunte*, tereti, vaginato, folioso: *qui in illo, anceps, aphyllus*, inferne in bulbum vaginis *membranaceo-diaphanis*, foliiferis inclusum intumescit. 2) *vaginis teretibus*, caulem arcte ambeuntibus, hinc *rotundato-excisis*: *quae in illo, radicales sunt* et scapum *inferiorem aliter* et laxius continent. 3) pedicellis teretibus, brevioribus: qui in illo angulosi. 4) umbella multiflora, densa, subglobosa. 5) floribus roseis capsulisque minoribus. 6) capsulis ovato-oblongis earumque valvis apice subintegris, quae *in illo*, ovatae, in valvas subrotundas, duplo latiores et apicem versus emarginatas dehiscunt.

Agrum halensem et thuringiacum in Alliorum historia satis celebrem esse, ex *Buxbaumii*, *Ruppii*, *Halleri* et *Linnaei* testimoniis patet, et equidem eo lubentius ad eorum examen revenio, quo majore ambiguitate singulae species agro nostro aut indigenae aut finitimae ab auctoribus exponuntur et ab ipsis rei herbariae antesignanis primariis calamo ancipiti dijudicantur. *Hallerus* in libello de Alio genere cum *Allio decimo nono, radice senescente lignosa transversa*, vagum profert titulum et ob varietates, quas praeter speciem legitimam, duplices statuit, satis ambiguum et similitudinis naturalis communione deceptus et radicis proprietati nimiam facturus fidem, species a pristis jam cautius traditas perperam immiscet. Primam Allii decimi noni varieta-

tem bene quidem explicat: attamen Allium fcapo ancipiti teretiusculo, foliis enfiformibus hinc paullo convexioribus *Gmel. fibir.* I. 53. t. 11. f. 2., ex quo *Linnaeus* All. fenefcens ftatuit, ex errore fubfcribit." Stirps quoad variam foli conditionem fatis variabilis, duplices tamen fine opera recognofcendas fuppeditat varietates, quarum prima omnibus partibus major et robuftior, ex fynonymis veterum, ab *Hallero* forfan nimis promifcue ad var. II. fuam laudatis, dubia evafit. Duplices enim, me quidem interprete, fub Allii fenefcentis *Linn.* titulo ex *C. Bauhini* et *Halleri* fynonymis laudatis ambiguo, latent fpecies: altera fibirica eaque diftincta, ad quam *Gmelini* planta fupra enumerata: altera, aut mera Allii angulofi varietas pratenfis aut nova fpecies ex fpeciminibus diligentius collatis definienda eft, ad quam praeter fynonyma a nobis fupra adfcripta, All. montanum foliis narciffinis majus *C. Bauh.*, Allium f. Moly narciffinis foliis 1. *Cluf.*, Allium radice bulbofa, foliis gramineis, umbella erecta, vaginis breviffimis *Hall. enum. helv.* pertinent. De hac prorfus varietate pratis halenfibus communi et ab *Hallero* Allii decimi noni var. II. fubfcripta, quod auctor ftatuit, illam minime aliter, quam ftatura majore ex loco natali differre nec de Allio fenefcente fibirico valet, quod quidem praeter alias notas et omnium partium magnitudinem, foliis lanceolato-enfiformibus, punctis oleofis deftitutis, ftaminibus corolla longioribus valvisque capfulae rotundatis, integris, apice leviter reflexis denuo dignofcere praecipio. Neque aliter forfan eft cum Allio angulofo *DC. gall.* III. 222. cumque varietatibus et fynonymis *Linnaei* et *Gmelini*, fubfcriptis.

Tertia denique varietas ab *Hallero* anonyma indicata et ob radicis proprietatem eandem nec fpeciebus duabus communem Allio decimo nono f. A. angulofo *L.* adfcripta, aeque novam ac diftinctam largitur fpeciem, quam cum Allii reti-

culati nomine in memoriam revoco. Vetustissimis enim rei herbariae statoribus jam illuxit et a *Lobelio* et *J. Bauhino*, quem *Chabraeus* ejus simia exscripsit, optime describitur et depingitur, quae in systemate hodierno omissa et ob similitudinem quamdam cum Allio anguloso tamdiu latuit. De synonymis a me laudatis dubium superesse nequit. Veteres enim huic Allio bulbum sesquiuncialem s. longiorem, fibratum, turbinatum, ex tunicis multis rufis compactilem; folia 2 — 3, tenuia, palmum longa, caulem aliquousque obvolventia, pedalem, firmum, teretem, enodem, umbellam florum pallidiorum, minorem quam Allii petraei adscribunt, — quae omnia ex verbo ut figura *Bauhini* et *Chabraei* cum Allio nostro congruunt. *Gmelini* synonymon a *Linnaeo* et *Willdenowio* ad All. angulosum, ab *Hallero* ad nostrum laudatum, et Cepa vocatum ob scapum subangulatum nudum et locum natalem in locis pratensibus et palustribus mihi quidem dubium est.

XVII. ORNITHOGALUM *L.*

Quamvis etiam ob operum necessariorum et speciminum vivorum defectum neque synonyma neque differentiae, quibus Ornithogala nuperrime distincta inter se discrepant, in his angustiis ruralibus rite exsequi et enarrare non possim, de agro halensi indigenis tamen, quae habeo admonenda interim profiteri jubet usque dum alio loco et tempore illa curiosius examinare valeam. Plurimi veteres rei herbariae statores duplices duntaxat dignoscere praecipiunt Ornithogali (lutei) species, majorem scilicet et minorem et *C. Bauhinus* et omnes qui hunc ad *Linnaeum* usque exscripserunt, formas reliquas foliorum latitudine et hirsutie quadantenus alienas, ex loco natali ortas declarant. Attamen *C. Schefferus* et *Buxbaunius* cognitis jam, tertiam addunt et Or. ramosi

arvensis lutei nomine idoneo dignoscunt, et ab O. luteo minore *C. B.*, quod titulum ambiguum et vagum largitur, caute distinguunt. Meliori post *Linnaeum*, cui *Schefferi* synonymon latuit, Ornithogala subjecit examini *Persoonius* et a *Buxbaumio* enumeratas species nominibus trivialibus et iconibus idoneis illustravit. Alia eaque nova ac distincta *Hoppii*, *Sternbergii*, *Zeuschmidtii* aliorumque studio addita sunt: nobis autem, missis his rarioribus, indigenorum titulos succincte exponere modo interest.

137. ORNITHOGALUM LUTEUM *L.* *folio radicali lanceolato-lineari* plano trinervio bulboque solitario, *floralibus* imis subalternis, *pedunculis simplicibus* subumbellatis, *petalis* oblongis obtusis glabris.

Orn. sylvaticum *Pers.* in *Usteri N. Annal.* Fasc. V. p. 8. t. 1. f. 1. excl. syn. *flor. dan.* — *Willd. enum.* II. 368.

O. luteum β. *Willd. sp. pl.* II. 114.

O. luteum *Linn. sp. pl.* I. 439. et *auct. Fl. dan.* t. 378.

Phalangium radice bulbosa, stipulis maximis hirsutis, petiolis unifloris *Hall. helv.* II. 102.

O. luteum majus *C. B. pin.* 71. *Rupp. jen.* 149. *Buxb. hal.* 245. *Tabern. hist.* 1020. f. 2. *icon.* 633.

Bulbus sylvestris Fuchsii fl. luteo. *J. Bauh. hist.* II. 623.

O. flore pallido *Clus. hist.* I. 188. *Chabr. stirp.* 219. f 5.

Ad sylvarum margines, in frutetis pinguioribus inque pomariis, quibus solum lutosum subest, in Galanthi nivalis, Lathraeae squamariae consortio.

138. Ornithogalum pratense *Perſ.* foliо radicali lineari plano, floralibus imis oppoſitis ſubvaginantibus, pedunculis ſimplicibus raris ſubumbellatis; petalis oblongo-lanceolatis acutiuſculis glabris, bulbo annotino ſobolifero.

O. luteum *Willd. enum.* 367.
O. pratenſe *Perſ.* l. l. t. 2. f. 1. excl. ſyn. *fl. dan.*
O. luteum minus *Rupp. jen.* 149. excl. ſyn. *Bauhinor.* — *Buxb. hal.* 245. *Moriſ. hiſt.* ſ. IV. 381. t. 13. f. 12.
O. pannonicum luteo flore *Cluſ. hiſt.* 189. *Chabr. ſtirp.* 219. f. 6.
Narciſſus III. *Lonicer. hiſt.* 424.

In arvis, pratis et paſcuis minus frequens.

139. Ornithogalum arvense *Perſ.* foliis radicalibus linearibus geminis, floralibus imis oppoſitis duplo latioribus, pedunculis ramoſis corymboſis petaliſque hirſutis.

O. villoſum *M. Bieberſt. taur.-cauc.* I. 274. *Willd. enum.* 368.
O. arvenſe *Perſ.* l. l. t. 1. f. 2. excl. ſyn. *Linn.*
O. minimum *Willd. ſp. pl.* II. 114. excl. ſyn. *Linn.* et *omn: auct.* fl. germ.
O. ramoſum arvenſe luteum *C. Scheff. del.* 21. *Buxb. hal.* 246.
O. luteum minus *C. Bauh. pin.* 71. excl. ſyn. *Cluſ.*
Stellaria arvenſis fl. luteo umbellato *Dill. giſſ.* 38.

In vervactis noſtris primo vere abundat.

Cur *Perſoonii* nomen neglectum ſit, neſcio. Varietas paſſim occurrit juxta pedunculos tanquam ex receptaculo *bulbifera*, quae O. mini-

mum β. bulbiferum *DC. gall.* III. 215. O. angustifolium bulbiferum *C. B. pin.* 71 O. angustifol. campestre luteum minus bulbiferum *Column. ecphr.* I. 323. *Moris.* s. IV. t. 13. f. 13.

140. Ornithogalum fistulosum *Cand.* foliis radicalibus filiformibus fistulosis, pedunculis pubescentibus, scapo subunifloro, petalis lanceolatis hirsutis, bulbo solitario.

O. fistulosum *Ram. DC. gall.* III. 215.

O. bohemicum *Zeuschm. Act. boh.* II. 121. *Schm. boh.* n. 330. *Willd. sp. pl.* II, 113.

O. luteum β *Roth. germ.* II. 1. 293. *Ej. Beytr.* II. 140.

In rupium fissuris irriguis prope Kroellwitz, in monte patibuli inque colle vor dem ehemaligen Heidehause. — A *Rothio* cl. jam 1776 observatum.

† 141. Ornithogalum minimum *L.* folio radicali lineari-filiformi, umbella pedunculata bi-triflora spatha foliacea suffulta, petalis lineari-lanceolatis acuminatis, bulbo solitario tunicato.

O. minimum *Linn. sp. pl.* I. 440: excl. syn. nec auct. fl. germ. *Flor. dan.* t. 1331. opt.

O. Sternbergii *Hopp. diar. bot.* V. n. 22.

In collibus editioribus nemoris Ziegelrodensis am Steinbruche. *Extra fines citra Grimderodam pone Nordhusam.

O. pygmaeum *Willd. enum.*; O. pusillum *M. B.*; O. spathaceum *Hayn.* (O. Haynii *Roth.* O. minimum *M. B. Fl. dan.* excl. syn. *Linn.* et *C. B.*); O. Liotardi *Sternb.* *Regensb. Denkschr.* ad quod forsan O. flavum Alcmarianum *Clus. hist.* I. 188: pertinet, partim cum nostro partim

cum O. fiſtuloſo et arvenſi ſimilitudinem quamdam habent utque ſecundum exemplaria viva ſtudioſius diſtinguantur, deſiderant.

† 142. Ornithogalum nutans *L.* floribus ſpicatis, ſeneſcentibus pendulis, ſtaminum filamentis alternis majoribus bicornibus. — *Jacq. auſtr.* t. 301. *Fl. dan.* t. 912.

Vidi aufugum, procul dubio nuncque quaſi indigenum, ex agro Neapolitano, in pomariis Roſslebenſibus olim, quod extra fines inſigni copia provenit ad Heringen im Kolbenachſchen Zwinger.

† 143. Lilium bulbiferum *L.* foliis lineari - lanceolatis confertis, floribus campanulatis erectis intus ſcabris.

In vineis et dumetis collinis circa Jechaburg in agro Sondershuſano extra fines ſatis abundanter.

Indicatur primum a *Cluſio* (*hiſt.* I. 137.) in pratis montanis Auſtriae et Styriae: ab *Hoffmanno* in Sileſia, Salisb., Wetteravia: equidem Thuringiam addo, cujus floram exornat.

XVIII. JUNCUS *L.*

Perigonium 6-partitum, glumaceum. Stigmata 3. Capſula triſocularis, 3-valvis polyſperma *); valvulae medio ſeptiferae. Semina ſepto affixa.

144. Juncus laevis *Wallr.* culmo molli laevi ſtricto medulla contigua farcto inferne va-

*) Ex errore ſolum *Willd. enum.* 390. in gener. char. capſulas monoſpermas indicat.

ginato, vaginis rotundatis aphyllis ariſtatis*, panicula laterali multiflora, capſulis ovatis trigonis obtuſis perigonium acuminatum ſubaequantibus.

α. CONGLOMERATUS, pedunculis ſeſſilibus in capitulum coarctatis.

J. conglomeratus *Linn.* et *auct. Engl. bot.* t. 835. *Leers herb.* t. 13. f. 1.

J. laevis panicula conglomerata *Scheuchz. agr.* 343.

J. laevis panicula non ſparſa *C. Bauh. pin.* 12. *Chabr. ſtirp.* 196. f. 3.

J. laevis glomerato flore *Lob. hiſt.* 40.

β. EFFUSUS, pedunculis productis in paniculam compoſitam effuſis.

J. effuſus β. *Linn. ſp. pl.* excl. var. α.

J. effuſus β. *Smith. brit.* I. 377.

J. effuſus *auctor. Leers herb.* t. 13. f. 2.

J. laevis panicula ſparſa *C. Bauh. pin.* 12, *Scheuchz. agr.* 341. *Rupp. jen.* 145. *Moriſ. hiſt.* ſ. VIII. 10. 4. *Chabr. ſtirp.* 196. f. 5.

γ. DIFFUSUS *W.*, pedunculis elongatis in paniculam ſupradecompoſitam effuſis, culmo procero.

J. laevis aquaticus maximus *Thal. herc.* 60.

Var. α. in ericetis humectis eorumque foſſis; β. in iisdem at pinguioribus; γ. in foſſis uliginoſis, profundioribus.

Neque inflorescentiae, neque culmi proceritati in variis locis variae, neque ſtaminum numero, cui *Hoppius* cl. adſtipulatur, ſed potius capſulis perigonioque vaginisque culmorum interiorum in ſingulis Junci noſtri formis fidem habendam eſſe, ex repetita obſervatione probabilius viſum eſt. Hinc J. laevis panicula non ſparſa et alter ſparſa *C. B.*, ex quibus *Linnaeus* J. conglomeratum et effuſum, ſtatuit illumque capitulis congeſtis, hunc paniculatis in *Fl. ſuec.* et *Sp. pl.* di-

ſtinxit, uſu longaevo magis quam veritatis comprobatione diſtinguuntur eaeque ſpecies in extremum poſitae, quamvis mire inter ſe discrepent, aliis tamen formis intermediis (J. effuſus β. *Smith.* J. laevis alter *auct.*) connectuntur. Omnes partes, quae magnitudine excepta, ad amuſſim congruunt, loco natali ortum debent, ita ut in ericetis ſterilibus culmi digitalem, in pratorum ſulcis humectis pedalem, bipedalem, in foſſis uliginoſis, profundioribus, per totum annum aqua repletis altiores exſurgant et medullam, qua infarciuntur, jam denſam laxamve contineant. Anni tempus et locus natalis utramque gignit ſpeciem fortuitam, ita ut hoc anno minus pluvioſo, J. conglomeratus in foſſis aqua derelictis, alio hyadibus continuis irriguo in foſſis aqua repletis, J. effuſus ex illo evadat et paniculam magis minusve effuſam acquirat. Ita anno praeterito ubivis locorum in foſſis aqua per totum annum repletis, J. effuſum: hoc vero, in iisdem paene exſiccatis J. conglomeratum, panicula plus minusve ſparſa legi. Iterum alio anno vidi in iisdem foſſis J. conglomeratum aeſtivum fructibus maturis et J. effuſum auctumnalem fructibus immaturis, illum ex tepore aeſtivo continuo, hunc ex pluvia ſequutura, ex qua foſſae aqua replebantur, proficiſci auguror. Staminum numerus varius eſt nec J. effuſo ſenarius alienus. Pedunculorum directio in omnibus eadem: in J. conglomerato abbreviantur, qui in J. effuſo profunduntur.

145. Juncus glaucus. *Sibth.* culmo ſtricto ſtriato glauco interrupto-medulloſo junceo, vaginis acuminatis, panicula laterali effuſa erecta, capſulis ellipticis trigonis mucronatis perigonio acuminato brevioribus. — *Engl. bot.* t. 665. *Fl. dan.* t. 1159.

146. Juncus filiformis L. culmo gracili nudo, vaginis rotundatis mucronatis, panicula laterali simplici pauciflora, capsulis obtusis subrotundis stylo coronatis perigonium acuminatum aequantibus. — *Engl. bot.* t. 1175. *Flor. dan.* t. 1207.

In prato uliginoso turfuso ad Benndorf et Wiehe.

147. Juncus squarrosus L. culmo nudo stricto, vaginis *foliiferis*, racemo terminali dichotomo *erecto*, pedunculis congestis bracteatis, *capsulis* obovatis perigonio lanceolato glumaceo obtusiusculo brevioribus. — *Engl. bot.* t. 953.

In sphagnosis nemoris Ziegelrodensis, juxta viam publicam.

In caespitosis, ad vias passim, in *Fl. hal.* indicatur, qui mihi rarior esse videtur.

148. Juncus bufonius L. culmo folioso superne dichotomo, racemo multifloro elongato, floribus sessilibus solitariis secundis remotis, capsulis ellipticis obtusiusculis perigonio acuminato patente brevioribus. — *Flor. dan.* t. 1098. *Leers* t. 13. f. 8.

149. Juncus Tenageja *Ehrh.* culmo subramoso folioso, vaginis foliiferis, racemo trichotomo, capsulis subrotundis truncatis perigonii foliola ovato-oblonga acuminata aequantibus. — J. Vaillantii *Thuill. Vaill. par.*

In pratis Wanslebensibus. cf. *Ann. bot.* 54.

150. Juncus bulbosus *L.* culmo simplici subcompresso, vaginis foliiferis, panicula cymosa erecta, capsulis obovatis obtusis mucronulatis, perigonii foliola ovalia membranacea apice obtuso incurva superantibus, radice fasciculata procurrente.

α. carpa, perigonii foliolis margine membranaceo diaphanis dorso capsulisque nigro-fuscis.

β. phaeocarpa, perigonii foliolis margine diaphanis dorso viridibus demum capsulisque stramineo-fuscis pallescentibus.

γ. lychnocarpa, perigonii foliolis linearibus indique capsulisque nigro-fuscis nitentibus, corymbo effuso paucifloro.

151. Juncus subverticillatus *L.* culmo folioso erecto, foliis setaceis, capitulis 3 — 5, remotis tri- quadrifloris, capsulis triquetris mucronatis perigonium acutum subaequantibus. — J. uliginosus *Sibth. Sm.*

β. supinus *Moench.*, culmo erecto, foliis fasciculatis, capitulis proliferis. — *Moris. hist.* f. VIII. t. 9. f. 3. 4. *Schk.* t. 98. b.

γ. fluitans *Lam.*, culmo radicante fluitante. — J. stolonifer *Wohllb.* J. uliginosus *Roth.* *Spr.* *Schk.* t. 98. a. *Müll. fl. dan.* t. 817. excl. syn.

† 152. Juncus obtusiflorus *Ehrh.* culmo stricto subbifolio, foliis teretibus intercepto-nodosis, ligula cartilaginea obtusa, paniculae supradecompositae pedicellis divaricato-reflexis, perigonii foliolis obtusis aequalibus capsulas ova-

tas triquetras mucronatas includentibus. — *Engl. bot.* t. 2144.

In paludibus, foſſis profundioribus, ad piſcinas rarius v. c. ad Doelau et Roſsleben.

Hunc a vulgari panicula magis repetito-ramoſa differre *Hallerus* (*jen.* 195.) jam monet, quem *Ruppius* ad piſcinas Schlebenſes indicat.

153. Juncus lampocarpos *Ehrh.* culmo erectiusculo folioſo, foliis nodoſo-articulatis compreſſo-teretiusculis, ligula biaurita acuta, paniculae erectae pedunculis patentibus ſubdichotomis, perigonii foliolis exterioribus ſubcarinatis acutis, interioribus planis apice obtuſo margineque ſcarioſis capſula ovato-oblonga acuminata nitida brevioribus. — *Engl. bot.* t. 2143.

Gramen vulgatiſſimum variat: 1) culmis erectis; 2) c. adſcendentibus et fluitantibus; 3) floribus viviparis, qui *J.* artic. var. utriculoſa *Hoffm. Perſ.* — Gr. junceum, foliis articulatis cum utriculis *Bauh. prodr.* 12. *Moriſ. Rupp. jen.* 145. J. foliaceus, capſulis triangulis *J. B. Chabr. ſtirp.* 196. f. 6. *Buxb. hal.* 169.

† 154. Juncus acutiflorus *Ehrh.* culmo ſtricto folioſo, foliis nodoſo-articulatis teretibus, racemi ſupradecompoſiti pedunculis divaricato-patentibus, perigonii laciniis exterioribus acutis, interioribus mucronatis recurvis illas capſulamque ſuperantibus. — *Engl. bot.* t. 238.

Ad foſſas ſylvaticas paſſim, v. c. circa Lodersleben, Roſsleben.

Juncorum modo illuſtratorum trigam, quamvis primis rei herbariae ſtatoribus et *Ehrharto Hoffmanno*que optime jam innotuerit, ſub J. articulati nomine Linnaeano latere, auctorum negligentiam reclamans dudum jam rebar, nec nunc quoque abs re fore credo, notas quibus inter ſe discernuntur, in transcurſu indicare.

J. obtuſiflorus differt a J. lampocarpo: radice repente; culmis multo procerioribus, ſtrictis, bifoliis; panicula ſupradecompoſita, divaricata; perigonii foliolis omnibus obtuſis incurvis capſulas mucronatas fuſcas aequantibus.

J. acutiflorus differt a J. obtuſifloro: culmo 3—4-folioſo; panicula patenti-divaricata; perigonii foliolis inaequalibus, exterioribus minoribus, interioribus, longioribus, acuminatis, recurvis.

J. lampocarpus ab utroque: culmis minoribus erectiusculis; panicula erecta ſemel ramoſa; perigonii foliolis ſubaequalibus, rectis, exterioribus ſpadiceo-purpureis acutis, interioribus planis margine apiceque obtuſo ſcarioſis capſula ferruginea nitida brevioribus.

XIX. LUZULA *Desv.*

Perigonium 6-partitum, glumaceum. Stigm. 3. Capſula unilocularis, trivalvis, triſperma, valvis ſepto deſtitutis. Semina receptaculo centrali adfixa.

Et nomen *Joanni Bauhino* jam uſitatum et generis diſtinctio a Junco adfini antiquiſſima, apud veteres rei herbariae reſtauratores exſtant, quae a *Desvauxio* primum in memoriam vocata, a *Candollio Willdenowio*que autem ulterius divulgata eſt. *Scheuchzerus* agroſtographus ſagaciſſimus ante centum annos jam totidem fere, quot a nobis celebrantur, novit differentias earumque ope acutiſſime Juncoides genus Tournefortianum a Juncis veris dignoſcere praecepit, (*agroſtograph.* p. 310. et 337.); *Miche-*

lius (*nov. gener.* t. 51.) figuris idoneis illustravit, *Ruppius* (*jen.* p. 143.) easdem observans notas, Cyperellas nomine Riviniano, *Hallero* reclamante, dixit et *Morisonus* Luzulas Bauhinianas graminum hirsutorum nomine a Juncis genuinis dispescuit. Haec de genere: jam de singulis hujus generis speciebus agro halensi indigenis diligentius, quae eo majori indigent studio, quo minore in flora halensi, opere alioquin consumato, exponuntur diligentia. Enumerantur ibi et apud nos revera crescunt: Juncus pilosus, albidus et campestris: J. spadiceus vero et J. nemorosus, qui ad Hornburg indicantur, mihi dubii, melius forsan ex indigenorum numero delentur.

155. Luzula pilosa *Willd.* foliis planis pilosis, pedunculis fructiferis subcorymbosis effusis basi ochreatis retrofractis simplicibus compositisve unifloris, calycibus capsula turgida brevioribus.

Luzula pilosa *Willd.* enum. pl. p. 393.
L. vernalis *Desv. DC. fl. gall.* III. p. 160.
Juncus pilosus *Linn.* et *auct.* excl. syn. et variet.

In sylvis dumetisque nemorosis veris initio abundat.

J. pilosus *Linn.* varias comprehendit Luzulae species easque distinctissimas ab auctore varietatum titulis obiter modo conjunctas. Ichnographorum citatorum fide var. α. Luzulam pilosam veram; γ. L. spadiceam; δ. L. maximam; ε. L. albidam constituit. Hinc quibusdam auctoribus *Ehrhartum* sequuturis L. vernalis nomen aptius esse videtur, nos tamen antiquum retinere satius duximus.

In inflorescentia denominanda auctores dissentiunt. *Linnaeo*, *Willdenowio*, *Sprengelio Candollio*que corymbus: *Smithio* et *Wahlenbergio* panicula cymosa vocatur. Equidem utramque omisi et quum pedunculorum

fructiferorum infertionem Luzulae generi propriam habui, florem corymbi generalem neglexi. Pedunculi ex rhachi communi abbreviata oriundi, nubiles umbellam mentiuntur, fructiferi in corymbi modum effunduntur, divergunt dein donec breviores et fubuniflori aliis longioribus plerumque exterioribus iterum in pedicellos divaricatos divifis intermixti, omnino femet deflectant. Capfula caeterum in hac fpecie obtufa nominari nequit: fpecimina enim minime raro occurrunt capfulis acuminatis infignia, exacte ut in L. flavefcente et Forfteri. Ea prorfus nota, quam *Smithius* (*brit.* III. p. 1396.) et *Candollius* (*fynopf.* p. 151.) in Junco f. Luzula *Forfteri* a vernali dignofcenda urgent, anceps effe videtur.

156. Luzula albida *DC.* foliis planis pilofis, corymbo decompofito patulo, capitulis fubquadrifloris, petalis mucronatis capfulas fubaequantibus, radice fibrofa.

α. leucanthema *W.*, perigonio albido fplendente. (*Schk* t. 98.)

Cyperella ferotina flosculis albicantibus *Rupp. jen.* 144.

Gramen leucanthemum *Dalech. Lugd.* 426.

β. erythranthema *W.*, perigonio e purpureo variegato f. rubefcente.

Luzula rubella *Hoppe Cent. pl. exficc.*

Var. α. in nemoribus noftris ubertim; β. in fylvis apricis macris, v. c. in pineto halenfi paffim.

157. Luzula campestris *DC.* foliis planis pilofis, fpicis ternis ovatis fubcernuis, exterioribus breviter pedunculatis, intermedia feffili, perigonii laciniis mucronatis capfulam obtufam

superantibus, radice repente. — *Flor. dan.* t. 1386.

Luzula campestris *DC. fl. gall.* III. 161. exclus. syn. omn. *Willd. enum. pl.* p. 394.
Juncus campestris *Linn. sp. pl.* p. 469. excl. syn. plur.

In pascuis siccis, ad vias, fl. Aprili; Majo mense capsulas maturat.

Veterum synonyma et icones extricari non possunt: in plurimis enim spicarum forma Luz. congestam *DC.*, radix repens L. campestrem aequat. Huc pertinet: grameo cyperinum pilosum *Tabernaem.* (*hist.* p. 532.), quod auctor in pratis udis circa Erlenbach vicum legit. Similem figuram *Chabr. stirp.* 188. graminis flexilis hirsuti cyperoidis *Lob.* titulo habet: Luzulam campestrem veram tamen, graminis Luzulae minimi nomine, bene exprimit. Ad alterutram spectat etiam speciem: Juncus villosus capitulis Psyllii, J. villosus, capitulis Psyllii globosis et J. vill. panicula compacta (*Vaill. bot par.* p. 110.), ita ut primus, L. campestris, alter L. multiflora, quem *Dillen.* (*catal. giss.* p. 54.) jam distinctum habet, et tertius denique L. compacta esse videatur. Simili modo J. campestris varietates apud *Linnaeum* interpretandae sunt, qui Luzularum modo dictarum trigam sub var. α. β. γ., sub var. ε. L. luteam *DC.* et var. η. L. sudeticam intelligit.

158. LUZULA MULTIFLORA *Lejeun.* foliis planis pilosis, spicis omnibus pedunculatis erectis subcorymbosis, perigonii laciniis mucronatis capsula acutiuscula brevioribus, radice fibrosa.

Luzula multiflora *Lejeune fl. spad.* 169. *DC. fl. gall.* VI. p. 306.
L. erecta α. *Desv. journ.* I. p. 156.
J. multiflorus *Hoffm. germ.* I. 169.
J. erectus *Pers. syn.* I. 386.

J. intermedius *Thuill. par.* II. 178.
J. campestris β. *L. sp. pl. Flor. dan.* t. 1333.
J. fol. planis, culmo paniculato, spicis ovatis. *Fl. lapp ed. Smith.* p. 96. t. 10. f. 2.

In collibus sylvaticis inque ipsis nemoribus vulgaris, Majo ineunte floret eoque finiente capsulas maturat.

Fig. optima apud *Morison.* (s. VIII. t. 9. f. prima sub graminis hirsuti, capitulo globoso exstat. Variat perigonio fusco et exalbido.

Gramen vulgatissimum, cum priore commutatum, a plurimis ad hunc usque diem neglectum et ab *Hoffmanno* primum distinctum. Descriptionis loco differentias potius inter hanc et priorem exponere lubet. Nostra enim differt: 1) radice fibrosa, culmos plures in cespitem densum junctos sustinente, quae in L. campestri repens, culmos plures quidem elevat, semper tamen inter se remotos 2) culmis altioribus, pedalibus, in sylv. umbrosis sesqui-et fere bipedalibus: qui in illa, digitales vix unquam dodrantales sunt. 3) foliis longioribus, strictioribus 4) spicis plurimis (4—10) omnibus pedicellatis: in L. campestri paucioribus (2—4), exterioribus breviter pedicellatis, intermediis sessilibus. 5) valvis capsulae acutiusculis, in L. campestri obtusis, dilatatis cum mucrone brevissimo rotundatis. 6) tempore florescendi seriori: haec enim flores explicat eo tempore, quo L. campestris semina jam demisit.

159. Tofieldia calyculata *Wahlenb.* caule folioso, floribus spicato-racemosis pedicellatis remotiusculis adpresso-bracteatis, calyce trilobo.

Tofieldia palustris *Spr. hal.* p. 113. exclus. syn.
T. calyculata. *Wahlenb. lapp.* p. 90. in adnot.

In pratis paludosis, turfosis ad Delitzsch et Benndorf copiose.

Anthericum calyculatum β. *Linn. fl. suec.* Tofieldia palustris *Hudſ. angl.* 157. *Smith. brit.* I. p. 397. Hebelia allemannica *Gmel. bad.* II. p. 118. t. 1. Narthecium boreale *Wahlenb. flor. gottl.*, Tofieldia alpina *Hoppe et Sternberg* ad Tofieldiam borealem *Wahlenb. fl. lapp.* p. 89. quacum nostram plurimi auctores commutarunt, pertinent. Et *Smithii* et *Wahlenbergii* descriptiones a *nostra planta*, Germaniae australioris *nec borealis incola*, valde recedunt earumque *loco differentias addo.*

a. Tof. calyculata *Wahl.* habet: 1) folia ensiformia, nervosa, apice acuminata, longiora. 2) caulem foliis equitantibus 3 — 5 obsitum, proceriorem. 3) flores in spicam racemosam, laxam dispositos. 4) bracteas adpressas, virides. 5) calycem trilobum corollis adpressum. 6) petala staminibus breviora, oblonga. 7) antheras ovatas. 8) stigmata majora, magis libera et producta. 3 — 4.

b. Tof. borealis *Wahl.* scapo basi foliis vaginantibus ochreato, floribus sessilibus ebracteatis in racemum ovatum congestis, calyce obsoleto scapo adnato, — *Engl. bot.* t. 536. *Flor. dan.* t. 36. contra gaudet: 1) foliis abbreviatis, multo minus acuminatis. 2) scapo aphyllo, inferne tantum foliis vaginantibus ochreato, duplo minore. 3) floribus sessilibus ebracteatis in racemum ovatum congestis. 4) calyculo obsoleto fere dimidiato, scapo adnato. 5) petalis obovatis obtusis integris. 6) antheris globosis. 7) stylis brevissimis.

Neque minus capsulae, quas maturas nondum vidi, differre videntur.

XX. RUMEX.

Rumicum indigenorum hiſtoriam dubiis multis graviſſimisque implicatam, auctorum potius et ſyſtematis vegetabilium commentatorum fugacitati, quam ipſius generis difficultati aut ſpecierum raritati adſcribendam eſſe, perſuaſum habeo atque perſpectum. Vix enim ſcio auctorem, niſi *Muntingium* doctiſſimum jam vero oblitum ex Belgio, de vera herba Britannica diſſertationis fuſae auctorem et ichnographum in memoriam revocem, qui uberius huic generi ſuis numeris minime abſoluto operam navaverit vel examine ſeriori dignam habuerit. Vix notae ſunt Rumicum definitiones, quae, (*Smithii* ἀκριβεστάτου auctoritate Linnaeana excepta) novae hodiernisque legibus accommodatae nec ex *Linnaei* fundamento aureo transſcriptae ſint, tam ſingulari modo, ut omnes plane auctores easdem adhibeant notas in ſpeciebus ſingulis dignoſcendis, quas *Linnaeus* olim profeſſus erat. Nihiloſecius autem vix ullus eſt Rumex, qui noſtris diebus ob varias auctorum opiniones omni dubio liber, ulterioris illuſtrationis haud indigeat. Quales obſtant errores in R. aquatico, quales in R. acuto, plantis Linnaeanis? Quae redeunt dubia in ſpecierum quarumdam ſynonymis redigendis? — His igitur errorumque ab auctoribus, praeprimis etiam in flora halenſi commiſſorum difficultate admonitus, equidem primum genus hoc adgredior, ut agri halenſis plantarum hiſtoriam proxime illuſtrans, Rumices fuſius deſcribam, aliis vero totum genus ulteriori commendem ſtudio ſimulque enixe rogem, ut placeat botanophilis mihi quocunque modo aliarum exoticarum aut aliis Floris indigenarum ſpecierum ſeminibus ſuccurrere meque liberalitate amica opitulari, ut alio die et loco, totius hujus generis hiſtoriam enarrare poſſim atque abſolvere.

Modus quo in ſyſtematibus vulgo enumerantur, ſat multis locum dat exceptionibus et ab ipſo ordine

naturali alienus est. Neque enim florum hermaphroditorum diclinorumque, neque calli, neque valvularum perigonii proprietates ratam muniunt viam, ad quam exponerentur, sed multo melius secundum adfinitatem naturalem consociantur. Ex hac informatione triplices propemodum redeunt lectiones: *Nemolapatha*, *Hippolapatha* et *Acetosae*, de quibus singulis, agro halensi indigenis proxime dicendum est.

Character generis a variis auctoribus varius indicatur: alii calycem 3-, alii 6-phyllum laudant. Hi scilicet perigonii interni valvulas cum laciniis externis concipiunt et pro calyce habent: illi vero, perigonii lacinias externas distinguunt et calycem internum pro corollae petalis sumunt, quae *Linnaeo* bene jam valvulae audiunt. Quarum autem partium discrimen sileo et lacinias externas pro calyce, internas vero huic aliisque generibus proprias, perigonii valvulas dico. En meam habes hujus generis differentiam.

Calyx 3-partitus. Perigonium trivalve, membranaceum, connivens, persistens. Semen 1 triquetrum, stigmatibus tribus penicilliformibus reflexis.

Sectio I. NEMOLAPATHUM.

Valvulae perigonii angustae, oblongo-lineares, acuminatae, integerrimae aut dentibus plus minusve longis armatae, callo *) ovali subrotundoque instructae. Flores hermaphroditi.

Corpora perigonio adnata, quae a variis auctoribus nomine vario insigniuntur, a *Muntingio* v. c. gemmulae, a *Linnaeo* aliisque verrucae, granula aut tubercula nominantur, *callos* dixi illoque nomine eorum indolem aptius exprimere putavi.

160. RUMEX CONGLOMERATUS *Schreb.* valvulis angustato-oblongis integerrimis omnibus callosis, callo oblongo, verticillis subapproximatis glomeratis foliosis, foliis inferioribus oblongis in basin ovatam inaequalem abeuntibus subundulatis, caule ramosissimo patentissimo.

α. VULGARIS *W.*, callo lineari-oblongo laevi, ramulis patentibus.

R. conglomeratus, valvulis integerrimis oblongis omnibus graniferis, foliis lanceolatis subundulatis, ramis patentibus. *Roth. germ.* I. 160. II. 422. *Murr. prodr.* 52. *Leers herb.* 275.

R. Nemolapathum *auctor.* nec *Ehrh.*

R. acutus, valvulis oblongis subdentatis, omnibus graniferis, foliis cordato-oblongis acuminatis, racemis foliosis *Huds. brit.* I. 155.? *Smith. brit.* I. 391. *Leyss. hal.* 88. *Spr. hal.* 113.

R. paludosus *With.*, valvulis integris graniferis, foliis cordato-lanceolatis obtusiusculis, verticillis distinctis folio subjectis. *Ait. Kew.* I. 482.

R. crispus β. *Poll. pal.* n. 356.

R. glomeratus *Schreb. spicil.* 64.

Lapathum petiolis latescentibus, foliis longo-lanceolatis, floribus verticillatis verrucosis *Hall. hist.* 1590.

L. foliis acutis, verticillatum *Zinn. gott.* 40. *Hall. gott.* 17.

L. vulgare minus *Munting de vera h. Brit.* 215.

L. minimum *Tabernaem. ic.* 437. *hist.* 824. *Bauh. pin.* 115. *Moris. hist.* II. 579. *Rupp. jen.* 57.

L. acutum minimum *Lobel. icon.* 284. *Bauh. hist.* V. 985. *Parkins.* 1224. *Buxb. hal.* 178.

Figurae. *Munt.* fol. 132. t. 15. — *Morif. hist.* f. V. 27. f. 9. — *Tabernaem.* l. l. — *Bauh.* l. l. — *Lob.* l. l. f. 4. — *Petiv. brit.* II. f. 3. 4. — *Parkinf.* l. l.

β. PYCNOCARPOS *W.*, valvulis ovato-oblongis corrugatis, ramulis divaricato-patentibus.

R. divaricatus *Thuill. par.* II. 182. excl. fyn.
R. Winterli *auct.* herb. *Mertenf.*

Var. α. in limofis, inundatis, propter foffas inque nemoribus udis abundat: β. ad lacus et ftagna rarius.

Radix perennis, fufiformis, fibris multis annulata, extus epidermide flavefcente tecta, intus albida, medulla lignofa, duriuscula farcta, fere infipida. Caulis pedalis, cubitalis, glaberrimus, inferne obfolete-ftriatus, fuperne magis fulcatus, a bafi inde ramofus, internodiis approximatis, inaequalibus, tumidis, ramulos emittentibus interceptus: ramuli alterni, patentiffimi, virgati, rigidiusculi, foliofi, patentes, in locis pinguioribus magis divaricati. Folia glabra, inferiora oblonga, bafi dilatata ovata, inaequali in petiolum abeuntia, undulata; fumma praeter magnitudinem, fere eadem, tamen anguftiora indeque lanceolata breviusque petiolata; innovationum ovato-oblonga, maculis rubris plerumque tincta. Racemi elongati, patentes, elongati. Verticilli inferiores remoti, reliqui fenfim magis approximati, omnes folio fuffulti. Pedicelli breviffimi, nutantes, conglomerati, media parte geniculato-nodofi, longitudine valvularum. Valvulae perigonii, pro planta parvae, oblongae, utrinque diametro aequales, integerrimae, obtufae, reticulatae, omnes callo oblongo-lineari, laevi, f. ovato-oblongo, corrugato in var. β. onuftae. Semen ovatum, triquetrum, apice acutum, nitidum, ftigmatibus parce multifidis coronatum.

Tota planta matura et frigore tacta saturate fuscescit. Valvulae in tot visis speciminibus semper margine integerrimae sunt, nunquam subdentatae.

Nemolapathum *Ehrh.* s. Rumex Nemolapathum *L* ab hoc diversissimum esse et revera ad sequentem pertinere, speciminibus inter plantas *Ehrhartianas* visis edoctus obtestor. *Ehrhartum* acutissimum, hunc et sequentem Nemolapathi nomine promiscuo salutasse et plantas tantopere diversas commutasse, vix probabile esse videtur.

161. Rumex Nemolapathum *Ehrh.* valvulis lineari-oblongis integerrimis obtusiusculis, unica callo globoso obsita, foliis inferioribus cordatis ovato-lanceolatis acuminatis, summis utrinque attenuatis, caule subsimplici ramulisque strictis gracilibus subaphyllis:

α. exsanguis, caule foliorumque venis concoloribus.

R. nemorosus *Schr.* fl. hermaphr., valvulis oblongis obtusis integerrimis, unica granifera, foliis lanceolatis. *Willd. enum. pl.* p. 397.

R. condylodes. fl. hermaphr., valvulis integerrimis lanceolatis, unica granifera, foliis cordato-lanceolatis, venis concoloribus *M. Bieberst. taur. caucas.* I. 288.

R. Nemolapathum, floribus hermaphroditis, valvulis linearibus obtusis integerrimis graniferis, verticillis remotis, ramis patentibus, foliis inferioribus cordato-oblongis, superioribus lanceolatis *Ehrh. Beytr.* I. 181. *Phytoph.* no. 94 *Linn. fil. suppl.* 212. *Hoffm. germ.* 128.

R. sanguineus β. viridis *Smith. brit.* I. 390.

R. sanguineus β. exsanguis *Kitaib.*

R. viridis *Sibth.* 118.

R. acutus *Curt. Withering. Hudſ.* aliorq. *teſte Sm.*
Lapathum viride *Dillen.* in *Raj. ſyn.* 141. *Petiv.*
Lapath. planum paludoſum *Munting. brit.* 213.
Figurae. *Munting.* l. l. t. 14. fol. 120. — *Petiver.* t. 2. f. 6. — *Curtis lond.* t. 21. —

β. SANGUINEUS, caule foliorumque venis ſanguineis.

R. ſanguineus, fl. hermaphr. valvulis integerrimis, unica granifera, foliis cordato-lanceolatis. *H. cliff.* 138. *Sp. pl* 476. *Spreng. fl. hal.* 113. *Hoffm. germ.* 171. *Smith. brit.* I 390.
Lapathum folio acuto rubente *Bauh. pin.* 115. *Raj. ſyn.* 142. *Rupp. jen.* p. 57. *Buxb. hal* 178. *Moriſ. hiſt.* I. 579.
Lapathum ſanguineum *Lobel. Bauh. hiſt.* II. p. 988. *Munting.* l. l. 211. *Parkinſ. oxon.*
Lapathum rubens *Dodon. pempt.* V. 1. *Camer. epit.* 229.
Lapath. ſanguineum, ſanguineis in viridi lineis pictum *Camer. hort med.* p. 84.
Lapath. ſylveſtre 3. *Dalech. hiſt.* I. 603.
Lapath. ſativum ſanguineum *Ger. em.* 390.
Erythrolapathum *Matth. Krauterb.* 132. b.
Sanguis draconis herba *Gesner hort.* 278.

Figurae. *Engl. bot.* XXII. t. 1533. — *Blackw.* t. 492. — *Moriſon.* l. l. V. t. 27. f. 6. — *Tabernaem hiſt.* p. 824. (minus bona). — *Munting.* l. l. t. 13. fol. 113. (opt). *Phytogr.* f. 196. — *Chabr. ſtirp.* 310. — *Matthiol. hiſt.* p. 132. b. opt. *Camerar. ep.* p. 229. — *Dodon.*

l. l. p. 650. — *Lobel. icon.* t. 290. f. 1. — *Parkinſ.* l. l. p. 1226. — *Petiver.* t. 2. f. 5.

Var. α. in nemoribus umbroſis propter foſſas, im Lettinſchen Werder, im Mühlthal ad Roſsleben, in alnetis ad Schmon et alibi, β. in cultis oleraceis, vera caulibus atro-ſanguineis foliorumque venis rubris belle reticulatis vix apud nos ſpontanea ſed advena.

Radix fuſiformis, in α. rubra, in β. fuſca, intus flaveſcens, ſtriis purpuraſcentibus variegata. Caulis ſimplex, ſtrictus, teres, ſtriatus, glaber, in var. α. atro-ſanguineus, in β. purpuraſcens viridisve, folioſus, 2—3-pedalis, ſuperne in ramulos floriferos diviſus. Folia radicalia, mediocriter magna, ovato-oblonga, integerrima, margine tamen ſubinde ſubundulata, baſi cordata, acuta: intermedia illis ſimilia, fere ut Polygoni lapathifolii: ſumma lanceolata, utrinque attenuata, in var. α. venis ſanguineis belle reticulata, in β. omnino viridia, tenuia, plus minusve flaccida, praeſertim in umbroſis. Verticilli dimidiati, remoti, inferiores folio ſuffulti, reliqui aphylli, magis approximati. Pedicelli baſi nodoſo-geniculati, valvulis triplo longiores. Foliola calycina acuminata, linearia. Valvulae lineari-oblongae, obtuſiusculae, unica callo onuſta, reliquis paullulum majore, ſubreticulatae, altera vero coſta elevata calli loco notata. Callus pro valvula magnus, globoſus, maxime protuberans, coloris varii in var. binis et ſecundum locum natalem. Semen omnino ut R. conglomerati.

Hujus plantae ob colorem atro-ſanguineum latis inſignis cognitio antiquiſſima eſt. In Virginia ortam, Angliam dein, Helvetiam et Germaniam migraſſe, *Linnaeus* monet. Nos patriam, dubiam procul dubio, ignoramus, Nemolapathum tamen ſ. R. exſanguem ob fabricae ſimilitudinem cum patruis pro europaea declaramus, R. ſangui-

neus verus caule venisque foliorum atro-sanguineis quibusdam modo proprius esse videtur locis et vix in agris Diemizensibus, in quibus a *Buxbaumio* indicatur, hodie superest. Alia varietas, caule, foliis, ramulisque rigidioribus, rubentibus in fossis campestribus, soli expositis provenit.

Utramque speciem secundum coloris varietatem primo intuitu satis diversam ad unam reducendam esse, exploratum habeo. Nullum enim praeter colorem discrimen, ne levissimum quidem in ulla parte et auctores, qui utramque dispescunt, errant. Omnes propemodum Rumices sicut plurimae Polygoneae, Chenopodeae et Amaranthaceae ex natura ad colorem atro-sanguineum, quo caulis et foliorum venae succo violaceo scatentes tinguntur, proclives sunt et nemo Betam Ciclam, Atriplicem hortensem, Amarantos plures, et alias multas foliis viridibus et rubentibus variantes, pro speciebus considerabit distinctis. Idem naturae lusus in R. obtusifolio etiam, ut infra videbimus, redit nec quoque a R. Britannica *Linn.* vera alienus est, qui, quamvis a *Gronovio* foliorum costis caulibusque rubentibus insignis describatur, *Linnaeo* jam observante, caule foliisque exsanguibus ludit eumque colorem servans in hortos nostros transiit. Utraque igitur species e viridi transit in colorem atro-sanguineum, in hoc Rumice tamen praecipue manifestum Ob eam potissimum caussam et quoniam R. exsanguem pro planta primitiva, ex qua R. sanguineus ortus, habeo, nomen triviale mutavi et R. Nemolapathum *Ehrh.* dixi, quo titulo var. α in phytoph. Ehrhartiano, olim ad *Rühlmannum* dato et ab amiciss. *Mertensio* mecum benevole communicato, exstat.

† 162. Rumex sylvestris *Wallr.* valvulis oblongo-triangularibus subintegris obsolete nervosis, omnibus callo ovato inscriptis, foliis pri-

mordialibus ovato-oblongis basi cordatis obtusissimis, caulinis inferioribus obtusiusculis, summis lanceolatis utrinque attenuatis cauleque glaberrimis.

Rumex acutus *auct. quorumd.*

In nemoribus editioribus umbrosis inter Wendelstein et Schmon et aliis extra fines locis. Fl. Julio, valv. maturat Aug.

Radix multiceps, fusca, intus fulva. Caulis simplex, teres, laevissimus, superne in ramulos floriferos divisus, cubitalis. Folia glabritie excepta fere R. obtusifolii, at apice omnino rotundata obtusissima, caulina inferiora ampla, basi cordata, sinubus rotundatis patentibus productis, apice obtusiuscula, saturatius viridia. Racemi breves subfoliosi. Verticilli multiflori, inferiores distantes, folio uno alterove suffulti, reliqui magis approximati. Pedicelli valvulis duplo longiores, infra mediam partem geniculati. Valvulae triangulares, obsolete nervosae subintegrae s. basi denticulo uno alterove crenatae, omnes callis ovatis, obtusis, convexis, plerumque albis onustatae. Semen ut in R. obtusifolio.

Habitu convenit noster cum R. obtusifolio, pro quo haberem, nisi omnes partes, ut distingueretur, suadeant. R. acuti nomine a quibusdam auctoribus inscribi, ex speciminibus e Silesiae montibus acceptis et ex plantis in horto quodam ad usum medicum cultis scio: illum tamen pro planta Linnaeana non audeo declarare. Quamvis igitur inter hunc et R. obtusifolium, ob foliorum primordialium caulinorumque inferiorum similitudinem, quaedam intercedere videatur adfinitas, illum tamen eo audacius distinguere praecipio, quo certius partes et in locis natalibus et in speciminibus e seminibus in eadem cum R. obtusifolio area cultis et per plures annos diligenter observatis, suas servant notas, quarum videlicet ope a R. obtusifolio

dignosci possit. Pubes sola, aliis differentiis non additis, discrimen nullum daret, quamvis etiam in R. obtusifolio verò, ut ex anglicis, belgicis, gallicis et nostris speciminibus edoctus profiteor, vix nisi rarissime deficere videatur. In utraque planta dignoscenda sequentes fere valent differentiae: 1) radicis color: qui in nostro fulvus, in R. obtusifolio flavus est. 2) caulis inferioris laevitas et glabrities: qui in illo hirsutus et superne praesertim angulatus est. 3) foliorum forma: primordialia in nostro obtusissima, ubique sibi aequalia, in illo modo obtusiuscula: caulina inferiora basi cordata, sinubus rotundatis productioribus, apice obtusiuscula, quae in illo acuta esse solent. 4) valvularum magnitudo et indoles: in nostro mediocres, jam integerrimae jam rariter parceque denticulatae, in R. obtusifolio plerumque duplo majores et dentibus rectis plus minusve longis quasi armatae sunt.

† 163. Rumex cristatus *Wallr.* valvulis inaequalibus nervosis, externa amplissima e basi dilatata subquadrata inciso-dentata in apicem triangularem integerrimum producta, callo ovato, interioribus minoribus complicatis obsolete callosis dentatisque, verticillis distinctis aphyllis, foliis radicalibus oblongo-lanceolatis acuminatis basi subcordatis, caule ramoso.

Hucdum legi juxta sepes et in salicetis ad Wendelstein, im Lettinschen Werder, ad Osterhausen, Erdeborn passim. — Extra fines in similibus locis ad Hohlstaedt, Heringen et Goersbach. Fl. Junio, valv. maturat Aug.

Radix extus fusca, intus rubescens. Caules plerumque a basi inde ramosi, anguiati, angulis scabriusculi, 1 — 3-pedales et altiores. Folia radicalia longe petiolata oblongo-lanceolata, acuminata, basi subcordata, petiolis

marginibus paginaque inferiore R. obtufifolii more hirfuta, pedalia et ultra: caulina inferiora ovato-oblonga, fuprema fenfim minora et anguftiora. Verticilli diftincti, fubapproximati, aphylli inferiores tantum folio uno alterove fuffulti, racemum acutum, longum, femper pedalem conftituentes Pedicelli graciles, elongati, deflexi, apice incraffati media parte articulati, maturitate decidui. Valvulae inaequales, nervofo-reticulatae, criftatae: exterior maxima, fcutiformis, concava, bafi dilatata fubquadrata (diametro transverfali longitudinalem fuperante) ex nervis incifo-dentata, dentibus brevibus rigidis pluribus quam in R. obtufifolio, in apicem integerrimum obtufe triangularem brevem producta: interiores complicatae, oblongae, callo obfoleto infcriptae, minores tunc et breviores parce dentatae, coftatae, fub externa tanquam fub fcuto latentes, rarius perfectae et cum externa conformes minusque irregulares. Callus in valvula majore ovatus, grandis: in minoribus minus confpicuus, in coftam excurrens. Semen ut in R. Hippolapatho.

Planta fructifera pulcherrima: foliis, magnitudine excepta, Rumici crifpo: valvulis, R. obtufifolio quadantenus fimilis, ab utroque tamen diftinctiffima, ab illo nimirum: 1) caule plerumque productiore, a bafi inde ramofo. 2) foliis radicalibus oblongo-lanceolatis, fpeciofioribus. 3) racemis elongatis acutis, ex verticillis diftinctis compofitis. 4) pedicellis longioribus, gracilioribus. 5) valvulis inaequalibus, e bafi dilatata fubquadrata femper incifo-dentata in apicem triangularem brevem productis totoque denique habitu. Totidem fere fignis a R. obtufifolio etiam difcrepat et foliis radicalibus oblongo-lanceolatis, acuminatis et valvularum forma aliena, modo diligentius defcripta fine difficuftate dignofcitur.

Rumicis acuti definitio a *Linnaeo* in *Sp. pl.* data cum noftro perbelle congruit Rumice. Mo-

do esset! lubens nostrum pro ejus synonymo agnoscerem, ut dubia et errores circa hanc speciem ad nauseam usque commissi, tandem eluerentur. Eximiis enim horret R. acutus *L.* dubiis et quamvis nihil certioris de illo affirmare valeam, quid mea ferat opinio, data occasione indicandi meum duxi. Plurimi auctores, nisi omnes alium et a Linnaeano diversum, R. acuti titulo intelligere, ex variis auctorum testimoniis patet. *Smithius* (*brit.* I. 391.), cui in plantis Linnaeanis dignoscendis summa fides et auctoritas, R. acuti nomine R. conglomeratum *Schreb.* intelligere videtur, quamvis etiam hunc nunquam valvulis dentatis variantem viderim. Id non solum ex descriptione sed quoque ex synonymis probabile fieri videtur. *Ehrhartus* R. Hydrolapathum *Hudf.* pro R. acuto *Linn.* venditat. Vidi saltem in *pl. officin. exsiccat.* no. 114. R. Hydrolapathi specimen mancum et parvum in loco exsiccato forsan natum, R. acuti nomine inscriptum. *Timmius* in *spicileg. I. Flor. Megapol.* (*Siemssen Magaz. für d. Naturk. Meklenburg's* Tom. I.) R. acutum *Linn.* pro mera R. obtusifolii declarat varietate. *Treviranus* (*Observ. bot. Rostoch.* 1812.) R. nemorosum *Schrad.* synonymum habet, quem rectius forsan ad R. sanguinei varietates revocavimus. *Rothius* denique expertissimus et aeque ob ingenii aciem ac auctoritatem aestimandus in lit. R. maximum *Schreb.* in *Schweigg. fl. erlang.* R. acuto *Linn.* subjungendum esse monet et utrumque, valvulis graniferis subintegerrimis, foliis lanceolatis basi attenuatis et in petiolum desinentibus, radicalibus et caulinis inferioribus longissimis, panicula laxa, — distinguere praecipit. Quamvis haec ita sint et a viris auctoritatis gravissimae profiteantur, nemo tamen sine speciminibus Linnaeanis visis, genuinam determinabit plantam, quae ab ipso *Linnaeo*, valvulis dentatis graniferis, foliis cordato-oblongis acuminatis, insignis describitur et cum *J. Bauhin.* et *Lobelii* synonymis

in Europae fucculentis indicatur. Aliis prorfus litem de R. acuto *Linn.* haud promifcue in plantarum catalogis et operibus pharmacologicis indicando, componendam relinquo. Quid vero Lapathum acutum f. Oxylapathum veterum? — Variae de hoc quoque circumferuntur icones et defcriptiones. Optimam, inflorefcentia forfan excepta, et cum pl. Linn. fine dubio congruam, *C. Bauhinus* in *Tabernaemont.* (*hift.* p. 823.), *Lobelius* (*icon.* 284. a *Linn.* jam citata et cum Munting. congrua) et *Muntingius* (*de vera herb. britannica* t. XI. p. 88.) exhibuerunt, nec difplicet ex *Muntingii* opere (p. 823.) fequentem transfcribere defcriptionem. *Lapathum acutum f. Oxylapathum,* radix rotunda, extus fufca, intus lutea. Caules folitarii duove, recti, fesquipedales, rotundi, purpurafcentes, fuperne ramofi. Folia pedalia, digitos duos transverfos lata, bafi latiffima inde in mucronem acutum defınentia (acuminata), tactu dura, tenuia, fuperne faturatius virefcentia etc. In Belgii humidis et aquofis vulgare: in Frifiae oris rariffimum. Similem ni eandem *Candollius* etiam (*flor. gall.* III. 375.) defcribit, foliis lanceolatis, bafi attractis, valde acuminatis et valvulis interioribus dentatis infignem, alibi vero (*fynopf. fl. gall.* p. 193.) folia cordato-oblonga et racemos foliolofos, procul dubio ex *Smithii fl. brit.* urget! — Quem *Pollichius* (*palat.* I. 359.) defcripfit R. acuti *L.* nomine et cum Lap. acuti *Blackw.* t. 491. fynonymo, verus five faltem a noftris modo defcriptis diverfus effe videtur.

164. Rumex obtusifolius *L.* valvulis oblongo-triangularibus nervofis fubulato-dentatis in apicem integerrimum aequaliter productis, callo ovato acuminato, foliis primordialibus obtufiusculis cordatis, caulinis inferioribus acutis,

summis lanceolatis utrinque attenuatis subtus, petiolis, cauleque ramoso hirsutis.

α. concolor *W.*, caule venisque foliorum viridibus.

R. obtusifolius, fl. hermaphrod. valvulis dentatis graniferis, foliis cordato-oblongis obtusiusculis crenulatis *sp. pl.* 478. *ed. Willd.* 254. *Poll. pal.* n. 360. *Hoffm. germ.* I. 172. *Leyss. hal.* 88.

R. obtusifolius, valvulis dentatis, unica granifera, foliis radicalibus cordatis obtusis, caule scabriusculo *Smith. brit* I. 302. *Spreng. hal.* 114. *DC. fl. gall. syn.* 192.

Lapathum obtusifolium *Moench. meth.* 356.

Lapathum foliis ovatis circa petiolum emarginatis, floribus dense paniculatis serratis verrucosis *Hall. helv.* n. 1592.

Hippolapathum sylvestre album *Mupting. brit* p. 207.

Hippolapathum sylvestre II. *Tabernaem. hist.* 823. *Dalech.* 606.

Lap. vulgare, folio obtuso *C. Bauh. pin.* 111. *Buxb. hal.* 178.

Lap. sylvestre magnum vulgare *J. Bauh.* II. 983. *Rupp. jen.* 57. *Raj. hist.* 175.

Lap. sylvestre folio subrotundo seminis involucris dentatis *Moris. hist.* II. p. 580.

Lapathum sylvestre vulgatius *Parkins. hist.* 1225.

Rumex major idem cum Rhabarbaro monachorum, nisi quod sit sylvestrior *Thal. hercyn.* 102.

Icones. *Lobel. ic.* 284. — *Petiver. brit.* t. 2. f. 9. *Parkins.* l. l. *Matthiol. Kraeuterb.* p. 132. b. (Oxylapathi titulo) *Camer. epit.* p. 228. — *Munting.* l. l. t. 8. p. 68. *Tabernaem. hist.* p. 823. *Moris.* f. V. 27. 11.

(mala). *Chabr. ſtirp.* p. 309. f. 2. — *Curt. lond.* III. t. 22. — *Flor. dan.* t. 1334. — *Engl. bot.* 28. t. 1999.

β. DISCOLOR *W.*, caule venisque foliorum purpureis.

R. purpureus *Encycl. bot.* V. 63. *Perſ. ench.* I 394.

R. ſanguineus β. latifolius *Hort. pariſ. Treviran. cat. pl. hort. Wratislav.*

Lapathum vulgare rubrum retuſo folio *Munting. brit.* t. 9. p. 75. et deſcript. p. 207.

Var. α. in ſalicetis, ad ſcrobes et rudera ſuburbiorum, in pratis et ad ipſas fluviorum ripas irriguas abundat: β. in ruderibus ad Heringen, unico, quem ſcio apud nos, loco. Fl. Jun. valv. maturat Aug.

Radix multiceps, fuſca, intus flava, in var. β. ſtriis rubicundis variegata. Caulis inferne ſtriatus, ſuperne angulatus, a baſi inde ramoſiſſimus, hirſutiuſculus, cubitalis, in ſolo pinguiore altior, in var. β. atro purpureus. Folia primordialia apice obtuſiuſcula i. e. haud omnino rotundata ſed magis ovata; caulina inferiora baſi cordata, ſinubus rotundatis patentibus integris crenulatisve, aequalibus inaequalibusve, ovata acutiuſcula, maxima, pedalia, ſubtus petioloque hinc plano hinc convexo corpuſculis papillaeformibus erectis albis hirſutiuſcula: caulina media, ovato-oblonga, acuminata: ſumma lanceolata utrinque attenuata, ſenſim minora et anguſtiora. Racemi elongati, baſi foliolo uno alterove ſuffulti, apice aphylli, acuti. Verticilli multiflori, inferiores diſtantes, ſummi magis approximati. Pedicelli effuſi, infra mediam partem geniculati. Valvulae triangulares, lineato-nervoſae, nervis margine in ſpinulas 3 — 5 ſubulatas, rectiuſculas, valvulae diametrum aequantes excurrentibus, in apicem integerrimum plus minusve longum aequaliter productae, unica

praecipue, reliquae duae obfolete callofae, in var. β. purpurafcentes, maturitate fufcefcentes. Callus ovatus, gibbofus, apice fenfim in coftam excurrens, in var. β. purpureus. Semen ovatum triquetrum.

Pubem in omnibus partibus rarefcere ac penitus evanefcere, aliquoties vidi.

165. Rumex maritimus *L.* valvulis fubrhomboideis anguftatis in apicem integerrimum attenuatis, omnibus callo lanceolato infcriptis, nervofo-*reticulatis*, nervis in dentes utrinque binos rectos *illas fubaequantes* excurrentibus, verticillis *multifloris* confertis foliofis, foliis lanceolato-linearibus.

R. maritimus, valvulis deltoideis fetaceo-dentatis graniferis, foliis linearibus, verticillis confertis *Smith. brit.* I. 393. *Perf. ench.* I. 394. *DC. fyn.* 193.

R. aureus *Withering.*, flor. hermaphrod dioicis conglomeratis verticillatis approximatis, valvulis dentato-ciliatis graniferis, dentibus 4 fetaceis, foliis lineari-lanceolatis *Hoffm. germ.* I 172.

Lapathum minus *Lam. fl. gall.* III. p. 4.

R. anthoxanthus *Murr. prodrom.* p. 52.

R. maritimus, fl. hermaphroditis, valvulis dentatis graniferis, foliis linearibus, *fl. fuec* 2. n. 313. *fp. pl.* I. 478. *ed. Willd.* II. 253 *Roth. germ.* I. 160. II. 423. *Leyff. hal* 2. p. 88.

Lapathum perenne foliis longiffimis, calycibus ciliatis *Hall. goett.* p. 18.

Lapathum folio acuto, flore aureo *Raj. fyn* 142. *C. Bauh. pin.* 114. *Rupp. jen.* 58

L. aquaticum, luteolae folio *Tournef. inft* 504.

Anthoxanthon *Bauh. hist.* II. 987. *Chabr. stirp.* 310.

Lapath. sylvestre IV. *Dalech. hist Lugd.* 603.?

L. aquaticum, angustissimo acuminato folio *Bocc. mus.* II. 142.

Hydrolapathum minus *Parkins. theatr. bot.* 1225. *Dalech. hist.* I. 605.

Icones. *Boccon.* l. l. t. 104. *Chabr. stirp.* p. 310. (rudis). *Petiv. brit.* t. 2. f. 8. *Flor. dan.* 1208. (opt.). *Engl. bot.* VII. t. 725.

In coenosis maritimis auf d. koenigl. Salinenplatze, im Fürstengarten, ad Wansleben, Koelme; ad ripas Salae prope Passendorf, inter Kroellwitz et Giebichenstein, versus Trotham aliisque locis vulg.; passim quoque inter olera. Fl. Jul. valv. mat. Aug. Septbr.

Sectio II. HIPPOLAPATHUM.

Flores hermaphroditi. Perigonii valvulae ovato-subrotundae integrae, dentibus saltem obsoletis. Caules simplices, erecti, superne ramosi.

166. Rumex crispus *L.* valvulis ovatis, subcordatis obtusis integris venosis, omnibus ovato-callosis, verticillis approximatis racemos aphyllos constituentibus, foliis lanceolato-oblongis acutis undulato-crispis.

R. valvulis ovatis integris omnibus graniferis, foliis lanceolatis undulatis acutis *Linn. sp. pl.* I. 476. *Smith. brit.* I. 391. *Leyss. hal.* 87. *Poll. palat.* n. 356. *Hoffm. germ.* I. 171. *Roth. germ.* I. 160. II. 421. *Willd. sp. pl.* II. 251. *Spr. hal.* 113. *Gmel. bad.* II. 97.

Lapathum foliis crispis, imis ovatis, supremis lanceolatis, calycibus verrucosis *Hall. helv.* n. 1589.

Lapathum longifolium crispum *Munt. brit.* * p. 210.

L. folio acuto crispo *Bauh. pin.* 115. *Rupp.* * *jen.* 57.

L. acutum crispum *Bauh. hist.* II. 988. *Tabernaem. hist.* II. 147. *Buxb. hal.* 178.

Rumex minor, foliis longis; strictis, flavescentibus, caulibus lignosis seminum racemis abundantibus *Thal. hercyn.* 102.

Figurae. *Fuchs* 461. — *Petiver. brit.* t. 2. f. 4. — *Parkinf.* 1542. — *Lonicer.* p. 218. *Tabernaem. ic.* 436. *hist.* 823. f. 4. — *Munting.* l. l. t. 12. fol. 104. — *Chabr. stirp.* append. p. 626. — *Curt. lond.* n. 18. — *Lam. illust.* t. 271. f. H. — *Engl. bot.* 28. t. 1998. — *Flor. dan.* t. 1334.

In ruderatis, pascuis, inter segetes, in solo lutoso vulgatissimus. Fl. Jun. valv. mat. Jul. Aug.

Radix perennis, sublignosa, fusca intus albo-flavescens aut quoque omnino flava. Caulis angulatus, erectus, simplex s. a basi inde ramosus, glaber aut ut folia subtus et pedunculi atomis crystallinis hirsutiusculus, 1 — 2-pedalis et altior. Folia radicalia lanceolata, acuta, basi subcordata, undulato-crispa, innovationum in basin ovatam aequalem attenuata, summa linearia, glabra s. caulis more scabriuscula. Racemi axillares et fastigiati, ex verticillis approximatis condensati, basi folio uno alterove suffulti, minus patentes, superne aphylli, obtusi. Valvulae e forma subrotunda plus minusve ovatae, basi subcordatae, venoso-reticulatae, planae, demum ob callum impositum concaviusculae, obtusae, omnes plerumque callo ovato inscriptae, margine integrae non-

nisi etiam crenulatae. Pedicelli graciles, apice incrassati, infra mediam partem nodosi. Semen et stigmata ut in R. Nemolapatho.

Variat secundum locum natalem magnitudine omnium partium; caulibus strictis, simplicissimis, a basi inde ramosis; valvularum callique colore albo purpureoque; foliis maximis, pedalibus in solo pinguiore, jamque omnibus valvulis, jam exteriore tantum callo inscripta.

† 167. Rumex Hydrolapathum *Hudſ.* valvulis ovato-triangularibus subcartilagineis reticulato-nervosis integris, omnibus callo oblongo maximo onustis, foliis radicalibus oblongo-lanceolatis acutis in basin attenuatam decurrentibus strictis eroso-crispatis, caule stricto angulato.

R. Hydrolapathum, floribus hermaphroditis, valvulis integerrimis graniferis, foliis lanceolatis glabris acutis integerrimis basi attenuatis *Hudſ. fl. angl.* 154. *Ait. Kew.* ed. I. I. 483. *Timm* in *Siemſsen Magaz. für die Naturk. Meklenb.* T. II. 244. *Hoffm. germ.* 1800. I. 171. *Gmel. bad.* I. 100. *Perſ. ench.* I 394. *Mart. prodr. fl. mosq.* 64. *Schultz fl. ſtarg. ſuppl.* I. 21. *Willd. ſp. pl.* II. 397.

R. Britannica *Willd. prodr.* n. 402. *Hoffm. germ.* 1792. I. 128. *Roth. germ.* I. 160. II. 421. *Schk. Handb.* I. 311.

R. aquaticus *Lam. et Decand. fl. gall.* III. 373. excl. ſyn. *Linn.* et aliorum auct. germ.

R. acutus *Ehrh. pl. officin.* no. 104.

Lapathum Hydrolapathum *Scop. carn.* I. 262.

Lapathum foliis lanceolatis, paniculis densissimis *Hall helv.* n. 1588.

L. maximum aquaticum ſ. Hydrolapathum *J. Bauh. hiſt.* II. 986 *Raj. ſyn.* 140. *hiſt.* I. 171. *Chabr. ſtirp.* 309. *Rupp. jen.* 67.

Lap. aquaticum folio cubitali *C. Bauh. pin.* 116. excl. syn. plur. *Buxb. hal.* 178. *Moris. hist.* II. 579. sine icon.
Britannica antiquorum vera l. Lapathum longifolium nigrum palustre *Munt.* l. l. 190.
Lapathum palustre V. et VI *Tabernaem. hist.* II. 147.
Hydrolapathum magnum *Gerard. em.* 389.
R. palustris *Trag. hist.* 144.

Icones, *Munting.* l. l. t. 1. f. 1. *Petiv. brit.* t. 2. f. 1. *J. Bauh.* l. l. *Tabernaem. ic.* 147. *hist.* 824. *Chabr. stirp.* 309.

Ad piscinas profundiores prope Seeburg, Wansleben an den Teichen, ad ripas Salae vicinasque fossas circa Passendorf, ad stagna ad Bennstaedt citra pagum, in similibus inter Schoenewerdam et Esmannsdorf, inter Rolsleben et Wendelstein et aliis permultis agri hal. locis. Fl. Jul. valvulas maturat Septembr.

Radix napiformis, vasta, extus nigrescens, intus recens effossa, alba, striis rubicundis plerumque variegata, flavescens, tandem exsiccata fusca, carnosa, nauseosa. Caulis strictus, simplex, angulatus, superne in ramulos floriferos divisus, firmus, 4 — 6-pedalis. Folia subcartilaginea, rigidiuscula, saturatius virescentia, subtus glaucescentia, siccitate fere semper nigro-fuscescentia (Lapathum longifol. nigrum *antiq.*), radicalia oblongo-lanceolata, acuta, in petiolum longum firmumque attenuata et ad illum decurrentia (exacte praeter pubem et colorem ut Inulae Helenii) semper stricta, praelonga, cubitalia (L. folio cubitali *Bauh.*), media parte palmum fere lata, utrinque angustiora, margine eroso-crispula, duriuscula; caulina media ovato-oblonga, basi subcordata, dodrantalia et majora; summa f. floralia lanceolato-linearia, sensim angustiora. Petioli foliorum inferiorum, spithamam fere longi, firmi, supra plani, unciam

dimidiam lati, lineato - ſtriati, infra convexi, valde prominentes, ſulcis profundis exarati. Racemi patentes, denſi, inferiores diſtantes, folio uno alterove ſuffulti, ſupremi aphylli, magis condenſati, breviores, obtuſi. Verticilli multiflori, approximati; pedunculi apice fere triangulares, incraſſati, plus minusve longi, baſin verſus inconſpicue et inaequaliter nodoſi. Laciniae calycinae obtuſae, callis duplo breviores, patentes. Valvulae ovato-triangulares, nervoſo-reticulatae; cartilagineae, integrae aut crenulatae, omnes (apud nos ſaltem) callo oblongo, maximo, late gibboſo, valde prominente albo l. fuſceſcente onuſtae, ex quo plantae fructiferae pondus ſatis augetur. Semina ovalia, triquetra, magna, fere ut R. Hippolapathi, baſi tamen minus producta. Stigmata longiora et parcius multifida quam in R. Hippolapatho.

Variat magnitudine et in ſolo minus humido vel aqua derelicto imminuitur, (Hydrol. minus VI. *Tabernaemont.* l. l. Lapath. aquaticum minus *C. Bauh.* quod *Moriſonus* in *hallucin. Bauhin.* p. 581. ad R. criſpum transfert. R. longifolium *DC.* (*fl. gall.* V. 368), R. Hydrolapathi varietatem valvulis coſtatis et callo deſtitutis inſignem eſſe, veroſimile eſt. Var. valvulis crenatis iisque majoribus, jam duplo minoribus rara.

† 168. Rumex maximus *Schreb.* valvulis cordatis ſubmembranaceis reticulato-nervoſis integris, omnibus callo lanceolato munitis, foliis concoloribus, primordialibus variis caulinisque oblongis acutis, baſi obliqua ovatis cordatisve, floralibus lanceolatis, caule ſtricto patenti-ramoſo.

R. heterophyllus. *Schultz ſtargard. ſuppl.* 21.

R. acutus *Schultz ftarg.* 92.
R. maximus *Schreb.* in *Schweigg. fl. erlang.* II. 152. excl. fynon. *Gmel.*

In fulcis pratorum paludoforum et juxta ripas der Helme prope Heringen: intra fines agri hal. nondum innotuit. Jul. Aug.

Radix vafta, bulbofa, extus fufca, intus flava. Caulis rectus, fulcatus, firmus lignea fere duritie, glaber, viridis, in locis aquofis orgyalis, in ficcis humilior. Folia utrinque concolora, faturate viridia: *primordialia polymorpha* (R. heterophyllus *Schultz.*), *alia fcilicet eaque juvenilia lineari-lanceolata bafi attracta ovataque, alia ovato-oblonga, bafi corda deliquefcentia, alia oblongo-lanceolata, bafi cordata, praeter figuram confiftentia, colore et marginis indole fecundum locum natalem varia,* cum tempore tamen et adulta ad figuram folitam, oblongam bafi cordatam transeuntia: caulina inferiora et media, excepta magnitudine conformia, e bafi plus minusve cordata oblonga, acuta, cubitalia et longiora: floralia anguftiora multo et minora, lanceolata f. lineari-lanceolata. Petiolus craffus, infra coftis elevatis caulis more fere angulatus, fuperne pone infertionem dilatatus, planus, coftis duabus juxta marginem excurrentibus notatus. Verticilli floriferi, multiflori, remotiusculi, laxi, foliolo uno alterove fuffulti. Pedicelli apice incraffati, bafi obfolete geniculati. Laciniae calycinae patentes, callis breviores. Valvulae bafi exacte cordatae plus minusve dilatatae, nervofo-reticulatae, integrae crenulataeve, omnes callo magno, lanceolato infcriptae. Semina magna, majora quam R. aquatici. Stigmata ut R. Hydrolapathi.

Stirps perpulchra, forfan tamen hybrida ex R. Hydrolapatho, patre et R. aquatico, matre, ab utroque tamen aconiti diftinguenda. A R. aquatico nempe, cui fimillimus et adfinior, differt: 1) radice intus flava nec fulva, craffiore; 2) caulibus ela-

tioribus, firmioribus, medulla penitus farcto; 3) foliis e basi inaequaliter cordata et multo minus dilatata oblongis, concoloribus, quae in illo subconformia, ovato-triangularia, basi dilatata, cucullata cordata sunt, latitudine proinde praecellunt et subtus e viridi glaucescunt; 4) petiolis dilatatis, planis, longioribus, qui in illo contracti et canaliculati sunt, dorso autem nervis elevatis, quibus R. aquaticus excellit, carent; 5) ramis patulis, paniculam acutam e verticillis remotioribus et laxioribus compositam sustinentibus, qui in illo strictiores, obtusiores sunt et paniculam subaphyllam, obtusam e verticillis approximatis quasi condensatam elevant; 6) valvulis similibus quidem at angustioribus, acutioribus et rigidioribus callo lanceolato semper inscriptis, quae in illo ovato-subcordatae, venoso-reticulatae, costatae sunt et ex natura callo carent aut rarius modo ejus rudimento obsoleto augentur, demum autem cum maturitate ob pedicellos tenuiores cum quodam sonitu contremiscunt.

169. Rumex aquaticus *L.* valvulis ovatis membranaceis nervoso-reticulatis integris costatis, verticillis approximatis aphyllis in paniculam condensatis, foliis inferioribus triangularibus basi cordata dilatata cucullatis, summis lanceolatis, caule angulato ramulisque strictis.

R. aquaticus *Linn. fl. suec.* 2. n. 315' *sp. pl.* I. 479. (excl. syn. *Bauh. Tabern.* et *Munt.*), *ed. Willd.* II. 255. excl. syn. *Hall. Tabern.* et *Munt.*), *Poll. pal.* n. 359. *Hoffm. germ.* I. 129. *Roth. germ.* I. 161. II. 425. *Leyss. hal.* 88. *Spr. hal.* 114. excl. syn. R. Hydrol. *Ehrh. pl. offic.* n. 114.

R. floribus hermaphr., valvulis integerrimis planis, foliis cordato-lanceolatis *Boehm. lips.* n. 574.

Lapathum aquaticum *Scop. carn.* ed. 2. n. 444.
L. foliis oblongis paniculis aphyllis *Zinn gott.* 39.
L. hortenſe latifolium *Rupp. jen.* 57.
L. folio ſubrotundo, ſemine laevi *Moriſ. hiſt*
L. aquaticum minus *Buxb. hal.* 179.
L. latifolium rotunda forma *Camer. hort.* 84
Hippolapathum ſ. Rhabarbarum monachorum *Dodon. pempt.* ſ. I. 648. *Camer. epit.*
H. maximum Rumicis genus *Thal. herc.* 57

Figurae. *Blackw.* t. 490. — *Moriſ. hiſt* I. ſ. V. 27. 10. a. b. — *Matthiol* 133. *Camer. epit.* 232. opt. — *Fuchſ.* 462. — *Lobel. icon.* t 285. bona.

Ad fluviorum ripas Salae, Unſtruth, Helme Thuring. inque pratis vicinis abundat.

Radix vaſta, multiceps, extus fuſcus, intus fulva, ſaporis acris. **Caulis** ſimplex, ſtrictus, ſulcatus, glaber, ſuperne in ramulos floriferos diviſus, 3—6-pedalis. **Folia** glaberrima, ſubtus glauco-viridia: radicalia e baſi cordata, ſinubus cucullatis clauſa triangularia, latiſſima, margine ſaepius ſubrepanda, acuta, quoad locum natalem varia, nonnunquam vero diametro baſeos transverſali, fere pedali, longitudinali bipedali: caulina ovata, baſi cordata, reliqua et floralia lanceolata, ſenſim minora ut in praecedentibus. **Petioli** ſupra contracti, fere canaliculati. **Ramuli** floriferi elongati, cauli approximati, paniculam denſam ſaepe cubitalem conſtituentes. **Verticilli** multiflori, diſtincti, aphylli, ob pedicellos elongatos quaſi approximati. **Pedicelli** inaequales, capillares, nutantes, baſi nodulosa inconſpicue geniculati. **Foliola calycina** valvularum baſin aequantia. **Valvulae** ſubcordato-ovatae, in apicem obtuſum, brevem productae, venoſo-reticulatae, omnes callo deſtitutae, coſta leviter prominente ſ. rarius (in hercynicis) calli rudimento ob-

ſoleto notatae, ſubintegrae ſ. denticulatae, maturitate membranaceo-ſcarioſae. Semen prioris.

Veterum ſynonyma et figurae certius extricari non poſſunt: illa enim nimis brevia: hae rudes omnino ſunt et neque foliorum neque valvarum figuram exacte reddunt. Inter hunc et priorem ambigunt figurae apud *Fuchſium* p. 462., *Lobelium* ic. t. 285., *Lonicerum* 513., *Parkinſonium* 1225., *Chabraeum* t. 309. f. 3., *Blackwellium* t. 490. ipſumque *Witheringium* in *Engl. bot.* XXX. t. 2104., quae mihi quidem aliquam cum R. maximo *Schreb.* prodere videtur ſimilitudinem.

Excurſus in Rumicum commutatorum trigam.

Deſcriptionibus et differentiis R. Hydrolapathi, R. maximi *Schreb.* et R. aquatici *L.* praemiſſis, ſequentem addere neceſſe eſſe videtur commentarium, fata et hiſtoriam ſpecierum ſingularum illuſtrantem. Etenim, quamvis nullum dubium in veterum rei herbariae ſtatorum operibus de Hydrolapatho exiſtere videatur, quamvis in multis plantarum enumerationibus celebre illud Lapathum longifolium nigrum paluſtre Muntingianum redierit et in illis deſcriptiones idoneae legantur: quamvis natura ipſa differentias haud aurificis ſtatera, ut aſſolet, ſed populari quadam trutina ponderandas ſtatuerit: quamvis denique cum *Ehrharti* teſtimonio, R. noſtrum R. acutum *Linnaei* verum eſſe (quod *Wahlenbergio* olim narrante, ab aliis botanicis ſuecicis *Ehrharti* opinionem forſan magis quam deſcriptionem Linnaeanam et laudatas figuras ſequuturis comprobatur), nova reluceſcere incipiant dubia, mira tamen ob alias ſpecies congeneres et in deſcriptionibus quidem, vix vero in natura ſimiles, non ſolum apud veteres auctores, ut ex Lapathi aquatici folio cubitali ſynonymis a *C. Bauhino* citatis elucet, ſed quoque apud

recentiores in plantis vulgatioribus conferendis minus anxios et exercitatos, ut ex R. aquatici interpretatione apud varios auctores perquam varia patet, orta est confusio mihique potissimum contigit ante multos jam annos plantam dubiis erroribusque nunc obrutam, priscis melius quam hodiernis notam et *Muntingii* de vera herba Britannica antiquorum panegyrico celebratam, a *Linnaeo* ad R. aquaticum, titulum vagum, rejectum, contra *Wahlenbergium* et *Ehrhartum* fortiter defendere illamque et a R. aquatico acutoque *Linn.* et a R. maximo *Schreb.* diversam proclamare. Primam confusionis ansam *Linnaeus* ipse dedisse videtur, R. aquaticum valvulis integerrimis nudis, foliis cordatis acutis insignem in *Fl. suec.* et *Sp. pl.* cum *C. Bauhini, Tabernaemontani, Matthioli* et *Muntingii* synonymis descripturus: ex illo saltem tempore R. aquatici notionem amplissimam et perquam ambiguam in plantarum catalogis divulgatam esse, reor. Errorem primum cognovit et synonyma veterum a scientiae statoribus ad Lapathum aquaticum folio cubitali, a *Linnaeo* autem aliisque ad R. aquaticum promiscue citari, professus est *Hudsonus* (ann. 1762) R. Hydrolapathum distinguens et in flora anglica optime indicans. Planta botanicis germanicis hucdum ignota *Timmii* studio demum (ann. 1789) reluxit et ab illo l. l. optime describitur. Interea et eodem fere tempore *Willdenowius* etiam Rumicem nostrum in paludibus berolinensibus indagavit et titulum Hudsonianum negligens, novo falsoque R. Britannicae, pl. virginicae nomine divulgavit eumque *Hoffmannus, Rothius* et *Schkuhrius* persequuti sunt. Rumex et in Anglia et in Germania et prius jam ab *Hallero* (1760) in Helvetia observatus, nomine *Hudsoniano* non solum in *Aitonii Hortum Kewensem* ed. I., sed quoque in *Sp. pl.* a *Willdenowio* editas aliaque opera transiit. Attamen vero, *Smithii* gravissima fideique Linnaeanae

digna auctoritas, ſpeciem Hudſonianam mox iterum concuſſit et ad aliquot tempus abolevit, quod *Witheringius* (*Arrangement of Britiſh plants*, ed. III. T. I. 374.) antea in ed. II. utramque ſpeciem diſtinguens prius jam monuerat, et ab illo inde tempore *Smithius* aliique auctores, nominatim cl. *Sprengelius* *) et *Horti Kewenſis* editor R. Hydrolapathum *Hudſ.* pro mera R. aquatici *Linn.* declarant varietate: *Willdenowius* autem in *enum. pl. h. Berol.* R. Hydrolapathum valvulis triangularibus ovatis, foliis lanceolatis baſi attenuatis inſignem ſolum retinens, R. aquaticum *Linn.* et *auct.* pro ejus varietate conſiderat, valvulas autem granula ſaepius obſoleta gerere et foliis radicalibus baſi cordatis excellere (!!) adnotat. Similis error, ex alio tamen fonte, in *Candollii Fl. gallicam* conſummatam quoque irrepſit, in qua hoc loco R. Hydrolapathum exacte deſcribitur, alio autem (*ſynopſ.* 193.) folia cordato-lanceolata adſcribuntur, quae in *Fl. gallica* ipſa, in qua R. aquaticus *L.* et R. Hydrolapathum *Hudſ.* ſynonyma indicantur, denegantur.

Unde vero hae et aliae diſſenſiones de Rumicibus affatim diſtinguendis inter varios auctores proficiſcantur, equidem dicere non audeo. Etenim R. Hydrolapathum neque ſimilitudinis ratione neque affinitatis vinculis cum R. aquatico connecti nec utrumque omnibus partibus inter ſe alienum ab ullo commutari poſſe, probabile eſt. Majorem ſimilitudinem R. maximus *Schreb.* cum utroque edere videtur, ita ut foliorum fabrica et figura generali R. aquaticum, valvularum proprietate autem R. Hydrolapathum paene fingat, quamvis ab utroque diſtinctiſſimus ſit nec unquam in alterumutrum transeat. Hunc igitur ipſum miris illis auctorum erroribus anſam praebuiſſe et ob mutuam cum utro-

*) R. Hydrolapathum *Ait. Hudſ.* nonniſi levis eſt R. aquatici *Linn.* varietas, ubi granulum alias obſoletum paullo prominet. *Spreng. hal.* 114.

que relationem cum R. aquatico transitus finxisse, mihi satis probabile esse videtur.

170. Rumex scutatus *L.* valvulis ovatis obtusis integerrimis submembranaceis venoso-reticulatis callo destitutis, verticillis paucifloris remotis aphyllis, foliis radicalibus ovatis subpandurae-formibus basi hastatis, reliquis subdeltoideo-hastatis, cauleque tereti diffuso glaucis.

R. scutatus, floribus hermaphroditis, foliis cordato-hastatis, caule tereti *L. hort. cliff.* 138. *sp. pl.* 480. ed. *Willd.* 257. *Poll. pal.* n. 360. *Hoffm. germ.* 173. *Roth. germ.* I. 161. II. 426.

R. scutatus fl. hermaphroditis, valvulis nudis, foliis cordato-hastatis, obtusiusculis cauleque glaucis *Ann. bot.* 56.

Lapathum foliis sagittatis, cis mucronem latissimis, hamis reflexis divergentibus *Hall. helv.* n. 1594.

Acetosa romana *Munting.* l. l. p. 224. *Blackw.*

Ac. rotundifolia hortensis *Bauh. pin.* 114. *Moris. hist.* II. 583. *Buxb. hal.* 4. *Rupp. jen.* 59.

Oxalis rotundifolia *Dodon. pempt.* 649. *Tabern. hist.* II.

Figurae. *Lobel. icon.* 292. *Dodon.* 649. *Tabernaem.* 826. *Dalech.* I. 605. *Chabr. stirp.* 311. f. 4. *Munting.* t. 22. fol. 200. *Moris.* f. V. t. 28. f. 9. *Blackw.* t. 306.

In ruderibus arcis destructae ad Memmleben olim primum reperi.

R. scutatum in loco a me indicato spontaneum esse, satis probabile est. — R. glaucus *Jacq.* (*icon. rar.* I. t. 67. *collect.* I. p. 64.) caule suffruticoso var. ex cultu orta; R. hastifolius *M. Bieberst.* vero tandem in R. scutatum transire videtur.

Sectio III. ACETOSAE.

Flores dioici. Perigonii valvulae subrotundae, integerrimae.

171.* Rumex Acetosa L. valvulis subrotundis membranaceis venoso-reticulatis, omnibus basi cordata squamatis, squama calycibusque reflexis, foliis ovato-lanceolatis sagittatis.

α. pratensis W., paniculae ramis simplicibus strictis, hamis foliorum retrorsum porrectis convergentibus integris.

R. Acetosa *floribus dioicis, foliis oblongis sagittatis h. cliff.* 130. *sp. pl.* 481. ed. *Willd.* 260. *Poll. pal.* n. 361. *Hoffm. germ.* 173. *Smith. brit.* 396. *Spreng. hal.* 114.
Lapathum Acetosa *Scop. carn.* II. 438.
L. sexubus separatis, foliis sagittatis, hamis retrorsum porrectis *Hall. helv.* n. 1597.
Acetosa vulgaris s. Rumex campferinus *Munting.* l. l. p. 221.
Acetosa pratensis *Bauh. pin.* 114. *Rupp. jen.* 58 *Buxb. hal.* 4.
Oxalis major *Camerar. Thal. hercyn.* 82.
Oxalis s. Acetosa I. *Tabernaem. Trag. Fuchs. Dodon.*

Figurae. *Brunschw.* f. 19. b. — *Petiv.* III. 1. — *Lobel. ic.* 290. 2. *Dodon.* 648. — *Fuchs.* 175. — *Lonicer.* 220. f. 1. — *Dalech. hist.* I. 604. — *Tabernaem. hist.* 826. — *Matthiol.* 133. *Camer. epit.* 230. — *Munting.* t. 19. fol. 174. — *Moris.* s. V. 28. 1. — *Chabr. stirp.* 311. f. 2. *Blackw.* 230. — *Engl. bot.* II. tab. 127.

β. auriculatus *Wallr.*, paniculae ramis patentibus-ramosissimis, hamis foliorum lineari-lan-

ceolatorum divergentibus longe auriculatis, radice fusiformi.

R. intermedius *Decand. fl. fr.* V. 369.
R. Acetosa var. β. crispa *Linn. sp. pl.* 481. ed. *Willd.* 260. — *Leyss. hal.* 88. *Roth. germ.* I. 162.
Acetosa foliis crispis *C. Bauh. pin.* 114. *Rupp. jen.* 58. *Buxb. hal.* 4.
Oxalis crispa IV. *Tabernaem. hist.* 827. opt. *icon.* 440. — *J. Bauh. hist.* II. 990. *Moris. hist.* II. 582. f. V. 28. 2. *Chabr. stirp.* 311. f. 3.

V. α. in pratis, pascuis, sylvis caeduis et promontoriis sylvaticis abundat et in hortis ad usum culinarem quoque seritur: v. β. in pascuis apricis editioribus pratisque sterilioribus circa Giebichenstein, Kroellwitz vulgaris, aliis etiam extra fines locis v. c. ad Heringam, Nordhusam passim, fere semper in Sedi acris, Trifolii striati et R. Acetosellae consortio. Fl. Maj. Jun. var. β. Aug. valv. mat. Sept.

Radix fibrosa, flava, intus albo-flavescens, in var. β. fusiformis, vasta, cubitum longa, digitum crassa, terram profunde penetrans, fusca, lignosa, intus dilutior. Caulis teres, striatus, simplex, fistulosus, in var. β. multi ex eadem radice, stricti, intus farcti indeque lignea fere duritie insignes, 1—2-pedales. Folia radicalia ovata, obtusa, basi sagittata, hamis porrectis brevibus acutis, jam integris, jam parce incisis: reliqua lanceolata, brevius petiolata, in var. β. lanceolato-linearia, acuminata, undulato-crispa, decimetrum integrum saepe longa, basi hastata, hamis undulatis, acuminatis, integris incisisve, patentissimis, lobulis divaricatis angustioribus antrorsum porrectis plerumque auriculatis (bifurcatis *Bauh.*), raro simplicibus: summa sessilia, amplexicaulia, in var. β. angustissima, sensim minora. Panicula terminalis aphylla, ex ramulis subsimplicibus, erectis,

in var. β. ex ramulis plurimis, patentibus, iterum in ramulos abbreviatos, divaricatos divisis composita. Flores dioici semiverticillati. Pedicelli graciles, media parte incrassati, geniculati, plus minusve longi. Valvulae exacte subrotundae, venoso-reticulatae, membranaceae, integerrimae, nudae, in var. β. minores plerumque et papulis exiguis crystallinis quasi exasperatae, omnes basin versus calli loco, squamula reflexa, obtusa munitae. Laciniae calycinae diaphanae demum reflexae, conniventes. Semen triquetrum, ovatum, castaneum, valvulis brevius.

Callus in hac specie aliter quam in reliquis comparatus est: squamam dixi, quam fingit tanquam appendicula squamaeformis. Permultae exstant varietates quoad habitum foliorumque formam satis insignes. Var. foliis hirsutis, (Acetosa sylv. subincana et villosa *Vaill. bot. parif.* p. 2.) in pomariis nostris passim occurrit. Acetosa in hortis culta habitum plane peregrinum induit et foliis maximis et obtusis excellit. Oxalis major Brockenbergensis *Thal. herc.* 114. S. Acetosa montana maxima *C. Bauh. pin.* 114. *Hall. opusc.* 190. ad Rumicem arifolium *Allion. ped.* n. 2040. pertinet (*Bocc. muf.* t. 125.), qui a *Linn. fil.* et *Aitonii* ejusdem nominis Rumice (R. abyssinicus *Jacq.*) diversissimus est.

R. crispum veterum s. R. auriculatum nostrum, quem cl. *Candollius* R. intermedii nomine denuo distinxit, meram esse R. Acetosae varietatem loci natalis potestate genitam, plantae indole polymorpha edoctus veterum rei herbariae statoribus lubens concedo simulac vero differentias, quarum ope a R. Acetosa pratensi, primo intuitu dignosci potest addo, ut nuperi auctores de summa plantarum quarumdam mutabilitate dubitantes, sibi persuadeant, Naturam in quibusdam plantis mire ludere et formas jactare plane peregrinas, notis certioribus quidem recognoscendas, nunquam tamen specie di-

ſtinguendas. Differt scilicet R. auriculatus noſter ab Acetoſa vulgari: 1) radice fuſiformi, craſſa, quae in illo: fibroſa eſt. 2) caulibus pluſimis ex eadem radice, productioribus, craſſioribus, firmioribus, farctis, ſuperne ramoſiſſimis, qui in illo: fiſtuloſi ſunt et facile comprimuntur. 3) foliis caulinis lanceolato-linearibus, undulato-criſpis, anguſtiſſimis, poſtice haſtatis, hamis divergentibus longe auriculatis, quae in illo: oblonga, plana, plus minusve obtuſa, multo latiora, poſtice ſagittata, hamis convergentibus ſimplicibus brevioribus inciſis inſignia ſunt. 4) ramis maſculis foemineisque ramoſiſſimis, iterum in ramulos patentes diviſis, qui in illo ſimplices eſſe ſolent. 5) valvulis ovatis, minoribus, quae in illo: ſubrotundae et majores. 6) loco natali diverſo: in ſolo macro, ſterili, in Sedi acris, Ceraſtii vulgati al. ej. conſortio: ille vero in pingui, udo, umbroſo. 7) tempore florendi magis ſerotino: floret R. auriculatus Julio menſe et valvulas maturat Auguſt. Septembr. idque in ſolo aprico: ille Majo et Jun. Jul. menſibus valvulas jam demittit, ubi noſter vix inchoat valvulas explicare.

Quin, ejusmodi notae, quae diſtinctionem ſuadere poſſint, ſpeciminibus germanicis, belgicis et *gallicis* ipſaque *Tabernaemontani* figura praeſtantiſſima egregie confirmantur: attamen nunquam ad ſpeciem diſtinguendam idoneae ſunt. Specimina ſub R. tuberoſi titulo a bot. gallicis celeberrimis data, in Gallia auſtrali lecta, quotquot vidi *in herbario cl. Mertenſii* ditiſſimo, ad unguem cum noſtris agro hal. indigenis congruunt.

172. Rumex Acetosella *L.* valvulis ovatis coſtatis parce-reticulatis papuloſis ſemen ſubaequantibus, calycibus adpreſſis, foliis haſtatis lanceolato-linearibus.

Lapathum arvenſe *Lam. fl. gall.* III. 8.
Acetoſa haſtata *Moench. meth.* 357.

Rumex Acetofella *fp. pl.* I. 481. ed. *Willd.* II. 260. *Poll. pal.* n. 362. *Hoffm. germ.* I. 173. *Roth. germ.* I. 162. II. 427. *Spreng. hal.* 114.

A. MAJOR, caulibus elatioribus fubfimplicibus fuperne in ramulos divifis.

α. LATIFOLIUS, foliis lanceolatis haftatis.

R. Acetofella *Flor. dan.* t. 1161. opt.
Acetofa arvenfis *Blackw.* t. 307.
Ac. lanceolata *Münt.* t. 21. f. 189.
Oxalis minor *Matth.* p. 133. *Camer. epit.*

β. INTEGRIFOLIUS, foliis oblongo-lanceolatis in bafin integerrimam attenuatis.

γ. ANGUSTIFOLIUS, foliis lineari-lanceolatis, hamis fimplicibus.

Acetofa lanceolata anguftifolia elatior *Morif. hift.* II. 581.
Ac. anguftifolia elatior *Parkinf.*

δ. LACERUS, foliis lineari-lanceolatis, hamis divifis.

B. MINOR, caulibus plurimis in caefpitem junctis a bafi inde ramofis.

α. LANCEOLATUS, foliis lanceolatis, hamis patentiffimis.

Acetofa arvenfis lanceolata *C. Bauh. pin.* 114. *Morif. hift.* II. 584.
Oxalis ovina *Tabernaem. hift.* 824. opt.
Acetofa minor lanceolata *Parkinf. Lonicer. hift.* 220.

β. TENUIFOLIUS, foliis hamisque linearibus conformibus

Oxalis tenuifolia *Gerard.*

γ. MULTIFIDUS. foliis linearibus. hamis palmato-multifidis.

R. multifidus fl. dioicis, foliis haftatis, auri-

culis palmatis *Linn. sp. pl.* I. 482. ed. *Willd.* II. 261. *Thuill. par.* II. 184.
R. Acetosella v. δ. *Linn.* l. l. *Leyss. hal.* 89.
Acetosa minor erecta lobis multifidis *Boccon. muf.* II. 164. t. 126.

δ. PROCURRENS, caulibus basi radicantibus diffusis procurrentibus, ramulis floriferis adscendentibus.

Acetosa lanceolata angustifolia repens *C. Bauh. pin.* 114. *Vaill. bot. paris.* p. 2. *Buxb. hal* 4.
Oxalis VI. minima I. *Tabernaem. hist.* 827.

C. MINIMA, foliis omnibus integerrimis, radicalibus subrotundis, caulinis lineari-filiformibus.

Ox. VII. minima II. *Tabernaem. hist.* 827.
Omnes varietates in asperis apricis et arenosis laetantur et promiscue occurrunt.

OCTANDRIA.

173. EPILOBIUM MONTANUM *L.* foliis oppositis ternisve ovatis dentatis subsessilibus, caule tereti, petalis bifidis calyce majoribus, stigmate quadripartito. — *Vahl. flor. dan.* t. 922. opt. Ep. roseum *Spr. hal.* 118.

174. EPILOBIUM ROSEUM *Schreb.* foliis inferioribus petiolatis ovato-lanceolatis utrinque attractis dentatis, caule teretiusculo lineato, petalis emarginatis calycem aequantibus, stigmate clavato indiviso. — *Engl. bot.* 10. t. 693. Ep. roseum *Schreb. spicil.* 147. *Retz. Ehrh. Hoffm. Roth.*

Propter foſſas pone Pfitzenburg, ad Seeben et alibi.

Habitu externo Epilobium montanum exacte refert nec deſunt auctores, qui noſtrum illius habent varietatem (*Spreng. mant.* II. 13.), quae ſequentibus fere differt: 1) caule teretiusculo, inferne lineato. 2) foliis omnibus, ne imis quidem exceptis, lanceolatis magis inque petiolos leviter attractis. 3) petalis ovatis, emarginatis, multo minoribus, dilute roſeis ſiccitate fere albentibus. 4) ſtigmate clavato, indiviſo, breviore.

175. Acer campestre *L.* foliis trilobis, lobo extremo trifido, lateralibus bilobis figuram 5-lobam mentientibus, floribus racemoſis erectis, alis fructuum patentiſſimis.

α. eriocarpon *W.*, fructibus pubeſcentibus, alis ſubconvergentibus. — Acer campeſtre *auctor.*

β. leiocarpon *W.*, fructibus glaberrimis, alis divergentibus. — Acer campeſtre *Gaertn. fruct.* t. 116. A. auſtriacum *Trattin. Arch.* t. 6.

Var. β. in nemoribus Ziegelrodenſibus v. c. bey der Knabeneiche et alibi. Fere ſemper arboreſcit.

Mire variat loborum folii facie, fructuum indole eorumque alarum directione, quae jam magis minusve patet, jam divergit et nonniſi fere reflectitur. Fructuum glabrities ludicram largitur differentiam et Aceribus arboreſcentibus propria eſſe videtur.

176. Polygonum Persicaria *L.* floribus hexandris digynis in paniculam ovato-oblongam erectam congeſtis, petalis ſubtrinerviis, foliis ovato-lanceolatis glabris, ochreis laceris ciliatis petiolisque abbreviatis, caule erectiusculo geniculis remotis incraſſato. — *Schk.* t. 108. opt.

177. POLYGONUM LAPATHIFOLIUM *L.* floribus hexandris digynis in paniculam ovato-oblongam congestis, pedunculis scabris, stipulis superioribus tenuissime ciliatis, foliis nervis petiolisque adpresso pilosis, seminibus utrinque impressis, stigmatibus reflexis.

α. ACUTIFOLIUM *W.*, foliis oblongis utrinque acuminatis.

β. LATIFOLIUM *W.*

γ. ANGUSTIFOLIUM *W.*, foliis lineari-lanceolatis subtus incanis.

Var. α. ad ripas Salae hinter Giebichenstein, β. ad fossas, γ. inter segetes in inundatis. Varietatibus dissimillimis ludit.

178. POLYGONUM HYDROPIPER *L.* floribus hexandris semidigynis in spicas filiformes laxas nutantes dispositis, petalis glanduloso-punctatis, foliis lanceolatis acuminatis, ochreis ventricosis membranaceis, inferioribus margine setoso-ciliatis, superioribus truncatis nudiusculis. — *Schk.* t. 108. opt. *Blackw.*

179. POLYGONUM MINUS *Hudf.* floribus hexandris semidigynis in spicas filiformes laxas erectiusculas dispositis, foliis lineari-lanceolatis, ochreis membranaceis, superioribus oblique truncatis ciliato-barbatis, petalis impunctatis.

β. INCANESCENS *W.*, pygmaeum, foliis subtus incanis.

Var. α. ad vias udas sylvaticas, β. in turfosis ad Doelau, Langenbogen.

180. POLYGONUM AMPHIBIUM *L.*

α. NATANS *W.*, foliis oblongis obtusis basi obliqne ovatis longe petiolatis utrinque margineque glaberrimis nitidis, petiolis vaginis quadruplo longioribus laevissimis, caule fluitante. — *Flor. dan.* 282. *Tabern.* 1117. var. angustifoliam reddit. Pot. iteophyllon *Thal. herc.* 86. Persicaria palustris fluitans, foliis brevioribus et latioribus, florum spica speciosa, purpurea compactiore *Rupp. jen.* 98.

β. AQUATICUM *W.*, foliis oblongis obtusiusculis oblique subcordatis petiolatis utrinque glaberrimis margine scabriusculis, caule radicante erectiusculo.

γ. TERRESTRE *W.*, foliis lanceolatis acuminatis basi cordatis brevissime petiolatis utrinque margineque adpresso-pilosis, petiolis vagina brevioribus nervosis, caule erecto. — *Engl. bot.* 282. *Rupp. jen.* 98. P. amph. terrestre *auct.*

Nulla propemodum planta summam omnium partium mutabilitatem certius testificatur et in quibusdam plantis nullas ex foliorum basi, figura generali, pube, habitu etc. depromendas esse differentias, evidentius profitetur, quam P. amphibium, in variis locis perquam polymorphum.

DECANDRIA.

XXI. MONOTROPA.

Calyx corollinus 3 — 4-phyllus. Corolla 4 — 5-petala: petala in nectarothecas fornicatas desinentia. Stamina 8 — 10. Antherae inermes. Ovarium liberum. Stylus cylindricus. Stigma infundibuliforme volvatum. Capsula 4 — 5-valvis, basi appendiculata, 4 — 5-locularis; valvae medio semiseptiferae, basi connatae, receptaculum centrale

4—5-gonum elevantes. Semina arillata, scobiformia, numerosissima, receptaculo affixa.

NB. Partes fructificationis in flore terminali numero quinario: laterales omnes quaternario excellunt hincque generis notas ambiguas reddunt.

181. MONOTROPA HYPOPHEGEA *Wallr.* racemo paucifloro, nubili conferto nutante, fructifero surrecto laxo, floribus ovatis eroso-laceris, *staminibus styloque* obconico tereti glabris, stigmate *subinfundibuliformi* sub4-gono capsulaque *subrotunda glaberrimis.*

M. Hypopitys α. glabra *Roth. germ.* II. 462.
M. Hypopitys *Poll. palat.* 402. aliorumq. auct.
Orobanche Hypopitys dicta *Mentz. pug.* t. 3. *Moris. hist.* s. XII. 16. 13.

Subter fagos in humo laxa faginetorum umbrosorum saltus Ziegelrodensis et alibi. Jul. Aug. Specimina fructifera perstant et alio anno saepius leguntur.

Radix e corpusculis carnosis, albis, filorum byssoideorum, terram penetrantium et in massam compactilem, uniformem, tersam, ac si fungorum matrix sit, mutantium ope inter se conglobatis et cum terra interjecta unitis et módo daedaleo implexis composita et aliis insuper, praeter caulem floriferum, plantarum novarum primordiis serius aut altero anno florentibus aucta, perennis. Scapus simplicissimus, teres, laevis, farctus, apice racemosus, inferne leviter incrassatus, tortuosus, pennam anserinam crassus, squamis undique tectus, floriferus digitalis et altior, fructiferus procerior, vivus ut reliquae partes, straminis instar pallescens. Squamae foliorum vices agentes et inter flores bractearum specie redeuntes, ovales, obtusae, enerves, nudae, sessiles, basin versus dente uno

alterove irregulariter incisae, inferne imbricatae, superne remotae, cum reliquis partibus concolores. Florum racemus pauciflorus, ante florescentiam pendulus, inter illam nutans s. cernuus, post illam surrectus. Flores ovati, ante florescentiam interque illam in racemum densum collecti et bracteis illos aequantibus tecti, cum caule superiore concolores. Pedicelli teretes, glaberrimi, brevissimi. Calyx corollinus, in flore terminali 4-, in lateralibus 3-phyllus, foliola petalis corollae breviora earumque fornicibus melliferis interjecta, e basi attenuata ovato-oblonga, obtusa, apice tenuissime fimbriata, plana, stamina aequantia et cum bracteis concolora. Corolla in flore terminali, primori, 5-petala, in reliquis 4-petala, rarius etiam in speciminibus minoribus 3-petala: petala oblonga, obtusa, crenulata, e basi concaviuscula in nectarothecas, breves, scrotiformes desinentia, inter se cumque foliolis calycinis incumbentibus in tubum ovatum congesta et apice truncato breviter expansa stigma subaequantia, utrinque glaberrima aut intus leviter pubescentia (M. Hypopitys α. glabra *Roth.*), paullulum saturatius flavescentia. Stamina in flore terminali decem, in reliquis octo, inaequalia, inter appendiculas brevissime prominentes ovarii alternatim exeuntia, alba, glaberrima aut in variet. parce leviterque hirsuta. Antherae inermes, subrotundae, parvae, rubentes, polline albo farctae, demum effoetae, fuscescentes. Ovarium subrotundum, styli longitudinem superans, basi 8 — 10 appendiculis, instar calcarum prominulis et per paria adpropinquatis munitum, leviter sulcatum, glaberrimum, punctis subtilissimis, verrucaeformibus, sparsis inscriptum. Stylus brevis, obconicus, teres, glaber. Stigma subinfundibuliforme, tumidum, nitidum, pilis semper carens, ex partium fructificationis ratione 4—5-gonum, intus in totidem plicas exaratum, demum aurantiacum. Capsula subrotunda, extus sulcata, staminibus duplo brevior.

Variat: ſtaminibus et corollae petalis hirſutiuſculis, qualem clar. *Rothius* ante oculos habuit et caulibus unifloris.

182. MONOTROPA HYPOPITYS *L.* racemo multifloro conferto, nubili nutante, fructifero ſtricto, ſtaminibus, petalis utrinque ſtylo cylindrico pedicellisque exſertis capſulaque ovata hirſutis, ſtigmate ſubrotundo infra villo denſo coronato.

M. Hypopithys β. hirſuta *Roth. germ.* II. 462.
M. Hypopithys *Linn. ſuec.* n. 351. *Sp. pl.* I. 555. excl. ſyn. *Mentz.* et *Moriſ.* — *Oeder. fl. dan.* t. 232. opt.
Orobanchoides noſtras flore oblongo flaveſcente *Tourneſ. Act. reg. ſoc.* XI. 450.
Hypopitys Rivin. *Rupp. jen.* 90.

In pineto halenſi, v. c. am Doelauer Wege inque quercetis nemoris Roſslebenſis eodem cum priore tempore.

Deſcriptionem ex ſpeciminibus fructiferis minus exacte concinnandam ad aliud tempus et locum volui procraſtinare. Differt autem *M. hypophegea* noſtra a *M. Hypopitys*: 1) colore totius herbae flaveſcente et odore mellino obſoleto; qui in hoc ſtraminis inſtar palleſcit et fortius ſpirat. 2) ſcapo digitali, ſpithameo, paucifloro: qui in hoc, altior plerumque, craſſior et multiflorus eſſe ſolet. 3) ſquamis caulinis ovato-oblongis: quae in hoc, ovatae, duplo latiores ſimulac rariores ſunt. 4) racemo nubili e floribus ovatis breviſſime pedicellatis conſtipato et bracteis glabris pedicellos et flores obtegentibus quaſi tecto: qui in hoc e floribus oblongis, breviter pedicellatis laxus, et ex pedicellis cum rhachi tenuiter pubentibus, saepius ſubdivaricatis patulus demum evadit. 5) petalis

corollae eroſo-laceris, nudiusculis, conniventibus, ſtigma ſubaequantibus: quae in hoc integra, margine et facie interna pilis rigidulis undique horrent et quaſi velutina ſunt, ſtigma longe excedunt illudque penitus occultant et ex laminis ſubreflexis patent. 6) ſtaminibus pilis omnino deſtitutis: quae in hoc pilis patentibus undique hirſuta ſunt. 7) antheris minoribus: quae in hoc, effoetae, in lamellam anticam duplo majorem debiſcunt. 8) ovario ſubrotundo ſtylo breviore, glaberrimo, punctis verrucaeformibus raris adſperſo, flavo: quod in illo, ovatum, hirſutum, ſtylo brevius, punctis oleoſis illis caret et potius palleſcit. 9) appendiculis ovario ſubſtratis et ſtamina alternatim concipientibus, prominentibus, flavis: quae in hoc obſoletae, palleſcunt. 10) ſtylo brevi, obconico, glabro, tereti, valido, cum ovario concolore: qui in hoc, duplo longior, ſubangulatus, pallide flaveſcit, apicem verſus potius attenuatus et pilis undique horret. 11) ſtigmate 4 — 5-angulato, infundibuliformi, tumido, extus intusque pilis deſtituto, nitido, aurantiaco: quod in hoc, rotundum, infra villo denſo, patente, albo cinctum et quaſi barbatum, citrinum eſt. 12) capſula exacte ſubrotunda, nuda, e valvis medio ſulcatis compoſita: quae in hoc ovato-oblonga, hirſuta e valvis planiuſculis aut leviter coſtatis conflatur.

Multa profecto in Monotropae generis hiſtoria aut eventilanda aut comprobanda ſunt, nec piget hoc loco dubiis, ab auctoribus inter ſe mire diſſentientibus, propoſitis tandem finem facere. Agam vero protenus de ſpeciebus denuo et acutius diſtinguendis et differentias huic fini idoneas profitear atque defendam. Monotropam et Orobanchen, genera affinitatis vinculo connecti, ex creſcendi vivendique modo et habitu conformi elucet, eaque eodem plane modo, ſiquidem ineptire fas eſt, pro Orobanche ex clivis apricis ad umbram fagorum nocturnam detorſa ibique transmutata, quam cum

Richardio (*Analyse der Frucht v. Voigt.* p. 33.) pro Lathraeae Squamariae peloria haberi potest. Summam partium sexualium hirsutiei et glabritiei in Orobanches generis speciebus distinguendis adscribendam esse fidem, plurimi quidem professi sunt auctores: similes etiam in Monotropa quidem redire videntur, vix tamen per se stabiles et ad speciem designandam idoneae sunt et differentias, quae in capsulae figura inque pube parti nobiliori propria certae exstant atque inconcussae modo mentiuntur. Hinc quoque M. hypophegean nostram, quae passim ex nisu naturali petalis staminibusque leviter pubescit et primo intuitu cum M Hypopity similitudinem quamdam fingit, nullo pacto glabritie solum sed partium nobiliorum fabrica alienam a M. Hypopity hirsuta temere dignoscendam esse volo. Utrum foliola corollae externa, pedicellis superioribus appropinquata et fornicibus nectariferis porrectis interjecta, corollae partes sint sive calycem constituant, in eo auctores bipartiuntur. *Linnaeus*, *Smithius*, *Hoffmannus* aliique calycem denegant: *Pollichius* calycem cum corolla vera commutat: alii vero, ex quorum numero *Candollius*, *Gaertnerus*, *Schkuhrius* et *Sprengelius* sunt, petala exteriora pro illo sumunt. Et recte quidem. Illa enim foliola, quae in utraque specie angustiora et breviora sunt, calycem corollinum praestare, inde propemodum elucere mihi videtur, quod pedicello adfixa, dilutiora, cum bracteis concolora sint et cellularum reticulo aliter et cum bracteis similiter exstructo praecellant suasque vices ostendant. Numerum petalorum, foliolorum calycinorum, staminum, et capsulae valvarum in ejusdem stirpis floribus variare: terminales scilicet, simulac majores, partium fructificationis numero quinario, laterales autem quaternario inter se variare, *Buxbaumio* jam innotuit. — Radix, quam *Smithius* cl. parasiticam, squamosam et e fibris tenuissimis compositam in M. Hypopity indicat, in M. hypophegea

nostra longe aliena est et mihi forsan contigit, veram ejus naturam primum indicasse. Monotropas Germaniae indigenas in arborum variarum, Pinuum v. c. Quercuum, Fagorum, Populorum radicibus parasitari; omnes perhibent auctores. Equidem dubito. Aliam enim naturam radicis fabrica perquam singularis et vix cum alia quapiam conferenda nec incongruenter cum Fungorum matrice comparanda et crescendi locus ostendere videntur. — Flores nubiles racemum cernuum, effoeti vero surrectum constituentes, varietates nequaquam largiri, pro quibus *Willdenowius* declarat, ex supra dictis intelligitur.

183. PYROLA ROTUNDIFOLIA foliis subrotundis, segmentis calycinis linearibus acuminatis ovarium superantibus, staminibus adscendentibus, pistillo capsula triplo majore declinato, stigmate radiato. — *Camerar. epit.* p. 723. *Engl. bot.* III. t. 213.

Florae danicae icon t. 110., quam omnes auctores et nominatim *Smithius*, *Willdenowius*, *Wahlenbergius* et *Sprengelius* ad P. rotundifoliam citant, diversissima est et Pyrolam mediam *Swartz.* (*Act. Holm.* 1804. p. 263. t. 7 *engl. bot.* t. 1945.) a nostris nemoribus procul dubio haud alienam egregie repraesentat. *Sturmii* icon I. t. 13. quam cl. *Sprengelius* P. rotundifoliae adscripsit, Pyrol. chloranthaın bene exprimit

P. rotundifoliae var. foliis ovatis in nemoribus Loderslebensibus passim occurrit.

† 184. PYROLA CHLORANTHA SW. foliis ovalibus, segmentis calycinis ovatis obtusis, ovario duplo minoribus, staminibus conniventibus, an-

theris bicornibus, pistillo capsula triplo majore incrassato deflexo, stigmate cucullato.

P. chlorantha staminibus subadscendentibus, pistillo declinato, stylo incrassato, laciniis calycinis adpressis, scapo subnudo; racemo multifloro. *Swartz. Act. Holm.* 1810.

P. media, *Rudolphi* floribus racemosis dispersis, staminibus subadscendentibus, stylo declinato, squamis caulinis linearibus. *Kunth. berolin.* I. 115.

P. flore viridi, minor *C. Scheffer delic. hal. Knauth. Buxbaum. hal.* 275. *Rupp. jen.* 293.

In saltu Ziegelrodensi links vom Dorfe et in pineti halensis betuletis beym Heydehause, prope Nietleben, ubi a *Buxbaumio* jam indicatur.

Radix repens, adscendens. Caules ut in P. rotundifolia, tamen fere nudi nec bractea una alterave, ut in P. minore, *muniti*, plerumque minores. Folia *petiolata*, exacte ovalia, parce crenata, glaberrima. Racemus *terminalis* ex 8 — 12 floribus compositus. Pedicelli alterni, basi bractea lineari illisque breviore suffulti. Segmenta calycina, brevissima, exacte ovata, obtusa. Corolla ut P. rotundifoliae, at pallide virens. Stamina cum antheris circa ovarium congesta, subadscendentia. Stylus capsula longior, incrassatus, deflexus, infra stigma tuberculatum marginatus quasi cucullatus.

Intermedia est inter sequentem et P. rotundifoliam et huic corollae habitu, illi segmentis calycinis similis, ab utraque tamen abunde differt: foliis ovalibus; segmentis calycinis ovatis, obtusissimis, staminibus curvatis, antheris in cornua bina distincta, obtusa apice productis, stylo incrassato infra stigma volvato et aliis signis, quae in exsiccatis minus certe possunt extricari. P. asarifolia *Mich. amer.* 251. *Pursh amer.* I, 299. vix differre videtur.

Pyrolam hanc et distinctissimam et pulcherrimam, a *Sch e f f e r o*, de plantis agro halensi indigenis scriptore primo jam (1660) detectam, reliquis vero, *Kn a u t h i o* et *B u x b a u m i o* exceptis, ignotam diu jam antequam *S w a r t z i i* synonymon mihi innotuit, recognovi et P. intermediae nomine ab anno 1813 inde in herbario conservavi idque decus florae halensis vetustissimum, nimis negligenter autem praetervisum, profecto haud sine taedio nomine peregrino introduco.

185. PYROLA MINOR foliis subrotundis, segmentis calycinis ovatis breviter acuminatis ovarium aequantibus, staminibus pistilloque capsula minori rectis, stigmate peltato. — *Engl. bot.* t. 158.

In nemoribus nostris rarius.

Differt haec a P. rotundifolia, habitu floribusque minoribus, staminibus patentibus, segmentis calycinis ovatis corollis adpressis et stylo recto brevissimo capsula duplo breviore: a P. chlorantha praeter corollae colorem et habitum diversum, foliis subrotundis, segmentis calycinis basi valde dilatatis ovatis, breviter acuminatis, styli longitudine, stigmatis ratione et antheris multo minoribus truncatis nec in cornua distincta productis. Pyrola media *S w a r t z.* denique, proxima sane, corollis speciosioribus, globolo-campanulatis, segmentis calycinis ovato-oblongis, stylo longiore, staminibus curvatis insignis est nec cum nostra in posterum commutabitur. — *Pyrola rosea S m i t h.* (*engl. bot.* t. 2543), habitu et omnium partium magnitudine corollarum figura campanulato-globosa, majore, contracta; petalis obtusioribus, latioribus, racemo laxiori, pedicellis magis nutantibus et aliis notis differre quidem videtur, nec tamen illam dignoscere praecipio.

186. Dictamnus albus rarissime variat floribus albis et semel a me in collibus Bibraensibus lectus est. Fraxinella minor flore albo *Rivin. Rupp. jen.* p. 292.

XXII. SPERGULA et ARENARIA.

Veterum Alsines, quae *Rajo* Vasculiferarum, *Linnaeo* et *Jussieuo* Caryophyllearum familiae alteram partem constituunt, difficilioribus generibus et ob synonyma confusa et ob notas genericas commodas deficientes adnumerandas esse, quilibet plantarum scrutator attentus compertum habet. Eundem enim natura his generibus impertiit plane habitum externum et unum quasi voluit genus naturale, quod secundum petalorum pistillorumque numerum subdivisiones modo admitteret. Ita propemodum *Hallerus* Alsines suas dijudicat et dividit: *Linnaeus* autem ex singulis singula construit genera. Taceam Cerastium, quod petalis bifidis capsulaque evalvi, apice 5-fariam dehiscente gaudet et his a Stellaria recedit: taceam Stellariam, quae petalis bipartitis solum discrepat, Minuartiam porro, quae corollae obsoleta rudimenta aut plane nulla habet, neutiquam autem argumenta intelligo, quibus Spergula ab Arenaria certius dignosci possit. Utrumque genus, habitu jam conforme, per Arenariam mediam et Ar. marinam, consanguineum fere connectitur cum Spergula arvensi et Sp. pentandra nec quoque Sp. nodosa ab Arenariis aliena videtur Aegre igitur dignoscendum est hoc genus, nisi ad notas subtilissimas, ad pistillorum numerum sive ad receptaculum, quod in Arenaria obsoletum aut brevissimum est et ex funiculis umbilicalibus filiformibus fasciculatim fundo capsulae insertis constat, in Spergula contra globosum, fungosum, scrobiculatum, manifestum prorsus esse solet, confugiamus. In his quadantenus exstant differentiae nec in illis quae in char. genericis ab auctori-

bus vulgo indicantur et ad Arenariam et ad Spergulam spectantibus. Quae quum ita sint quumque notam ex pistillorum numero, a generis distinctione alienam et modo ad species dignoscendas idoneam habeam, aliorum generum, Hyperici v. c. Sedi, Crataegi analogia jubente, Spergulas Arenariis melius adjungi persuasum habeo.

Character gener. Calyx 5-partitus. Petala 5, integra. Capsula unilocularis polysperma.

Capsulae Arenariarum varie dehiscunt: plerumque trivalves, rarius 5-valves, rarissime 6-fidae.

†) foliis exstipulatis ovatis.

a. Arenaria trinervia.

b. Arenaria serpyllifolia.

††) foliis exstipulatis subulatis.

c. Arenaria verna, (copiosissima auf dem Schachtberge prope Bottendorf).

d. Arenaria nodosa *Wallr.* (Spergula *auct.*).

Arenaria foliis subulatis laevibus, infimis basi vaginantibus, axillarum superiorum fasciculatis decrescentibus, floribus 5-gynis, petalis calyce enervi duplo majoribus.

†††) stipulis scariosis ad foliorum basin.

187. Arenaria arvensis *Wallr.* caulibus erectis, foliis verticillatis subvicenis obtusis, stylis 5, seminibus utrinque convexis tuberculatis marginatis.

Spergula arvensis *L.* et *auct.*
Alsine Spergula dicta major *C. Bauh.* *Moris. hist.* s. V. p. 551.

Semina haud reniformia, ut cl. *Smithius* habet,

sed fere subrotunda, hilo subtilissimo attracto, primum alba, dein ubi maturuerunt, nigra, atomis papillaeformibus pallidis rugulosa, margine fere concolori, vix elevato cincta. Folia plura caulium nodos stellatim ambire videntur, duo plerumque folia tantum opposita apparent ad singula genicula, ex quorum axillis reliqua exeunt.

188. Arenaria rubra caulibus prostratis ramosis, foliis linearibus utrinque planis mucronulatis, calycibus obtusis capsulas pedunculis breviores aequantibus, stipulis scariosis acuminatis vaginantibus.

In arvis arenosis abundat.

Nemo hanc cum Ar. marina simili quidem, ut *Linnaeus* et *Willdenowius* in *Sp. pl.* fecerunt, iterum commutabit, quae praeter notas indicatas, stylis tribus liberis reflexis, in Ar. marina basi connatis et loco natali discrepat. — Haec est: Alsine Spergulae facie s. Sp. major flosculo subcoeruleo *C. B.* — *Moris.* l. l. p. 551.

189. Arenaria marina caulibus prostratis vage-ramosis glabriusculis, foliis semicylindricis acutis internodia superantibus, laciniis calycinis obtusis carnosis basi punctato-sphacelatis, pedunculis capsulas subaequantibus, seminibus obovatis punctatis tumido-marginatis.

Ar. rubra β. marina foliis linearibus longitudine internodiorum *sp. pl.* I. p. 606.
Alsine Spergula major maritima perennis flore violaceo *Moris. hist.* l. l. p. 551.
Spergula marina *Buxb. hal.* p. 309.
Arenaria maritima β. minor *Rupp. jen.* p. 113.

In arvis salsis agri hal. uberrime.

Caules plures ex eadem radice fusiformi prodeuntes indeque cespitosi, inferne omnino glabri, circa pedunculos solum pilis sparsis glanduliferis vestiti, subcompressi. Folia semicylindrica, carnosa, internodia aequantia aut superantia, haud exacte mutica, ut cl. *Smithius* et *Sprengelius*, sed cum acumine brevissimo desinentia, glabra. Stipulae vaginantes, ovatae, brevissime acuminatae nec igitur, ut alii scribunt, plane eaedem ut Ar. rubrae. Flores majores quam in Ar. rubra, rubescentes. Pedunculi capsulas longitudine fere aequantes, breviores vero quam in sequente, post anthesin reflexi, demum iterum erecti. Calyx subturbinatus, glaber: laciniae calycinae carnosae, margine membranaceae, basi puncto glandulaeformi sphacelatae, quo Ar. rubra et Ar. media carent. Capsula ovalis calycem superans, 3-valvis. Semina obovata cum appendiculo parvo media parte pellucida, depressa, margine tumido circumdata, punctis elevatis exilissimis rugulosa nec ut *Smithius*, omnino glabra et complanata.

† 190. ARENARIA MEDIA *L.* caulibus subadscendentibus superne in pedunculos glanduloso-pubescentes divisis, foliis semicylindricis carnosis internodio brevioribus, stipulis scariosis acutis, pedunculis capsula longioribus, seminibus complanatis glabris ala membranacea radiatis.

Arenaria marina, foliis filiformibus muticis, stipulis scariosis vaginantibus, pedunculis glaberrimis, capsulis calyce majoribus, seminibus radiatis. *Wahlenb. lapp.* 131. *M Bieberst.* I. 344. *Engl. bot.* XIV. t. 1958. opt. — *Withering. Allion.* — *Flor. dan.* t. 740.

Ar. marginata *Desf.* caulibus prostratis, foliis semicylindricis carnosis internodia ae-

quantibus, seminibus ala cinctis. *DC. syn. fl. gall.* 397. *Icon. pl. Gall. rar.* I. 15. t. 48.

Arenaria media, foliis linearibus carnosis, stipulis membranaceis, caulibus pubescentibus *Linn. sp. pl.* 606. excl. syn. plurim. *Willd. sp. pl.* 722. *Ait. Kew.* II. 102.

Ar. marina β. media L. seminibus margine dilatato membranaceo albo striato. *Smith. brit.* II. 480. excl. syn. *Moris.*

Ar. media foliis carnosis, stipulis membranaceis, seminibus margine membranaceo cinctis. *L. sp. pl.* 606.

Ar. maritima floribus et capsulis majoribus *Rupp. jen.* 113. *Buxbaum. hal.* 310.

Alsine Spergula maritima, semine compresso, medio fusco, circulo pariter albo cincto in agro Rupellensi *Moris.* s. V. p. 551.

Spergula marina major *Buxb. hal.* 310.

Arenaria maritima floribus et capsulis majoribus *Rupp. jen.* 113.

Spergula marina nostras *J. Bauh. hist.* III. 1385. c. fig. *Chabr. stirp.* 549. (optim.)

Anthylloides ad salinas Saxonicas *Thal. herc.* 16.

In pascuis maritimis, ad ripas der Salzke cum priore promiscue, eoque loco a *Ruppio* jam indicatur. Extra fines ad salinas Arterenses et Numburgenses Thuring. copiosiss. Olim quoque ad Hassiacas vidi.

Radix perennis, fusiformis, caulem solitarium, erectiusculum, spithameum, geniculis incrassatis interceptum, compressum, in locis pinguioribus vel aetate provectioribus plurimos sustinens: superne in ramulos floriferos binos, plerumque trichotomos, aphyllos, pilis glanduliferis obsitos divisum. Folia semicylindrica, carnosa, internodiis longiora. Pedicelli post anthesin retracti, glandulosi, demum capsula effoeta semet erigentes, capsula triplo longiores. Flores palli-

de rosei, demum albescentes. Calyx ejusque laciniae praeter magnitudinem, Ar. marinae similes, nec tamen basi puncto nigro notatae. Capsula ovalis, calyce major. Semina compressa, glabra, fusca, radio albo plicato-membranaceo cincta, quoad loci natalis indolem, magnitudine variantia.

* Arenaria media *L.* prorsus ab Ar. marina differt: 1) caulibus erectiusculis, procerioribus: qui in hac vage ramosi, tenuiores et prostrati sunt. 2) foliis longioribus, crassioribus, internodia superantibus. 3) floribus majoribus, pallide roseis. 4) laciniis calycinis basi concoloribus nec puncto sphacelatis. 5) seminibus compressis ala alba radiatis.

Ehrhartus (*Beytr.* V. p 48.) dum hanc plantam dubiam, criticam et decipientem vocat, a se nunquam visam et repertam, alios invitat, ut certioris quid de illa impertiant; *Willdenowius* (*sp. pl.* p. 723.) dubie proponit plantam ignotam et cl. *Smithius Hudsonum* sequuturus, pro Ar. rubrae var. β. marina venditat, quam *J. Bauhinus, Morisonus, Ruppius, Buxbaumius* aliique veteres rei herbariae statores et *Linnaeus* ipse ob semina margine membranaceo cincta ab Arenariae rubrae varietate marina optime distinxerant. Omnes enim Alsines species, quae hodie nominibus Linnaeanis, Spergula arvensis, pentandra, Arenaria campestris, marina et media vocantur, a *Joanne Bauhino, Ruppio, Morisono* et *Buxbaumio* eximie jam dignoscuntur et differentiis idoneis exponuntur, synonyma tamen a *Linnaeo* minus bene citantur et ambigue jam ad Spergulam pentandram, ad quam vere pertinent, jam ad Aren mediam perperam referuntur. Ex eodem confusionis fonte et ex synonymis male citatis, de Arenariae mediae floribus albis apud quosdam auctores ipsumque *Linnaeum*, f. de luteis apud *Chabraeum* l. l. error exortus est. De synonymis allatis certus sum: Singulas species enim praeter *Morisonum* + *Buxbau-*

nius enumerat et uterque Ar. mediam a Sp. pentandra seminum colore fusco nec nigro dignoscere praecipit et *Knauthium* et *Rajum* utramque plantam distinctissimam commutantes carpit: Sp. marinam majorem (Ar. mediam) et Sp. marinam minorem (Ar. marinam) *Ruppio* praeceptore in locis maritimis agri halensis promiscue crescere, optime indicat.

Dum vero Ar. mediam *L.* restituo et in memoriam revoco, dubiis quibusdam de illa factis primum occurram necesse est. *Dillwynii* nempe verba: „Seldom more than one in ten of those in each capsule are furnished with a margin, which is broad, membranaceous, white and striated; and I never observed the rudiment of one in more than half the other seeds„ — et ejus synonymon, *Spergula maritima semine vario*, indicant, semina Ar. marinae in una eademque capsula passim variare. Observationem istam cum meis quoque congruere, plane negare non possum nec sine admiratione in Ar. marina semina cum alae rudimento obsoleto cum aliis *simpliciter marginatis* vidi prorumpere. Id tamen rarissime accidit et inter 100 capsulas et millia semina, unicum modo alatum et quidem imperfectum: inter samaras autem Ar. mediae nunquam semina alis destituta observavi. Natura igitur non facit saltus: deflectit nonnisi a norma, typi potestate nec infrequenter, quod ex aliis multis comprobatur exemplis, partes procreat illi communes, huic vero speciei alienas, generi ipsi autem proprias. Semina alata praeter colorem diversum eadem habet Sp. pentandra et Ar. media et nemo exinde plantas conjunget et Ar. marinae semina plane eadem ut Ar. rubrae et nihilosecius utraque aliis notis discrepat. Ar. mediam igitur nunquam heterospermam observavi nec quoque semina rugulosa sunt sed laevissima. — Pedunculi glaberrimi, quos *Wahlenbergius* Ar. marinae adscribit, ex climate diverso proficiscuntur: apud nos enim inque Gallia semper pubescunt et glandulis inspersi

ſunt iisque ſemina multa plerumque ſolent adglutinari.

Semina Arenariae pentandrae et Ar. mediae ſimillima ut ovum ovo; illa tamen, *Moriſono* jam obſervante, fere nigreſcunt, haec fuſceſcunt. Eadem ſimilitudo in Ar. arvenſi et Ar. rubra redit.

191. Arenaria pentandra *Wallr.* caule erecto glaberrimo, ſtipulis acutis, foliis verticillatis obtuſis ſubdenis, ſeminibus complanatis ala membranacea radiatis, floribus pentagynis.

Spergula pentandra *L.* et *auct.*
Alſine Spergula annua ſemine foliaceo nigro, circulo membranaceo albo cincto. *Moriſ. hiſt.* V. p. 551. *Buxb. hal.* p. 309.
Arenaria teretifolia, verna, flore albo, ſemine limbo foliaceo cincto *Rupp. jen.* p. 113.

Differt ab Ar. arvenſi: caulibus erectis, ſimplicibus, firmioribus, glaberrimis, articulis caulinis nodoſis, foliis brevioribus, rarioribus et ſeminibus ala diaphana radiatis.

DODECANDRIA.

192. Portulaca oleracea *L.* ſemina reniformi-roſtellata, nec pedicellata habet, qualia in *Flora halenſi* (p. 191.) adſcribuntur. Duplices caeterum melius ſtatuuntur varietates: *ſylveſtris*, in rupibus madidis ad Kroellwitz, et *ſativa*, quae ex domeſticis eſt.

† 193. Euphorbia falcata *L.* umbella 2 — 5-fida dichotoma, foliis lanceolatis bracteisque ſubcordatis mucronatis, ſeminibus compreſſo-tetragonis transverſe ſulcatis. — *Jacq. auſtr.* 121.

In agris Bibraensibus rarius inque Leucolimnensibus Thuring.

† 194. Euphorbia lathyris *L.* umbella 4-fida dichotoma, foliis oppositis integerrimis, seminibus piliformibus reticulatis apice callo coronatis.

In cultis ad Donndorf et Baeren-Naumburg quasi spontanea.

ICOSANDRIA.

XXIII. ROSACEARUM FAMILIA.

„Species Rosarum difficillime limitibus circumscribi et forte naturam vix illos posuisse,„ haec verba *Linnaei* aptissima ad Rosas singulas non solum sed quoque ad omnia fere, quotquot in systemate naturali sub Rosaceis comprehenduntur genera, perbelle spectant. Subdivisiones, in quas Rosacearum familia dives distributa est, notis certis quidem dispescuntur nec sine difficultate Pomaceae a Rosis, hae a Dryadeis, illae itidem a Drupaceis florum ratione formaque plane non, fructuum fabrica tamen generali ambigue modo nec circumscripte discrepant. Quis enim Prunum Cerasum ab Amygdalo, Pyro et Mespilo: quis Potentillam a Geo, Tormentilla, Waldsteinia, Fragaria, Duchesnea, Comaro, Rubo, Dryade et Dalibarda, ex signis flori uniuscujusque generis propriis primo intuitu recognoscere possit, quae in omnibus petalorum calyci insertorum numero definito, quinato nimirum staminibusque copiosis hypogynis habituque conformi miram exhibent communionem? — Neque minus fructuum et quae in illis continentur, ossium ratio vacillat et flori consimili jam pomum; jam drupa, jam bacca ex acinis multis jugiter unitis sparsisve composita, jam caryopsides nudae s.

aristatae, receptaculo nudo, piloso succosove insculptae succedunt. Nulla prorsus per cunctam Rosacearum familiam naturalem exstat norma generalis et inconcussa, cujus ope hoc genus ab alio certius possit distingui atque separari. Hinc propemodum a vetustissimis inde temporibus rei herbariae statores totidem denominabant genera, quot discrimina ex habitu naturali diverso observabant. Quamobrem *C. Bauhinus* in arborum pomiferarum expositione, sub Malo genere universali quasi, Pyrum Malum genuinam, Malum cydoniam, armeniacam, citriam, aurantiam, punicam et persicam simul intelligit; *Rajus* vero (*method. pl. emendata*, p. 153.) in pruniferarum familia, Armeniacam, Persicam, Amygdalum, Prunum, Cerasum, Padum, Laurocerasum secundum foliorum et fructuum formam ossiculorumque indolem ad genera distincta revocat, *Tournefortius* denique sub Pyri nomine, Malum, Cydoniam, Sorbum ceu genera distincta comprehendit. Ex eadem plane caussa *Linnaeus* Mespilos Tournefortianas, quae apud *C. Bauhinum* aut sub Mespilo aut sub Aria aut sub Cotoneastro generibus distinctis militant, in Crataegum et Sorbum dispescuit, quae hodie iterum, *Hallero*, *Gaertnero*, *Ehrharto* et *Willdenowio* praeeuntibus, aut Mespilo aut Pyro generi adscribuntur. Neque aliter est cum Pruno genere Linnaeano, cui Cerasus, Chamaecerasus veterum adjuncta sunt genera, quod per Prunum armeniacam in Persicam, illud vero in Amygdalum, a botanicis gallicis iterum ad genera distincta revocatum, transit. Totidem et majores quoque redeunt forsan ambiguitates et transitus in Potentillearum generibus distinguendis, ut ex Tormentillae, Comari aliorumque congenerum patet exemplis. Quae quum ita sint quumque tot difficultates in Rosacearum generibus jam redire videantur, quis easdem et forsan magis implicatas in singulis admirabitur speciebus? Quis canonem Linnaeanum in limine allatum, species Rosarum

vix ullis limitibus circumscribi eosque naturam vix posuisse, a veritatis comprobatione et ab ipsis reliquorum generum speciebus, quae a priscis inde temporibus cultu et arte multiplicatae, tantam et habitu et crescendi modo foliorumque forma consimili, spondent adfinitatem, habebit alienum? — Missis igitur observationibus circa Rosacearum genera stabilienda et definienda; in specierum historia indaganda praestat ad ejusmodi ambiguitates sedulo consilium transferre, illa genera caute notare, singulas, quibus species ludere observatorisque ingenium decipere solent, formas cautius perpendere, cum aliis multis in loco natali conferre, ne discrimina in specimine seorsim conservato levia, pro veris speciei que propriis considerentur vel quoque secus, differentiae ob familiae naturalis adfinitatem summamque similitudinem, abstrusae oculisque penitus detractae praetervideantur. Saepissime enim, ut *Linnaeus* jam in *Hort. cliffort. introduct.* profitetur, dependet notitia specifica ab innumera collectione specierum vivarumque plantarum indefessa inspectione simulque acerrimo judicio! — His perinde habitus tam variabilis notis omnia fere, maxime tamen, Rosa, Rubus et Potentilla insta sunt genera, quae quidem, quum innumeris plane obnoxia sint formis, φυτοδαιδαλοῖς hodiernis, plantas spontaneas minime sub dio sed intra parietum umbras vel in hortis cultas vel ipsas spontaneas nimis fugaciter intuituris et descripturis, uberrimum largiuntur gazophylacium ad species novas denominandas, in quibus scilicet neque pubes neque foliorum figura, ne habitus externus quidem notas offerunt stabiles inconcussasque. Aliae perinde in his generibus admodum polymorphis si quae ullae sint, ad specierum ab affinibus dignoscendarum lucem et castigationem exquirere juvat essentiales et his inventis constitutisque speciei valor defendendus, illis autem deficientibus varietatum scala ita fingenda, ut in specie vulgatiore normam statuamus et sensim ab hac ad extremam et

habitu magis remotam adſcendamus. Naturam enim ſaltus non facere et pubem ludicram largiri notam, ex hujus familiae potiſſimum, Roſarum Ruborumque generum maxime innoteſcit rata cognitione. Ob tantas prorſus, quibus omnis Roſacearum familia ingemiſcit quaſi ambiguitates difficultatesque, attentius paullo conſiderandas ſumſimus Roſacearum ſpecies agro halenſi indigenas, ipſas varietates autem, ut totius familiae polymorpham commonſtremus naturam, ſigillatim indicavimus, differentias meliores et ſtabiliores, ſignis ex pube foliorumque figura ſpeciali relictis, indagavimus et quas ex penſitato addidicimus examine obſervationes, ſine praeconcepta opinione jam profiteri noſtrum putavimus.

195. Prunus Chamaecerasus *Jacq.* umbellis ſeſſilibus paucifloris folioſis, foliis obovatis obtuſiuſculis glabris nitidis glanduloſo-crenatis, drupa ſubgloboſa, carne adſtringente trunco fruteſcente a baſi inde ramoſo.

α. pygmaea, trunco pygmaeo depreſſo tortuoſo.
Pr. Chamaeceraſus *Jacq. rar.* I. t. 90.
Ceraſus pumila *C. Bauh. pin.* 450.
Chamaeceraſus *Cluſ. hiſt.* I. p. 64. *Lobel icon.* II. 174. *Camerar. epit.* 138. *Tabernaem. hiſt.* 1401.

β. elatior, trunco erecto a baſi inde ramoſo.
Pr. Chamaeceraſus *Ehrh. Beytr.* VII. 131 *arbor.* n. 105. *Hoffm. germ.* I. 222.
Prunus Ceraſus β. pumila *Leyſs. hal.* 11; *Roth. germ.* I. 539.
Ceraſus pumila *Rupp. jen.* 135. *Buxb. hal.* 62.
? Chamaeceraſus macedonica *Cluſ. hiſt.* I. p. 64.

Var. β. in nemore dem Rockenholze, dem Zorg

ubertim; in vineis ad Freyburg, Bennſtaedt et aliis locis vicinis paſſim, in quibus a *Buxbaumio Ruppio*que indicata nunc quoque viget. Fructus maturantur Auguſto menſe.

Deſcriptionem fruticis elatioris ſuis numeris abſolutam ex ſpeciminibus ſiccis dare nequeo; limatas exhibuerunt *Cluſius*, *J. Bauhinus* (*hiſt.* I. 1. p. 222.), *Jacquinus* et cl. *Rothius*, qui fruticem noſtrum optime circumſcripſit. Icones datae a Prunο noſtra quadantenus alienae: habitum diverſum tamen ex loci natalis varietate derivandum eſſe cenſeo. Hinc quoque Arbuſculae altitudo a variis auctoribus varia, a *Matthiolo* et *Camerario* ſpithamea: a *Cluſio* jam cubitalis, bicubitalis et altior indicatur. Noſtram arbuſculam cum Chamaeceraſo veterum eandem eſſe, non ſolum *Ruppii Buxbaumii*que ſynonyma ſed quoque *Ehrharti* aliorumque ſpecimina eo nomine data, apprime demonſtrant.

Cortex ramulorum vivorum, Mahaleb veri inſtar, odoris grati eſt.

196. Prunus avium *L.* umbellis ſeſſilibus, foliis ovato-lanceolatis ſerratis pubeſcentibus, petiolo biglanduloſo, drupa ſubgloboſa; carne dulci, trunco arboreo ramisque ſurrectis.

α. drupis nigricantibus.

Pr. nigra *Ehrhart. arb.* n. 73. *pl. officin.* n. 264.

Pr. nigricans *Ehrh. Beytr.* VII. 126.

Ceraſus ſylv. fructu ſubdulci, nigro colore inficiente *Bauh. pin.* 450.

β. drupis coloratis.

Pr. varia *Ehrh. Beytr.* VII. 127.

Innumerae et ex natura et ex cultu ortae exſtant varietates, quas omnes ſigillatim exponere piget;

facile tamen ex signis speciei propriis recognoscuntur eorumque ope ad unam speciem relegantur. Duplices, habita trunci ratione, in nemoribus nostris vigent varietates, trunco arboreo et frutescente, humili eaque Pr. Chamaecerasi aemula, in nemore dem Mittelholze minime rara, ab hac caute dignoscenda est.

† 197. Prunus austera *Ehrh.* umbellis subpedunculatis, foliis ovato-lanceolatis serratis glabris, petiolo eglanduloso, drupa globosa longe pedunculata, carne acida, trunco arborescente, ramis ultimis vimineis elongatis.

Pr. Cerasus var. γ. austera *Linn. sp. pl.* 679.
Pr. austera *Ehrh. Beytr.* VII. 129.
Cerasus fructu acido serotino sanguinei succi *Tournef. Rupp. jen.* 134.

Pr. austera, sylvestris fruticosa in vineis ad Koelme, Bennstaedt et aliis Thuringiae locis viget ejusque fructus a Thuringis vulgo *Menglinge* vocantur. Arbor culta aut solo meliori mandata arborescit et ramulis vimineis, elongatis, propendentibus excellit. Serius floret et fructus profert.

† 198. Prunus acida *Ehrh.* umbellis sessilibus multifloris, laciniis calycinis ovatis crenatis, foliis obovatis serratis glabris, drupa globosa breviter pedunculata, carne acidula, trunco arborescente a basi inde in ramos subhorizontales breves abeunte.

Pr. acida *Ehrh. Beytr.* VII. 130.

Species distinctissima, ex ossibus sponte disseminatis nascens. Dignoscitur: radice longa repente, trunco arborescente, humili, a basi inde in ramulos horizontaliter patentes, breves abeunte (nisi

cultu coërceatur), floribus drupisque breviter pedunculatis, laciniis calycinis ovatis, obtusissimis, pedunculis ossibus firmius adhaerentibus et carne aciditatis gratissimae. Nostratibus vulgo der *Ammerbaum* ejusque fructus *Ammern*, forsan pro: Amarellen, vocantur.

199. Pyrus communis *L.*

Duplices Pyri communis β. Pyrastri *L.* in nemoribus nostris exstant varietates stabiles et rei herbariae scrutatoribus et hortulanis majoris momenti.

Pyrus communis α. Achras *Wallr.*, spinosa, foliis ovatis acuminatis integerrimis longe petiolatis, junioribus germinibusque lanatis demum glabratis, pomis basi productis.

Stirps jam frutescit jam arborescit et ad nemorum margines promiscue occurrit. Fruticosa ramis gaudet laevibus, elongatis, cortice cinereo tectis, ramulis lateralibus remotis, spinescentibus auctis: arbor vero, ob ramos surrectos, habitum pyramidatum haud male exprimens, altitudinem proceram nanciscitur. Et in frutice et in arbore calyces aeque ac germina, ramuli juniores et folia subtus lana densa arachnoideo-floccosa marginem ut in Mespilo Cotoneastro, circuli albi instar transeunte pubescunt, quam serius omnino, fere exuunt aut obsoletam retinent. Pomum pediculo longiore instructum, arboris typum optime reddit et Linnaeanae definitioni, Pyrum communem poma basi producta proferre nominisque rationi respondet. Omnes partes a foliorum petiolo inde ad ipsam trunci ramorumque proceritatem, hanc Pyri speciem ad formam productam s. elongatam proclivem esse monstrant. Similes differentias arbores ad usum domesticum cultae quoque, quamvis multis obnoxiae sint vicissitudinibus, suppeditant. Me igitur judice sub hac varietate sativum pyrorum latet

origo f. prototypus, quae foliis longe petiolatis, acuminatis, junioribus, calycibus germinibusque gaudent lanatis et poma basi productiore insignia, exacte pyramidalia proferunt.

Pyrus communis β. Pyraster *Wallr.*, spinosa, foliis subrotundis acutis argute serratis, junioribus germinibusque glabris, pomis basi rotundatis. (*Gaertn.* t. 87. f. 2.)

Stirps antecedentis more aut frutescit aut arborescit. Fruticis ramuli contorti sunt, magis diffusi et ob ramulorum approximatorum, spinescentium congeriem quasi nodosi. Similiter rami distorquentur in stirpe arborescente, habitum patulum vel rotundatum haud male fingente et retinente. Omnes partes a pube alienae sunt et pilos raros, quibus petioli foliorumque juniorum semet modo explicantium nervi parcius obsiti sunt, post paucos jam dies exuunt. Calyces aeque ac germina et quae flori succedunt prima pomi initia nunquam pubescunt. Pomi pedunculus brevior ejusque forma ab antecedentis varietatis typo quadantenus abluna, basi vel minus vel omnino non producta potius rotundatur nec in pyramidis formam producitur. Sapor acerbus. Hujus proinde varietatis typus in forma subrotunda versatur nec aliam foliorum, pomi ipsiusque arboris ratio declarat. Ex Pyro Pyrastro, me judice, eae omnes ortae sunt stirpes, ad usum domesticum mire multiplicatae, quae poma jam evidentius jam obsolete rotundata proferunt.

Has vero differentias, quas Achrados et Pyrastri varietatum distinctarum nominibus sigillatim celebrare, nec ad species stabiles attollere volui, Natura ipsa dictitat et ab illis rarissime modo generis indole perquam polymorpha jubente deflectit. Quin totidem, etiamsi cultu multiplicatae, in arboribus domesticis quoque redeunt, ex quibus forsan commoda Pyrorum sativarum species innumeras

dividendi redundat norma primaria, quae quoniam non solum origini nativae sed quoque naturae eximie respondent, mihi idonea satis et praestans esse videtur.

200. Pyrus Malus *L.*

Similes differentias, quas modo in Pyri communis interpretatione exposuimus, in Pyro Malo quoque redeunt, quae quibusdam auctoribus tanti visae sunt momenti, ut earum potestate Pyrum Malum in binas dispescerent species distinctas.

Pyrus Malus α. austera *W.*, foliis ovatis acutis junioribus germinibusque glaberrimis.

Malus acerba *Merat fl. paris.* 187. *DC. fl. gall.* V. 530.

Pyrus Malus sylvestris *Flor. dan.* t. 1101. (opt.).

Malus sylvestris fructu valde acerbo *Tournef. Rupp. jen.* 141.

Pyrus Malus β. mitis *W.*, foliis ovatis subtus germinibusque lanatis.

Utraque varietas in nemoribus nostris et agrorum versuris haud rara. Prior secundum stirpis aetatem et locum natalem folia profert diversissima, ab altera quadantenus aliena. Partium omnium glabrities, quamvis distinctionem suadere videatur, ambiguam tamen spondet notam, nobis saltem ad varietatem dignoscendam modo idoneam. Nullum enim in partibus essentialibus discrimen. Ex varietate prima, quae arborum poma austera proferentium prototypum complectitur, illae ortum ducunt, cultu mire multiplicatae, poma nuda et sapore acido insignia proferentes: alteri originem debent arbores, quarum poma juventute pubescunt et saporem dulciusculum habere solent

201. Prunus insiticia *L.* I. Pr. sylvestris praecox altior *h. par.* Pr. sylvestris II. *Trag.* 1017.

Rupp. jen. 133., stirps distinctissima, a florae gallicae auctoribus celeberrimis, pro Pruni domesticae varietate; a *Schkuhrio* (*Handb.* II. 26.), pro Pruno spinosa, nobili cultuque mutata: ab aliis vero et antiquissimis rei herbariae statoribus, pro specie distincta recte declaratur. Differt enim a Pr. domestica: 1) floribus ab initio statim albis, qui in hac primum flavescunt et demum solis radiis tacti dealbantur; 2) stylis nudis, qui in illa inferne pilis patentissimis pubescunt; 3) foliis ovato-subrhombeis irregulariter obtuseque crenatis; 4) druparum magnitudine et figura; a Pr. spinosa: 1) trunco arborescente, qui in hac variam quidem attingit altitudinem, nunquam tamen fruticis normam excedit; 2) pedunculis geminis, longioribus, tenuiter pubescentibus; 3) laciniis calycinis ovatis, quae in illa lineari-lanceolatae, breviores multo et angustiores sunt; 4) druparum magnitudine et sapore.

202. Prunus spinosa *L.* varietatibus innumeris plane et satis peculiaribus ludit, quarum quaedam in extremo positae sibi tam dissimiles omnino, ut etiam ab inexercitato et floribus et foliis ipsoque fructu dignosci possint et ob hanc caussam eadem plane offerant discrimina, quibus Pr. insiticia a Pr. spinosa et domestica distinguuntur.

Pr. spinosa α. microcarpa, foliis petalisque elliptico-lanceolatis acutis, drupis ovalibus, stylis nudis.

In virgultis apricis, in versuris v. c. auf dem Schachtberge bey Roſsleben et alibi.

Frutex humilis, dumosus, ramis superne implexis, fere coronatis spinisque infestus, 1 — 3-pedalis. Cortex ramorum ramulorumque cinerascit. Pedunculi breves, tenuiter pubescunt. Folia elliptico-lanceolata, angusta, utrinque acuta. Petala

lanceolata, angusta. Laciniae calycinae brevissimae. Drupa ovalis.

PR. SPINOSA β. MACROCARPA, foliis petalisque obovatis obtusis, stylis basi pilis patentissimis hirsutis, drupa subrotunda.

In apricis sylvaticis v. c. auf der Steinklippe passim.

Frutex simplicior, ramulis rarioribus, brevioribus et crassioribus auctus, simulac vero elatior, 5 — 8-pedalis, Pr. insiticiae plane non dissimilis. Cortex laevigatus, cum quodam nitore fuscescit, fere ut in Cerasis. Folia obovata, obtusa, subrugosa, duplo latiora quam in var. α. Laciniae calycinae et corollae petala duplo majora, fere ut in Pr. insiticia. Stylus pilis patentissimis inferne pubescit, sicut in Pr. domestica. Drupa subrotunda, duplo major quam var. α., Pr. insiticiae minoris s. sylvestris molem fere aequans — Hybrida species esse videtur: habitu Pr. insiticiae, stylis pubescentibus Pr. domesticae similis, magis tamen Pr. spinosae adfinis nec ab hac distinguenda. Utraque enim varietas aliis formis intermediis, quibus omnia vepreta abundant, jugiter connectitur. Variat caeterum haec stirps: laciniis calycinis 5 — 12; floribus plenis; staminibus 20 — 40; ovariis drupisque geminatis iisque quoad figuram rotundam, ovatam, oblongam, majorem minoremque variis. — Alia varietas, foliis oblongo-lanceolatis acuminatis inciso-serratis, quodammodo dissimilis, in dumetis umbrosis passim occurrit.

XXIV. CRATAEGUS OXYACANTHA *L.*

Oxyacantha veterum, Mespilus apii folio sylvestris spinosa *C. B.*, s. Crataegus Oxyacantha *Linn.*, qua senticeta nostra abundant, totidem dubiis quot spinis horret eaque de caussa fruticis

pervulgatiſſimi hiſtoriam, lectis antea ad hunc finem ſpeciminibus, attentius perpendere ejusque indolem polymorpham curioſius explorare operae pretium fore ſpero. Plurimi, niſi omnes auctores ſummam fruticis ſilent mutabilitatem aut illam obiter et promiſcue enarrant. Oxyacantham ſecundum ſtylorum numerum in duplices ſpecies rectius dirimi, *Jacquinus* primum monuit, plurimis auctoribus comprobantibus. At vero, nova ſpecies nova ſimul de ſtirpe Linnaeana, ſine ſtylorum numero deſcripta, attulit dubia jamque alii auctores, qui Oxyacantham monogynam frequentiorem obſervabant (*Gaertnerus*, *Candollius*, *Thuillierus* aliique) hanc Cr. Oxyacantham, Meſpilo oxyacanthoide, ſpecie nova ſtylis duobus inſigni ſimul addita, alii (*Jacquinus*, *Willdenowius*, *Sprengelius*, *Vahlius* et *Hoffmannus*) ob Oxyacanthae digynae frequentiam, M. monogynam novam et a Linnaeana diverſam retinuerunt, iterum alii (*Ehrhartus*) aut in auctoris fidem iacicarunt aut Cr. Oxyacanthae varietatis loco ſubſcripſerunt eamque ambiguam omnino neglexerunt (*Roth. germ.* II 1 590.). Miſſis his dubiis de ſtirpe Linnaeana legitima, *Linnaeum* utramque ſimillimam et ob formas intermedias, promiſcue obvias haud ſine difficultate diſtinguendam intellexiſſe, ſatis probabile eſſe videtur. Crataegum monogynam *foliis acutis*, *floribus monogynis*, *ſegmentis calycinis acuminatis*, *pedunculis calycibusque ſubpubeſcentibus*, quas notas *Willdenowius* Jacquinianis addidit, a Cr. Oxyacantha, *digyna*, *foliis obtuſis*, *ſegmentis calycinis acutis* inſigni differre, plurimi unanimo perhibent auctores teſtimonio. Equidem vero, auctorum acutiſſimorum pace nullas in his partibus agnoſco differentias, niſi ludicras alterutrive ſpeciei, quam diſcernere cupiunt, communes. Quorſum enim pedunculorum calycumque pubes, foliorum et ſegmentorum calycinorum acumina; quorſum ipſi flores monogyni, ut *Rothius* acutiſſi-

mus jam adſeverat, ſiquidem ſub dio in ſenticetis cum Oxyacanthae fruticibus vivis diligenter conferuntur, ſpectant? Quid aliud ſuadent differentiae ab auctoribus promiſſae, quam ſummam ambiguitatem, quae in hoc genere perquam naturali nimis ambiguae ſunt et in alteroquoquo frutice refutantur? — Quibus igitur tamque ambiguis haud contentus differentiis alias et praeſtantiores exquirere inſtitui et in utraque ſtirpe iisdem formis obnoxiae dignoſcenda praeter *ſtylorum* numerum, foliorum conſiſtentiam, auctumni tempore inque adultis explorandam, *paginae ſupinae glaucorem* et *pronae laevorem ſimulac nervorum curſum* laudo eaque *discrimina*, quamvis etiam formis utriusque *ſtirpis hybridis* paſſim confundantur, ſtabilia ſatis ac *praeſtantia* praedico.

203. Mespilus Oxyacantha *Gaertn.*, ſpinoſa, foliis obovatis ſubrhombeis ſubtrifidis obtuſis membranaceis glabriusculis utrinque concoloribus, *floribus corymboſis* 1 — 3-gynis.

α. integrifolia. *Wallr.*, foliis ſubrhombeis baſi obovatis integris apiceve obſolete obtuſeque trifidis, floribus 2 — 3-gynis. Cr. Oxyacantha *Willd. Jacq. Spr.* et *auct. Flor. dan.* t. 634. Meſp. oxyacanthoides *Thuill. par.* I. 245. *DC. gall.* IV. 433.

β. laciniata *W.*, foliis ovatis baſi attracta dilatata ſubrhombeis profunde 1 — 2 trifidis laciniatisve, laciniis acutis divergentibus ſerratis, floribus 1 — 2-gynis. — *Blackw. herb.* t. 149. M. monogyna auctor. quorumd.

Variat: 1) trunco arboreſcente, 12 — 20 pedes alto, 3 — 4 pedes craſſo. 2) ramis in fruticibus minoribus iisque tortuoſis, oligophyllis et abbreviatis. 3) foliis ramulorum primaevorum, quoad *figuram:* ſubrotundis (iisque plerumque integris ſ. apice obſolete trifidis,) venoſis, ovatis, ex figura

obovata subrhomboideis (iisque plerumque trifidis, subtrinerviis), basi rotundatis, ovatis, dilatato-deltoideis, cuneatis et ex hac figura in petiolum desinentibus; quoad *integritatem:* apice subintegris, obsolete trifidis, trifidis, laciniatis infra mediam partem, laciniis ovatis, oblongis, acutis, obtusis, convergentibus, divergentibus, subintegerrimis, crenatis, serratis, incisis angustissimeque iterum partitis (Cr. elegans Poir. dict. IV. 493. M. Oxyac. δ. anguste laciniata DC. gall. IV. 531.); quoad *pubem:* glaberrimis, utrinque parce pubescentibus s. subtus pilosis; quoad *magnitudinem:* perquam variis, 1 — 5 centim. longis; quoad *venarum* s. *nervorum* cursum: irregulariter obsoleteque venosis, (in foliis integris s. apice obsolete trifidis), trinerviis (in foliis laciniatis); quoad *colorem:* utrinque jam pallide saturateque viridibus cum vel sine nitore, variegatis (in hortis curiosorum). Ramulorum juniorum folia in utraque forma innumeris ludunt mutationibus et melius secundum specimina ad eum finem lecta commonstrantur. Similiter stipulae etiam ludunt. 4) pedunculis, 1 — 4-floris, longioribus, brevioribus, ramentaceis, foliolosis, glaberrimis, pilosis, villosis. 5) floribus clauso-campanulatis, patentibus, reflexis, iisque jam majoribus jam minoribus; integris, apice plicato-crenatis; roseis (DC. gall. l. l. var. β.). 6) laciniis calycinis ovatis, lanceolatis, acutis, acuminatis. 7) fructibus quoad *figuram:* rotundis, ovatis, oblongis, basi productis iisque nonnunquam duplo majoribus; quoad *pubem:* pubescentibus, villosis, villosissimis (M. Oxyacantha γ. calyce villosissimo Bastard. apud DC. gall. V. 531.); quoad *colorem:* albidis, luteis (Smith.), plus minusve laevibus et nitentibus; quoad *integritatem:* basi angulatis, verrucosis (var. insignis et a me in variis locis lecta, quam M. Oxyac. pentacyclae nomine inscripsi; quoad *structuram* internam, 1 — 3-pyrenis. 8) stylis 1 — 3, iisque jam basi connexis, jam divisis, con-

niventibus, divaricatis, in floribus minoribus tenuioribus.

204. Mespilus monogyna *W.*, spinosa, foliis obovato-cuneiformibus subintegris trifidis laciniatisve subtus discoloribus demum subcoriaceis nitidis, glaberrimis, floribus corymbosis monogynis, stigmate peltato. — Crat. monogyna *Jacq.?* Mespilus apiifolia *Medicus Geschichte der Botan.* p. 82.

α. cuneata *W.*, foliis obovato-cuneiformibus apice obsolete-trifidis integerrimisve, venosis.

β. trifida *W.*, foliis obovatis apice trifidis trinerviis, nervorum deplanatorum exaratorum cruribus barbatis, laciniis divaricatis apice serratis. — *Fl. dan.* t. 1162.

γ. decussata *W.*, foliis profunde-repetitoque trifidis, laciniis decurrentibus divaricatis.

In iisdem cum priore locis, at apud nos inque Thuringia rarius multo intercurrit. Var. α. et γ. ex rarissimis. Fl. Junio ineunte, quo tempore M. Oxyacantha florere jam desiit.

Maximam inter utramque stirpen similitudinem et adfinitatem et ex his descriptionem non solum sed ipsas differentias ancipites et utrique communes reddi, supra jam professus sum. Mira in utraque stirpe partium redit communio, eadem quoad foliorum figuram series, idem fere partium numerus et fabrica et quamvis haec ita sint ipsaque notarum essentialium cognitio speciebus hybridis, passim intercurrentibus quadantenus confundatur, utramque nihilosecius denuo distinguendam esse, profiteor. Differentiae in his speciebus dignoscendis ab omnibus auctoribus promissae et adhibitae nimis vagae ac promiscuae, ad utramque spectant nec ullam, praeter stylorum nu-

inerum, in Mespilo Oxyacantha tam mutabilem quam in M. monogyna stabilem, scio idoneam: omnes, me quidem judice, quae verbis aegre circumscribuntur et melius ex speciminibus commonstrantur, in foliorum fabrica, eorum in facie supinae colore, florendi tempore seriore, inque pistilli solitari stigmate peltato, habitu ob ramos surrectiores, validiores, magis protensos, cortice fusco sicut Cerasorum tectos spinisque paucioribus, brevioribus et validioribus infestos quadantenus alieno versantur; de quibus scilicet omnibus auctores nihil proferunt. Folia enim peculiari quadam eaque a M. Oxyacantha diversa excellunt fabrica, ex eorum consistentia firmiore et demum subcoriacea (cum Giugko bilobae *Salisb.* haud inique comparanda), venarum reticulo magis pellucente argutoque et juxta marginem excurrente, paginae superioris nitore et inferioris glaucore (quem *Candollius* celeb. negat), nervorum primariorum cursu aliisque ejusmodi notis recognoscenda. Pubes aeque ac foliorum partiendi modus, in varietatibus nostris expositus, quibus *Jacquinus* et *Willdenowius* fidem fecerunt, in utraque stirpe easdem exacte subeunt vicissitudines et ex illis utriusque stirpis differentiae in universum quidem nec tamen speciatim comprobantur. Mira profecto ac satis singularis nervorum, quibus folia inscribuntur, mutabilitas, naturae tamen par est et ex ipso foliorum partiendi modo proficiscitur. Illa scilicet folia, quae integra sunt vel apicem versus leviter modo dividuntur, venosa sunt nec nervis primariis lateralibus locum dant: quae mediotenus in lacinias plus minusve profundas partiuntur et foliis lateralibus, quasi separatis augentur, nervos proprios, intermedium subaequantes et ex nisu naturali barbam illis interjectam recolligunt. Hinc in illis praeter nervum intermedium, venarum reticulum solum: in his vero aeque ac in junioribus s. innovationum, quae lubentius in lacinias finduntur; nervorum exaratorum trijugum s. crura distin-

cta in conspectum veniunt. Ea proinde nervorum fabrica, foliorum nec speciei naturae propria, nec quoque illi in omnibus plantis plena adscribenda est fides (ut in tropicis); quae quoad foliorum figuram, latitudinem et alias mutationes fortuitas saepius mire abludit, ut ex Potentillae vernae, Ruborum, maxime vero ex Plantaginis majoris foliis cognoscitur, in cujus varietate latifolia quinquenervia, in var. brachystachya (P. minima *DC.*) autem trinervia, foliorum figura angustiore jubente, trinervia evadunt.

. Ex ejusmodi *potissimum argumentis et differentiis supra professis et acutius profecto conquirendis, nec ex foliorum profundius trifidorum figura et alabastrorum pedunculorumque pube, quibus omnes auctores fidem habuerunt, stirpem utramque distinctam praedico et eandem varietatum seriem, quam a foliis subintegris ad laciniata, M. Oxyacanthae more*, decurrunt, indico, haud sine opera in agro halensi et thuringiaco conquisitam. Praeter formas indicatas primarias, alias habeo varietates leviores: *foliis latioribus, supra saturatius virentibus* in frutice arborescente, *foliis minoribus, rigidioribus, coriaceis; alabastris pedunculisque pubentibus glabrisve* et permultas alias, quas quidem, quum pro maxima parte cum M. Oxyacanthae varietatibus, supra expositis respondeant, repetere nolo.

XXV. RUBUS.

Eadem plane, quae alibi fusius monui, de Rosis autem in tractatu seorsim prodeunte proferam, de Rubis adfinibus quoque valent et qui hac scientiae, ut volunt, restauratae tempestate ad species multiplicandas semet accingunt s. novaturiunt, gloriolam ephemeram, Natura invita, captare student. Quae de his in promtu sunt, tum ad generis notas tum ad species, omnium partium indole polymorpha quasi exuberantes et difficillime et ex multa-

rum speciminum cognitione determinandas spectant. Omnes, quos scio auctores in Rubi notis genericis statuendis lapsi sunt, nec in illis ad Rubos herbaceos, subdivisionis titulo distinguendos consilium transtulerunt. *Gaertneri* definitio v. c. Rubis semina plurima baccata, in baccam compositam conferruminata (!) computat, a qua R. saxatilis fructum ex acinis perpaucis separatis compositum ferens, R. Chamaemorus et R. arcticus vehementer discrepant. Alii auctores stylos multos inter generis notas enumerant eoque modo R. saxatilem transeunt, stylis perpaucis alienum.

Character gener. Calyx 5-fidus, inferus. Petala 5. Acini monospermi distincti vel in capitulum baccatum collecti.

Sectio I. CHAMAEBATUS.

Caules herbacei. Folia ternata s. simplicia. Stamina alata, hirsutiuscula. Flores umbellati. Styli acinique perpauci receptaculo carnoso orbiculato adfixi baccam fingentes.

205. Rubus saxatilis *L.* caule herbaceo erecto stolonifero, foliis ternatis obovatis duplicato-serratis petiolisque pubescentibus, umbella terminali pauciflora, acinis distinctis receptaculo orbiculato colorato adfixis.

α. inermis.

R. saxatilis *L. Smith. brit.* II. 544.
Chamaerubus spinis carens saxatilis *C. Bauh. pin.* 479.
R. saxatilis s. petraeus *Clus. hist.* I. 117. (icon mala cum descript. bona p. 118. sub R. sax. alpini titulo.)

β. SPINULOSUS.

R. saxatilis *auct. pl. Jacq. stirp. vindob.* 245. *Houttuyn.* VII. 138 *Flor. dan.* I. t. 134. (mediocr.).

R. alpinus humilis *Chabr. stirp.* 109. f. 6.

R. minimus *Thal. herc* 102.

Var. α. agro hal. haud indigena esse videtur: β. in nemoribus montosis ad Schmon et Lodersleben, inter saxa arcis destructae Lotharii et per totam inde abundat sylvam.

Notas essentiales offerunt: petala angusta, lanceolata; acini perpauci (2 — 4, fere nunquam plures), maximi, receptaculo orbiculato tumido colorato insidentes.

Praeter caulem spithameum s. pedalem sistit hic Rubus, praesertim sterilis, flagella longa, reptantia, omnino inermia, illis tamen fructiferus non raro destituitur. Folia ternata tenuia, pubescentia (nec ut *Wahlenbergius* in lapponicis nuda,) quoad formam varia, plerumque obovata aut formae typi Ruborum rhomboideae proxima, obtusa et acuminata, plus minusve inciso-serrata: foliola lateralia subsessilia s. brevissime, intermedium longius petiolatum. Stipulae oblongae, obtusae, amplexicaules. Petala lanceolata, acuminata, calycem subaequantia, alba. Laciniae calycinae demum reflexae. Stamina alata, hirsutiuscula, minus conferta. Receptaculum maximum, tumidum, in discum orbiculatum, carnosum, persistens dilatatum, cum acinis perpaucis (2 — 4), grandibus (Ribium rubrorum acinos magnitudine aequant et superant), laxe adfixis, acidis rubrum.

Varietates me judice exstant duplices: altera caule subinermi, altera aculeolis rectis, tenuibus, fere innocuis spinulosa. Inflorescentia paniculam minime refert, sed umbellam mentitur, qua cum planta foliolo subjecto plerumque terminatur. Ma-

gnitudo variat, pedalis jam; jam in collibus calcareis dodrantalis et minor. Neque descriptiones neque icones hucdum datae receptaculi formam satis singularem et revera essentialem indicant.

Sectio II. STELECHOBATUS.

Stirpes suffruticosae. Folia subquinata. Flores subpaniculati. Acini in baccam polyspermam compositam congesti.

206. Rubus Idaeus *L.* caule erecto tereti aculeolis rectis hispido, foliis ovato - rhomboideis subtus argenteo-tomentosis, inferioribus quinato-pinnatis ternatisve, acinis velutinis in baccam conferruminatis, receptaculo conico.

β. microphyllus, foliis omnibus ternatis, caule suffruticoso dumoso humiliore.

Notae essentiales sunt: caulis erectus: fructus odoratus ex acinis lanugine mollissima velutinis compositus.

Variat: 1) caule subinermi (R. glaber *Mill. dict.* n. 4. — R. Idaeus levis *C. Bauh. pin.* 479. excl. syn. quibd. *Linn. sp. pl.* ed. *Willd.* 1082. *Leers herb.* 120. *Leyss. hal.* 122. *Roth. germ.* II. 563. R. Idaeus Placae *Clus. hist.* 117. (descript.), R. Idaeus non spinosus *J. Bauh.* II. 57. *Rupp. jen.* 142. *Buxb. hal.* 288.). — Passim in saltu hercyn. inque hortis. 2) foliis omnibus ternatis simulque duplo minoribus. — Quamvis fruticulus passim cum Idaeo vulgari in collibus saxosis mihi obvius, foliis constanter ternatis, duplo minoribus, caule 1 — 2-pedali, recto, a basi inde ramoso, floribus subcorymbosis totoque habitu alienus esse videatur, meram tamen praebet R. Idaei varietatem, nomine proprio insigniendam. Quod R. tomentosus in R. fruticoso, id noster in Idaeo.

3) pedunculis ſimplicibus, ſubcorymboſis, inermibus et aculeolatis. 4) baccis flaveſcentibus, paſſim in hercyn.; — ſive albidis (R. Idaeus β. fructu albo *Linn. ſp. pl.* 706 *C. Bauk. pin.* 479. *Rupp. jen.* 142. *Buxb. hal.* 288. R. Idaeus fr. candido *Thal. hercyn.* 102. R. Idaeus. Leucocarpus i. e. fr. albicante odoratiſſimo *Camerar. hort. med.* 149.). — Rariſſime legitur in nemor. thuring. et herc.

Pubes paginae foliorum inferioris ut in Spiraea Ulmaria jam magis jamque minus candicat et nonniſi tomentum mentitur aut modo glaueſcit eaque var. Lapponiae indigena eſt teſte *Wahlenbergio* (*lapp.* 143.). — *Linnaeus* petiolos canaliculatos in *R.* Idaeo urget: equidem vero communes omnino teretes nec a reliquis diverſos et partiales tantum obſervo manifeſtius canaliculatos.

207. Rubus caesius *L.* caule fruticoſo tereti polline glauco caeſio, aculeolis rectiuſculis, foliis caulinis floralibusque ternatis ſubrhomboideis, foliolis lateralibus ſubbilobis petiolisque pubeſcentibus, pedunculis paucifloris, laciniis calycinis adpreſſis, acinis nigris laxe baccatis pruinoſis. (*Hayne offic.* III. t. 9. *Engl. bot.* 826. *Tabernaem.* 1247. *Lonicer.* 107. *Chabr. ſtirp.* 109. f. 5.

Notae eſſentiales exſtant in: caulibus acinisque pruina caeſia obductis; petalis ruguloſis et foliis ternatis.

Formae in agro halenſi obviae ſequentes ſunt:

α. umbrosus *W.*, major, caule ſublignoſo arcuato purpuraſcente pruinoſo, foliis planis utrinque petiolisque pubeſcentibus, extremo ovato-ſubcordato ſubtrifido, pedunculis elongatis laxe paniculatis. — *Flor. dan.* t. 1213.

Propter muros, ripas inque dumetis nemorosis.

Dignoscitur omnium partium magnitudine pruina spissa, foliolo extremo dilatato subtrifido lateralibus hinc bilobis, lobis nervo proprio nutritis et stipulis plerumque foliaceis.

β. ARVENSIS *W.*, mediocris, caule florifer erectiusculo stolonifero, sterili prostrato, aculei subincurvis, foliis irregulariter grosseque serrati subrugulosis subtus incanis, extremo subcordato lateralibus sessilibus basi inaequalibus, pedunculi paucifloris.

R. saxatilis f. petraeus *Clus. hist.* I. 118. de script. nec icon.

γ. PARVIFOLIUS *W.*, caule viticuloso adscendente purpurascente demum nudo, foliis parvis inciso-lobatis, extremo in basin ovato-cuneatam subintegram attractis, pedunculis 1 — 3-floris. — *Schk.* t. 135. In collibus herbidis, sepibus vicinisque arvis.

Variat praeterea R. caesius: 1) caulibus surrectis, arcuato-deflexis, prostratis, curvatis, apice radicantibus, vimineis, herbaceis, sublignosis, e fastigio flores proferentibus aut ramulos breves laterales floriferos sustinentibus, aculeolis rectis f. leniter curvatis, fere innocuis, hispidis, viridibus, hinc purpurascentibus, undique hepatico-rubris, pruina caesia obsoleta jamque tanquam calce dealbata obductis. 2) foliis pubescentibus, villosis, subtus tenuiter tomentosis, forma et magnitudine variis extremo ovato, subrotundo, rhomboideo, obtuso acuto, basi cordato, ovato, subcuneato, serrato inciso-lobato, subtrifido: lateralia minus variant plerumque plus minusve biloba aut ut in var. γ cum extremo conformia et profundius inaequaliterque incisa. Alia varietas foliis quinatis, quam R. caesius arvensis profert, ex rarissimis est, hybrida forsan ex R. corylifolio, patre vicino. 3) stipulis foliaceis. 4) aculeis caulinis rectis, rectiusculis,

ſubaduncis. 5) pedunculis 1 — 6-floris, brevioribus longioribusque. 6) acinis raris, copioſis in baccam compoſitis.

† 208. RUBUS HYBRIDUS *Vill.* caulibus teretibus ſuberoſis proſtratis petiolis calycibusque glanduloſo-aculeolatis, foliis ovatis utrinque hirſutis abrupte acuminatis, inferioribus ternatis, foliolis lateralibus petiolatis, ſuperioribus ſubſimplicibus cordatis, calycibus adpreſſis, petalis oblongis.

R. glanduloſus *Bell.* in *Act. Taurin.* III. 230. *Append. fl. ped.* 24. *Willd. enum.* II. 548. *DC. gall.* IV. 474. *Ann. bot.* 69. *Sut. helv* I. 304.
R. hybridus *Vill. delph.* III. 559.
R. vulgaris in carbonariorum areis *Thal. herc.* 102.

In ſylvis caeduis Ziegelrodenſibus inque pineto halenſi rariſſime.

Folia ternata acuminata et petala obovato-oblonga anguſta in caule tereti ſuberoſo aculeis glandulisque rectis hiſpido, — notas largiuntur ſtabiles.

Caules teretes ſarmentoſi, validi, ſuberoſi, aculeis glandulisque ſtipitatis rectis inaequalibus undique tecti, purpuraſcentes. Folia ſimpliciter at irregulariter dentata, dentibus ovatis mucronatis, utrinque pilis ſparſis rigidulis hirſuta, ſaturate viridia: ſuperiora ſubſimplicia, baſi exacte cordata, ſubtrifida, ſumma ſenſim minora et anguſtiora, in ramulis floriferis lateralibus, reliquorum Ruborum more, omnia minora et quoad figuram a reliquis quadantenus aliena; inferiora ternata: foliolum extremum petiolatum ex forma ovata jam magis jamque minus obovatum, in apicem acuminatum abrupte deſinens: lateralia minora, brevius petiolata et apiculata, oblique ovata, baſi inaequalia,

hinc magis protracta ibique plerumque inciso-lobata. Petioli semiteretes, supra plani, ut caulis, colorati similibusque aculeolis et glandulis adspersi. Stipulae lineares, petiolares, a caule unguem circiter remotae. Calyx pilis rigidis glandulisque dense hispidus: laciniae ovato-oblongae, apiculatae, demum erectae baccaeque admotae. Pedunculi paniculati caulis et petiolorum more hispidi. Petala oblonga s. magis lanceolata, alba. Acini atro-sanguinei, nitidi in baccam perfectam compositi.

Praeter mutationes quoad glandularum in caule copiam, et foliorum figuram et magnitudinem leviores, duplices habeo memorabiles et varietatum nominibus propriis distinguendas, quas ex millibus multis in vepretis viarum, quibus itur a Stolberga ad Breitensteinam, locum meum natalem, collegi.

α. Rubus glandulosus pentaphyllus, foliis inferioribus superioribusque ternatis, intermediis quinatis: — quae varietas mere fortuita acutius profecto, caulis suberosi indole et petalorum figura a R. corylifolio glanduloso dignoscenda est.

β. Rubus glandulosus monophyllus, foliis omnibus simplicibus exacte cordatis subtus subtomentosis, pedunculis corymbosis.

Species pulcherrima simulac distinctissima, inter R. caesium et corylifolium media nec, ut *Persoonius* (*ench.* II. 51.) opinatur, R. corylifolii varietas, cautius tamen, quam fieri solet, a R. corylifolii et fruticosi formis glandulosis, passim obviis dignoscenda. Folia quinata, quae ante me nemo vidit aeque ac glandulae nihil omnino evincunt, sed ex Ruborum typo communi et natura proficiscuntur.

209. Rubus corylifolius *Smith.* caule subangulato virgato, aculeis rectiusculis, foliis infe-

rioribus quinatis, ultimis appendiculatis sessilibus, intermedio ovato subcordato, floralibus ternatis, panicula multiflora, calycibus adpressis, acinis baccatis atro-sanguineis.

α. VIRIDIS, foliis utrinque pubescentibus viridibus.

R. corylifolius *Smith. brit.* II. 542. *Engl. bot.* t. 827. *DC. gall.* IV. 475. *Spreng. hal.* 146.

β. INCISUS, foliis utrinque concoloribus inciso-lobatis.

R. Wichmanni *Weihe in lit.*

γ. LACINIATUS, foliolis pinnatis, pinnis inciso-serratis subtrifidis.

R. laciniatus *Willd. hort. ber.* II. 82. t. 82. *enum.* 550.

δ. CANUS, foliis omnibus conformibus subrotundis cordatis utrinque incano-tomentosis.

R. corylifolius β. tiliaefolius in *lit.*

ε. GLANDULOSUS, caulibus, petiolis pedunculisque glandulosis.

R. glandulosus *Sprengel* et *Weihe*, aliorumque.

Var. α. ad sepes, agrorum nemorumque limites, in dumetis vulgatiss.; β. et γ. agro hal. haud indigenae; δ. in similibus locis ad Rossleben et aliis Thuringiae locis; ε. rarescit et ad Kroellwitz inque pineto halensi passim intercurrit.

Notae essentiales versantur in: caule subangulato: foliolis inferioribus duobus minoribus sessilibus tanquam appendiculatis, calycibus adpressis inque floribus paniculatis.

Variat apud nos: 1) caulibus glabris, pilosis et parce glandulosis. 2) foliis quoad formam: a normali ovata, subcordata in subrotundam, oblon-

gam, rhomboideam, apice obtuſo, lobato acutove terminatam degenerant; quoad circumſcriptionem: lateralia manifeſtius biloba ſunt ſ. omnia amplius inciduntur (R. Wichmanni *Weihe*), ſ. profundius in pinnas ovato-oblongas inciſo-ſerratas finduntur (R. laciniatus); quoad pubem: pagina utraque glabriuſcula, pubeſcente, parce piloſa, utrinque tamen concolora, ſupra glaberrima, nitida, ſaturatius virentia, opaca (in pineto halenſi, Zorgs etc.), ſubtus pubeſcentia, villoſa (R. corylif. β villoſus *DC. gall.* VI. 544.), tomentoſa et incano tomentoſa, ſubtus diſcolora.

Reliquae, quibus ludit, mutationes infinitae plane ſunt nec omnes enumerari poſſunt, melius multo ſecundum ſpeciminum exſiccatorum ſeriem commonſtrantur. Flores rubri v. c. paſſim cernuntur (in ſylvis caeduis des Zorgs): laciniae calycinae in appendices foliaceas producuntur, fructus albi (*Zinn. gott.* 139.) etc. Satis eſt duplices ſiſtere varietates, quae, quamvis in extremo poſitae, diverſiſſimae, aliis formis intermediis, quibus omnia vepreta horrent, connectuntur. Mirum caeterum eſt, varietatem δ. canam, foliis exacte cordatis ſ. rotundatis circinatae, ſupra incanis ſubtus denſe tomentoſis nervorumque elevatorum reticulo exaratis inſignem, tamdiu auctoribus latuiſſe. *Smithius* enim non ſolum ſed *Candollius* etiam, eosque, ſcilicet mos eſt, omnes ſequuti ſunt, auctores, in R. corylifolio dignoſcendo folia utrinque viridia, concolora, qualia circa Halam in locis indicatis exſtant, nec unquam incana urgent eoque modo ipſis verbis varietatem noſtram excludunt. Ejusmodi mutatio autem, quae aliis ſpeciminibus intermediis confirmatur, plurimis propria eſt Rubis nec in R. caeſio, R. fruticoſo Idaeoque deſideratur. Inter varietates R. corylifolii denique R. laciniatum *Willd.* etiam exponere jubet, ad quem foliorum figura jubente ſpectat. Idem luſus obſervandus eſt in ſat multis plantis, notiſſimus autem in Sambuci nigrae var. laciniata, quam nemo pro diſtincta ſpe-

cie declarabit. (cf. titulum Veronicae Teucrii supra.). R. Wichmanni *Weihe*, ut specimina a cl. *Sprengelio* mecum benevole communicata patefaciunt, formam intermediam exhibet, quacum transitus a R. corylifolio vulgari ad R. laciniatum *W.* illustratur.

R. vulgaris *Thal. hercyn.* R. vulgaris fructu nigro *C. Bauh* et *auct.* aeque ac R. fruticosus *L.*, et hunc et R. corylifolium complectuntur, ut ex descriptionibus, synonymis et locis natalibus intelligitur. R. corylifolius enim R. fruticoso vulgatior, qui nemora eorumque juga amat editiora. R. suberectus *Anders. engl. bot.* t. 2572. R. corylifolii varietas est.

210. Rubus fruticosus *L.* caulibus angulatis virgatis validis, aculeis aduncis vastis, foliis membranaceis, inferioribus subquinatis subrhomboideo-oblongis inciso-serratis, lateralibus petiolatis, panicula corymbosa, calycibus reflexis, acinis nitidis baccatis. — *Flor. dan.* t. 1163. *Engl. bot.* t. 715. *Lam. illustr.* t. 441. f. 2. *Camer. epit.* 751. *Chabr. stirp.* 109. f. 4.

α. concolor, foliis subtus pubescentibus utrinque concoloribus.

β. discolor, foliis supra laete viridibus subtus argenteo-tomentosis.

γ. glandulosus, caulibus, petiolis pedunculisque glandulosis. *

Var. α. et β. in nemoribus editioribus Lodersiebensibus et Ziegelrodensibus passim, rarius per hyemem perennant. γ. in lapicidinis montis Kyffhaeuser.

Notae essentiales exstant in: caulibus angulatis validis, foliolis plus minusve rhomboideis, lateralibus petiolatis, floribus corymbosis inque calycibus reflexis.

Species in agro halensi saltem quoad foliorum formam, plus minusve rhomboideam minus polymorpha, quoad pubem tamen multis obnoxia vicissitudinibus, ut ex varietatibus indicatis aliisque intermediis levioribus elucet. *Gmelino* enim observante (*Pall. ross.* I. 2. 130.), in Persia Rubus fruticosus obvius est, toto caule cum aculeis, petiolis, pagina foliorum utraque petiolisque tomento denso albo obductis, qui in horto astracanico cultus, habitum plantae vulgaris mox induebat et flores albicantes quoque proferebat. Ob hanc potissimum observationem et ob generis indolem tam polymorpham dudum jam R. tomentosus *Borkh.* et *Willd* mihi in suspicionem venit, foliis ternatis utrinque tomentosis quadantenus alienus. Etenim neque pubes neque folia ternata, quae a *Linnaeo* jam, *Gmelino* et *Pallasio* R. fruticoso vero adscribuntur, solum stabiles largiuntur notas inconcussasque. Equidem igitur tamdiu dubius propono stirpem, donec spontaneam legerim meque de certioribus differentiis persuaserim et formam cum R. Idaeo microphyllo hactenus confero.

Varietates, caule inermi *Barrelierus*, acinis albis *Rajus*, floribus albis plenis *Magnolius* (eadem exstat in horto halensi), rubris *Hallerus* (*gotting.* 109.) habent.

211. Spiraea Ulmaria *L.*

Spiraeam Ulmariam quoad caulis proceritatem, germinum numerum, foliorum formam eorumque pubem, innumeris ludere formis, dudum jam compertum habui eoque magis *Schultzium* acutissimum admiror, qui tomenti in foliorum facie supina tanti habuit, ut duplices ex hoc lusu, qui in Rubo Idaeo aliisque redit, statueret species distinctas. Equidem, natura ipsa teste, utrique cum tertia addita, modo varietatum dignitatem concedo et fere ita interpretor:

Spiraea Ulmaria, foliis pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis, serratis, terminali subtrilobo, corymbis proliferis, germinibus contortis glabris.

α. nivea, foliis subtus cano-tomentosis margine crispis, caule proceriore.

Spiraea Ulmaria *auct.* *Schultz. suppl. starg.* 26.

β glauca, foliis subtus tenuiter tomentosis glaucescentibus planis.

Spiraea glauca *Schultz.* l. l.

γ. viridis, foliis utrinque viridibus concoloribus.

Var. α. propter fluminum ripas; β in irriguis umbrosis, alnetis sylvaticis inque salicetis; γ. in similibus at siccioribus locis.

XXVI. POTENTILLA.

Quamvis etiam repetitis de Potentilla genere examinibus a *Bessero* et *Lehmanno*, observatoribus eximiis, nuper institutis, omnia de speciebus singulis dubia discussa esse videantur, nihilosecius quaedam subeunt, quae quoniam in contrariam spectant partem, hoc loco neque reticenda nec quoque rejicienda sunt. Audacter igitur proferam, quae ex diutina Potentillarum quinquefoliarum in variis locis facta investigatione didici, et neque totius generis emendationem reticeam, neque synonymis a nuperis auctoribus aut neglectis aut male relatis dignam detraham attentionem.

* Potentillae Linnaeanae, quibus lubens Tormentillas, dubie autem Comarum subscribo, duplicem mihi largiri videntur tribum s. genera distincta, siquidem hodiernorum praeceptis fidem habere malueris, et totidem Natura servat ac dictitat.

I. PENTAPHYLLUM.

Calyx decemfidus. Corolla pentapetala. Stamina plurima calycina. Styli decidui. Receptaculum fungosum, tuberculatum, pilis parce obsitum. Achenia nuda, transverse rugulosa, hilo laterali volvato incumbentia. Flores lutei. — *Tournef. instit.* t. 153. *Gaertn. carp.* t. 73. f. 6. *Schk.* t. 136.

†) foliis pinnatis.

212. Potentilla Anserina *L.*, caulibus repentibus, foliis interrupte pinnatis, foliolis argute serratis sericeis, stipulis multifidis, pedicellis axillaribus solitariis folia subaequantibus, acheniis dorso sulcatis.

α. discolor, foliis supra virescentibus subsericeis.

β. concolor, foliis utrinque sericeo-candicantibus.

213. Potentilla supina *L.*, caulibus decumbentibus dichotomis, foliis pinnatis, foliolis oblongis inciso-dentatis, lateralibus hinc basi obliquescentibus, ultimis confluentibus, pedicellis axillaribus solitariis deflexis folio brevioribus, acheniis numerosissimis.

214. Potentilla rupestris, caule erecto, superne in ramos dichotomos diviso, foliis radicalibus pinnatis, caulinis ternatis, foliolis obovato-subrotundis in basin cuneatam attractis inaequaliter-inciso-dentatis.

In nemusculo Seebensi.

††) foliis digitatis.

215. POTENTILLA ARGENTEA *L.* foliis quinatis, foliolis cuneiformibus apice incisis margine subrevolutis subtus cauleque e basi adscendente surrecto tomentosis, petalis retusis calycem subexcedentibus.

β. DENTATA *W.*, foliolis caulinis subintegris in basin angustatam protractis apice 3 — 4 - dentatis supra denudatis, caulibus declinatis detrito - tomentosis.

γ. DISSECTA *W.*, foliolis in lacinias lineares plus minusve profunde dissectis supra incanis subtus cauleque erectiusculo niveo - tomentosis.

In aggeribus et promontoriis ubique; β. in saxosis, inter arenulas torrentum, humifusa; γ. in tectorum grumis.

P. argentea *L.* ad quam Pentaphyllum canum polystychum (ob Pucciniam foliis saepius innascentem ita dictum) *Thal. herc.* 88. citandum, tomenti et candoris ratione et foliorum dissectionibus mire ludit, ita ut vix omnes varietates nominibus propriis distingui possint. Varietates extremae dissimillimae, forma vulgatiore inter utramque media connectuntur. Var. dissectae specimina coram habeo, foliolis ad nervum usque in lacinias angustissimas lineares dissectis et habitu aliena. Var. dentata, caulibus humifusis Coronopodis Ruellii instar, et foliolis apicem versus modo leviter dentatis tamque angustis insignis praecellit, ut singulum foliolum laciniae var. prioris latitudinem fere adaequare videatur. Aliam varietatem δ. *diffusa* mihi dictam Potentilla Guntheri *Pohl. bohem.* II. 185. *Spreng. pug.* II. *Lehmann pot.* 97. t. 10. constituit, vix nisi caulibus debilioribus solito magisque diffusis diversa. Foliorum margo, quem au-

ctores in hac planum, in illa revolutum urgent, essentialis nihil habet, isque me judice, ex pilorum ubertate et pubis densitate in variis formis jam magis jamque minus revolvitur.

Cl. *Lehmannus* has modo distinctas formas transgreditur, aliam tamen var. β. foliolis omnibus regulariter dentatis insignem statuit cum Pot. impolitae *Wahlenb.* (*carpath.* n. 507.) synonymo. An recte? Equidem vero de hac planta in nemoribus thuringiacis lecta et denuo observanda opinionem reticeo, suo loco proferendam.

216. Potentilla verna *L.* ex emend. nostr. foliis inferioribus 3, 5, 7-tenatisve, caulinis ternatis simplicibusque subsessilibus, foliolis obovatis serratis basi attracta integerrimis rigidis subtus lineatis pube adpressa simplici partitave hirsutis, petalis obcordatis calycem superantibus, caulibus caespitosis prostratis, floriferis adscendentibus.

α. alpestris *W.*, foliis ternatis quinatisve, caulibus paucifloris depressis nanis.

a. foliolis pube simplici rara utrinque hirsutiusculis.

P. verna β. nana *DC. gall.* V. 542.

P. Brauniana *Hopp. DC. gall.* IV. 462. *Hoffm. germ.* II. 234. *Pers. ench.* II. 56.

b. foliolis, caule calycibusque pube stellata incanis.

P. subacaulis *auct. quord.* nominatim *Hopp. cent. pl. exs.*!

β. campestris *W.*, foliis radicalibus petiolatis ternatis quinatisve, caule declinato caespitoso.

a. caule, foliis utrinque petiolisque viridibus

pube ſimplici rigidula hirſutis glabratisve. — *Engl. bot.* I. 37.

P. verna *L.* et *auct.* a *Lehmann. monogr.* 108. enumerat.

Quinquefolium minus repens luteum XIII. *Tabernaem. hiſt.* 354. f. 4. *C. B. pin.* 325. *Rupp. jen.* 106.

b. caule, calycibus, petiolis foliisque utrinque pube ſtellata incaneſcentibus virore aliquantulum translucente candicantibusve.

P. cinerea *Chaix. DC. gall.* IV. 461. *Perſ. ench.* II 55.

P. verna *Roth. germ.* II. 573. ex deſcript.

P. ſubacaulis *auct. quor. Lehm. monogr.* 120. excl. ſyn. *Linn.*

P. opaca *Vill. delph.* III. 566. nec *Linn.*

P. arenaria *Borkh* teſte *Koch.* et *DC.*

P. incana *Gaertn. et Meyer wetter.* 248.

Quinquefolium minus repens lanuginoſum luteum *C Bauh. pin.* 325. excl. ſyn. *Tabern.* — *Rupp. jen.* 106.

Pentaphyllum minus molli lanugine pubeſcens fl. luteo *J. Bauh. hiſt.* II. 598. — *Chabr. ſtirp.* 170. f. 1.

Quinquef. IV. flavo fl. I. *Cluſ. hiſt.* II. 106. (ob folia incana et ſplendentia).

Pentaph. bavaricum *Camer. hort.* 120.

γ. MONTANA *W.*, caulibus annotinis ſubradicalibus proſtratis filiformibus aphyllis noduloſis in alios itidem elongatos folioſos et floriferos finientibus.

a. foliis caule petiolisque pube ſimplici piloſis.

b. petiolis foliis calycibusque pube ſtellata incanis.

P. ſubacaulis *auct. quord.*

δ. VINEALIS *W.*, foliis quinatis, foliolis obovatis in baſin cuneatam productis inciſo-dentatis ſubtus lineatis, caulibus annotinis ſubligno ſis ra-

dicalibus aphyllis in caespitem undique procurrentem digestis inque alios adscendentes floriferos innovantibus.

a. caule, petiolis foliisque pilis simplicibus hirtis.

Pentaphyllum minus suffruticosum *Thal. herc.* 88.

b. caule, calycibus, petiolis foliolisque pube stellata obtexta utrinque candicantibus.

P. subacaulis *auct. quorumd. Ann. bot.* 146.

Var. α. in alpibus Helvetiae et Austriae; β. ad vias, in pascuis campestribus inter Seeburg et Rolsdorf, a. in solo argillaceo limosoque abundat, b in iisdem locis, quibus calyx s. arena subest; γ. in collibus herbidis graminosis, a in glareosis, b. in arenosis; δ. in vineis et promontoriis apricis ad Koelme, Lodersleben et aliis Thuring. locis, b. in ericetis arenosis des Zorgs, der Heide, hinter Nietleben, Kroellwitz etc., inque collibus calcareis asperis, quibus in locis var. β. γ. δ. promiscue occurrunt.

Radix perennis, lignosa, fibris pluribus aucta, superne squamis fuscis munita, quoad soli indolem dilutius saturatiusve fusca, plus minusve valida, jam (idque etiam in var. nana) pennae corvinae jam anserinae crassitiem attingentes. Caules cespitosi, prostrati, floriferi adscendentes, pilis plus minusve rigidis, adpressis patentibusque, jam simplicibus, aliis minoribus simul intermixtis jamque stellatim partitis hirsutis, magnitudine habituque perquam variantes, in var. α. valde abbreviati, vix unguiculares, in β digitales et nonnisi longiores, in γ. annotini, radicales, aphylli, foliorum emortuorum rudimentis inscripti ibique nodosi, filiformes, fusci, flexiles, longissimi, superne in alios floriferos praelongos 1 — 2-pedales, subadscendentes semet innovantes: in var. δ. similes cum praecedente at crassiores, lignosiores, bre-

viores et firmiores, plurimi ex eadem radice undique protensi, caespitem multicipitem, vastum, pedalem formantes. *Folia* radicalia ternata, quinata et in speciminibus majoribus saepius septenata eaque longius breviusque petiolata: caulina ternata, summa simplicia, stipulis oblongis acute excisis, amplexicaulibus insidentia: foliola obovata, ab apice retuso usque ad mediam partem serrata in basin integerrimam cuneatam plus minusve longam producta, rigidiuscula, subtus nervis prominentibus, in serraturas abeuntibus exarata s. lineata, cum petiolis nunc pilis rigidulis rigidisque, simplicibus, magis minusve adpressis, pube tenuiore simul intermixta hirsuta, demum saepius glabrata (*P. serotina* *Vill. delph.* III. 564.), jam pilis stellatim partitis, parcius dispersis cum quodam virore translucente incanescentia, jam pube stellata, densa, intertexta cooperta indeque incano-tomentosa. *Pedunculi* uniflori, erecti, subterminales, quoad pubescentiam, caulis foliorumque more pilis simplicibus stellatisque hirsuti. *Laciniae calycinae* inaequales, exteriores lanceolatae, interiores ovatae. *Petala* obcordata, apice emarginata, flava, nonnisi ungue macula aurea inscripta (*P. rubens* *Vill.*). *Semina* subrotunda, jam venis perspicuioribus, jam obsoletis reticulata, jamque omnino laevigatis iisque variis in eodem receptaculo.

Ita nec aliter de Potentilla verna, ob mutationes continuas rectius forsan, *versipellis* vocanda, judicandum, singulas autem, quotquot statuerunt auctores species, subspecierum constantium et in eodem loco natali fideliter redeuntium titulis modo indicandas esse atque describendas, ex diutina pluribus annis locisque facta observatione edoctus profiteor, quin, quamvis nonnulli emendationem nostram ablonam habeant, obtestor. Ipsa enim Natura P. vernam, stirpem voluit esse maxime polymorpham et insigniter versipellem et per illam potissimum, pubem, ludicram sistere differentiam, luculenter comprobatur. Sua profecto, in hac

planta loci natalis proprietas et indoles expoſcit jura iisque jubentibus et ſtirpis natura polymorpha favente, formas ſibi parat inter ſe ſatis alienas. Neque foliolorum numero, neque eorum figurae et pubeſcentiae, neque caulis directioni totiusque ſtirpis magnitudini, ne denique ſeminum indoli quidem, notis nimis ſubtiliter circumſcriptis, in his plantis diſtinguendis confidendum eſt: nulla in his partibus nota exſtat ſtabilis inconcuſſaque, nulla eſt, niſi in habitu totius plantae generali, nulla, dico, in utraque forma quoad pilos ſimplices et ſtellatos hucdum promiſcue diſtincta, niſi in ipſa pube. Reliqua omnia eſſentialia ad unguem congruunt et eandem ſpeciem praedicant. Quamvis tranſitus et mutua ſpecierum putatarum adfinitas, ſpeciminibus ſiccis et ad illam illuſtrandam in ordinem redactis, melius quam verbis exponi poſſit, num tamen ſequentibus lucis quid foenerari numque ſine ſpeciminibus additis, obſervatores de hac diſceptatione dubios perſuadere valeamus, audacter experiamur. Et primum quidem de foliolorum numero. Solum foliolorum numerum, aliis differentiis non additis, in hac ſaltem familia ad ſpeciem deſignandam haud idoneam eſſe, dubitari nequit, eaque viciſſitudo in Rubis omnibus inque aliis Potentillis v. c. P. alba, foliis ternis me obſervante rariſſime variante inque P. noſtra, quamvis etiam a cl. *Lehmanno* folia ternata denegentur (*monogr.* 110.), redit, a plantis alpinis autem minime aliena eſt, in quibus omnes partes climatis poteſtate abbreviantur inque habitum preſſum immutantur. Hinc potiſſimum P. Brauniana et P. ſubacaulis, qualem *Hoppius* cl. ſiccam dedit, a P. noſtra adeo polymorpha removeri nequit, quae aliis notis praeſtantioribus et habitus conformis communione ad amuſſim congruit. Quantum habeat loci natalis proprietas in hanc plantam poteſtatem, ex indigenis dilucide patet, quae ab unciali ſ. bipollicari longitudine (hanc vero cl. *Lehmannus monogr.* 113. pro menſura normali de-

clarat) ad pedalem extenduntur tantamque jactant ut ſingulum ſpeciminum proceriorum foliolum totius plantae alpinae molem adaequare videatur. Quis igitur in planta ultra nives aeternas, altitudine 6 — 7000 ped. par. ſupra mare creſcente, ſimilem mutationem aut denegabit aut admirabitur? quis illam ob ſolam minutiem ab aliis removebit? Majora dubia apud quosdam auctores pubis ratio, quam omnes pro nota inconcuſſa declararunt, quae quidem nobis plantae naturam aliter dijudicantibus, levioris momenti eſſe videtur. Specimina P. vernae verae et ſubacaulis *auct.* ſeorſim adſpecta, quoad pubem toto quidem discrepant coelo, aliis autem formis ex habitu et partium figura intermediis, ex vario loco collatis optime connectuntur. Jam enim idque in P. verna in ſolo argillaceo, lutoſo aliove ejusmodi nata, pili ſimpliciſſimi aut omnino rareſcunt aut copioſiores plus minusve rigent et caulem undique, petiolos et nervos paginae inferioris elevatos obveſtiunt et in prona facie pariter etiam proveniunt iique promiſcue cum aliis obſolete ſtellatis mixti occurrunt; jam in aliis speciminibus in locis argillaceo - calcareis ſ. arenariis natis minores, aliis in radium depauperatum expanſis cincti ſunt iisque aucti aut perſiſtunt aut revera ſtellati fiunt iique iidem nunc rariter diſperguntur nunc in ſpeciminibus in collibus calcareis ſ. arenariis aſperis creſcentibus ubertimi, multiradiati, pilo intermedio amiſſo, utramque foliorum faciem obtexunt. Tantam vero pubis mutabilitatem a Natura ipſa incoeptam, loci natalis proprietas praeprimis perficit ac molitur, ita ut in ſolo calcareo et arenoſo pili lubenter nec invita Natura, baſin verſus varie ac manifeſtius partiantur, in argillaceo, glareoſo inque lutoſo multo frequentius ſimplices perſiſtant et elongentur. Hinc quoque quibusdam regionibus, quae ſolum ex utroque mixtum habent, in glareoſo P. verna plerumque ſimpliciter piloſa, in calcareo vicino obſolete ſtellato - piloſa, in apricis aſperis denſe ſtellato - to-

mentosa occurrere solet: hinc his locis virescit, illis cum virore quodam subcanescit, aliis vicinis, virore excusso candicat: hinc quoque quibusdam regionibus, quibus calx s. arena solum subest, Potentilla nostra pilis stellatis obsita incanescit inque illis P. subacaulis vulgo sic dicta occurrit, ut ex P. verna halensi, berolinensi, galliciana et bavarica a cl. *Rothio*, *Sprengelio*, *Kunthio*, *Bessero* ipsoque *Camerario* descripta intelligitur. Modum vero, ad quem pili simplices basin versus partiuntur, satis peculiarem in hac planta studiosius investigavi. Omnia scilicet folia utrinque punctis subtilissimis, oculo armato modo conspiciendis, alutae instar inscripta sunt et ex his punctulis pili basin versus tanquam ex bulbillo radios, quibus primarii, augentur, colligunt, qui secundum loci natalis ubertatem variam, magis minusve idoneam, jam obsoleti virorem leviter mutant, jam faciem integram tomenti densi instar ita obtexunt, ut virore omni excusso, candore sericeo tingantur. — Quae quum ita sint quumque P. vernam pro planta per Europam cunctam divulgata habeam, omnes mutationes ad pubem, foliorum formam, caulis longitudinem et directionem soli proprietati variae adscribendas et in specie distinguenda et statuenda solum ad habitum generalem, qui in omnibus exacte idem est, respiciendum esse persuasus sum et his edoctus argumentis omnes formas easque ex innata mutabilitate tam varias sub P. vernae titulo comprehendo.

Quod attinet ad *P. subacaulem* *Linn.* veram, hanc quoque nuperrimis auctoribus locum dedisse erroribus et ab illo inde tempore, quo *Jacquinus* aliique pubis similiter exstructae similitudine decepti suas divulgarunt, commixtam esse, certum est atque exploratum. Alia autem est eaque diversissima, Galliae australi indigena, quam *C. Bauhinus* in Granadae saxosis lectam ab *Albino*: *Morisonus* ex sylvis Pictavio adjacentibus: *Garidellius*, *Linnaeus*, *Candollius*

aliique ex Galloprovinciae rupe Victoria (la montagne de S. Victoire habueruot et ad quam me judice, ex loco natali synonyma sequentia laudanda sunt: P. velutina *Lehmann monogr.* n. 74. p. 170. — P. subacaulis *Linn. mant. sp. pl.* I. 716. — *DC. gall.* IV 463. excl. syn. pl. et loc. nat. — *Poir. enc. bot.* V. 602. excl. syn. — Fragaria incana *Lam. gall.* III. 112. — Fragaria sterilis sylvestris sericea incana *Moris. hist.* II. 187. *Garid. aix.* p. 190. t. 109. — Fragariae affinis sericea incana *C. B. pin.* 327. — [illegible] phyllum effigie f. Leucas quibusdam *J. B. hist.* II. 398. *Chabr. stirp.* 171. f. 5. — Incana effigie Leucas Diosc. *Lobel.* 307. — Leucas I Argentina monspe iaca quam *Tabernaemont hist.* I. 365. f. 2. figura rudi reddit et male describit, hujus quoque loci forsan est, quamvis ab illo ad Teucria rejiciatur.

217. Potentilla opaca *L.* foliis quinatis septenatisve, foliolis obovato-oblongis serratis subtus petiolisque pube molli patentissima pilosis, caulinis vaginantibus suboppositis, vaginis amplis foliola subaequantibus, pedunculis filiformibus, caulibus basi ferrugineo-squamosis decumbentibus.

P. opaca *Linn. sp. pl.* I. 711. *Nestl. monogr.* 54. *Lehm. mon.* 105.

Quinquefolium montanum sericea hirsutie obsitum *Rupp. jen.* 106 *Buxb hal.* 254.

Pentaphyllum minus molli lanugine pubescens, fl. luteo *Chabr. stirp.* 169 f. 6.

Quinquefolium IV. flavo flore II. *Clus. hist.* II. 106.

Species a praecedente ejusque varietatibus distinctissima nec adeo polymorpha, sed caulibus squamis ferrugineis onustis a basi inde adscenden-

tibus, pedunculis ſiliformibus, foliolis magis oblongatis, floribus minoribus et maxime pube molli, patentiſſima, alba, quibus omnes partes pubeſcunt, facile diſcernenda. Varietas omnibus partibus magis lanuginoſa ſ. villoſa et foliolis anguſtioribus, argutius et fere ut in P. hirta *L.* ſerratis exſtructa, qualem *Linn.* ante oculos habuiſſe videtur, paſſim intercurrit. Quoad inflorescentiam Tormentillae erectae: quoad pubem, Potent. Fragariaſtro *Perſ.* ſimilis.

Pubes plantae a plurimis auctoribus hirta perperam vocatur: pili enim cum illis P. vernae collati, multo molliores ſunt, albi et revera pubem piloſam conſtituunt.

II. THERMOPHYLLUM.

Calyx, corolla, ſtamina Pentaphylli. Styli perſiſtentes. Receptaculum commune fungoſum, pilis perſiſtentibus tectum. Achenia laevia baſi pilis inflexis cincta, hilo infero plano adfixa. Flores albi.

Huc pertinent: Potentilla cauleſcens *Jacq.*, P. Cluſiana *Murr.*, P. lupinoides *Willd.*, P. valderia, P. alchemilloides *Lapeyr.*, P. nitida, P. ſplendens *DC.*, P. tridentata *Ait.*, et praeter has indigenae:

218. Potentilla Fragariastrum *Perſ.* caulibus decumbentibus, foliis ternatis utrinque piloſis ſubtus diſcoloribus, foliolo impari obovato in baſin cuneatam integerrimam abrupte attracto, lateralibus obliquis margine externo ad baſin ſerrato, laciniis calycinis majoribus ovatis petala obcordata aequantibus.

219. Potentilla alba *L.* caulibus procumbentibus, foliis radicalibus quinatis, caulinis ternatis, foliolis oblongis apice conniventi-serratis supra glabris subtus glaucis sericeo-canescentibus, laciniis calycinis majoribus ovato-oblongis acuminatis petala obcordata subexcedentibus, minoribus linearibus.

Inter utramque media, alia nova est, hybrida utriusque progenies neque ad hanc neque ad illam proprie referenda:

† 220. Potentilla hybrida *W.*, caulibus *procumbentibus*, foliis radicalibus 3 — 4 natisve, *foliolis obovato-oblongis* apice infraque illum conniventi-serratis supra glabriusculis subtus glaucescentibus *sericeis*, laciniis calycinis ovatis acuminatis *petala obcordata aequantibus*.

Inter virgulta rechts von der Steigerthaelschen Mittelmühle in Pot. Fragariastri et P. albae consortio, extra agr. hal. fines. Maj.

Forma memoratu dignissima et in Potentillarum historia et in totius rei herbariae cognitione haud satis celebranda et perpendenda, inter P. albam et P. Fragariastrum ita intermedia, ut habitus externi, foliorum fabricae et figurae ratione jam huic, ex qua patre, jam *illi*, ex qua matre orta est, tam similis existat, ut vix nisi foliolorum numero et figura, in utraque specie acute distinguenda, dignosci possit. Eximium profecto stirpes hae offerunt plantarum hybridarum exemplum, quo cum aliarum plantarum cognitio, formis similibus at difficilius eruendis implicita illustratur meaque de illis opinio confirmatur. Plantae singulae succincte describi nequeunt: vacillant enim inter utramque speciem, ex qua ortae sunt et nunc ex hac nuncque ex illa

majorem arripuerunt ſimilitudinem. Stirps hybrida enim radicem lignoſam, pro planta validam, protenſam, habitum foliorumque figuram generalem, ſerraturarum conniventium indolem, lacinias calycinas, corollam a P. alba: pilos, quibus facies foliorum proba magis minusve pubeſcit, pubem petiolorum patentiſſimam, receptaculi acheniorumque indolem, tempus floreſcendi a P. Fragariaſtro mutuavit. Inter illa vero ſpecimina praeter foliolorum numerum ternarium, ad unguem P. albam referentia, alia paſſim occurrunt, habitu externo ad P. Fragariaſtrum propius accedentia, quae pubem aliquam in foliolorum ad figuram obovatam proclivium pagina ſuperiore induere incipiunt. Tanta autem partium mutabilitas et inter utramque ſpeciem ambiguitas, minime varietates ſed potius formas hybridas proferunt, revera intermedias, eodem jure ad hanc quam ad illam relegandas, quae citra ſpeciei dignitatem, illam quidem fingunt, me tamen judice nunquam recuperant et, quamvis ab auctoribus pro ſpeciebus diſtinctis declarentur, aptius ad parentes rejiciuntur.

POLYANDRIA.

221. Aconitum Lycoctonum *L.*

Aconitum Lycoctonum luteum *C. Bauh. pin.* 183., illo auctore in montibus caule productiore et foliis amplioribus, alibi humiliore foliisque minoribus, floribus luteis, interdum etiam pallidioribus varians, aeque ac Aconitum Lycoctonum *Linn.*, titulos me interprete offerunt vagos, finibus idoneis minime circumſcriptos, nec piget, eadem cum *Moriſono* (*hiſt.* I. 463.) proferre dubia et cum illo ſciſcitari, an formae multae, ab auctoribus laudatae, merae ſint varietates ſive ſpecies diſtinctae. Veteres rei herbariae ſcriptores et nuperi etiam, indoli ſpeciei polymorphae nimiam tribuiſſe dignitatem, ſatis probabile eſſe videtur; ea ſaltem mente

et *Linnaei Wahlenbergii*que et *Candollii* plantas dijudico. *Linnaeus* in lapponicis Aconitum Lycoctonum foliis peltatis palmatis, multifidis, villosis, petalo supremo cylindraceo insigne distinxit nec alias notas *Wahlenbergius* (*lapp.* 152.) urget, varietatem duplicem, alteram floribus coeruleis (Ac. septentrionale *Willd. fl. dan. t.* 123.), alteram floribus lutescentibus (Ac Lycoctonum *Willd.*) laudans. Equidem vero, quamvis speciminibus lapponicis (ex quibus, nisi a nostris differunt, var. tertia Linnaeana vocanda redundat, si differunt, aliud Aconitum *Linn.* ex synonymis, aliud ex ejus herbario allumendum est) minime exstructus, nequaquam tamen *Wahlenbergii* comparationi scrupulosae ad Kirkivare instit.tae fidem detrahere volo et lubens concedo Acon Lycoctonum *Linn.* foliis palmatis multifidis villosis insigne, florum colore ludere et unam eandemque modo largiri speciem, synonymis germanicis et helveticis omissis, a *Linnaeo* determinatam, a *Wahlenbergio* autem restitutam. Relictis igitur de stirpe lapponica dubiis, nostra specimina attentius et ita plane circumscribamus ut boreales suam a nostra aut diligentius distinguant aut cum nostra conjungant.

Aconitum Lycoctonum, galea calyptrode obtusa basi exunguiculata petalis lateralibus incumbente, antice in apicem obtusum finiente, calcare producto in spiram simplicem revoluto, foliis trifidis utrinque pubescentibus.

α. Thalianum *W.*, foliis semitrilobis, lobis trifidis laciniisque obtusis, lateralibus semibilobis conformibus folium quinquelobum mentientibus, petiolis, pedunculis corollisque (luridis) aurato-pilosis, caule erecto.

Ac. Lycoctonum *Willd. sp. pl.* II. 1232. *Leyss. hal.* *Spreng. hal.* 155. *Roth. germ.* II. 591.

Napellus flore luteo *Riv. Rupp. jen.*, 290. *Buxb. hal.* 233.

Acon. Lycoctonum luteum *Thal. herc.* 7.

β. Clusianum *W.*, foliis femitrilobis, lobis bitrifidis laciniisque ovato-lanceolatis acutis, petiolis pedunculisque albo-pilosis, corollis (flavescentibus) glabriusculis.

Ac. Lycoctonum β. glabriflorum *DC. syst.* I. 369.

Ac. Lycoctonum *Hopp. cent. pl. exsicc.*

Ac. Lycoct. vulgare flore luteo *Clus. hist.* II. 94. *Camer. epit.* 827. *Moris. hist.* f. XII. 2. f. 1. opt.

Varietas *Clusiana* a *Thaliana* differt: caule elatiore; florum spica longiore et multiflora; foliis majoribus, quoad figuram generalem quidem conformibus, laciniis vero longioribus, profundius incisis, dentibus acutioribus utrinque et petiolis pube alba adspersis; floribus pallescentibus, extus glabris, galea ampliore et cuculli calcare argutius revoluto labioque latioribus.

Utrum Ac. Lycoctonum *Linn.* foliis multifidis a nostro alienum revera differat anne potius var. angustifoliam, qualem Ranunculus polyanthemus, supra uberius descriptus offert, praebeat, scilcitor.

222. Aconitum Bernhardianum *Wallr.* cuculli calcare brevi spirali, labio ovato-lanceolato bifido recto, galea conica longe unguiculata antrorsum in rostrum protracta a petalis lateralibus subspathulatis obliquis retracta, petalis inferioribus lanceolatis obtusis deflexis, foliis quinquepartitis, laciniis tripartitis oblongis incisis basi cuneiformibus. Tab. II.

Ac. rostratum *Bernh.* — *DC. syst.* I. 376.

Ac. neomontanum *Spreng. hal.* 155. nec *Koell.*

Ac. Napellus *Ehrh.* ex loco nat.
Ac. Cammarum γ. *Linn. sp. pl.* I. 751.
Ac. coeruleo-purpureum, flore maximo s. Napellus IV. *C. Bauh. pin.* 183. *Moris. hist.* s. XII. t. 3 f. 12.
Ac. Lycoctonum flore maximo *J. Bauh. hist.* III. 659. f. 2. *Chabr. stirp.* 532. f. 2
Ac. Lycoctonum IX. Judenbergense *Clus. hist.* II. 97 f. 2.

In nemore Loderslebensi passim, maxime in alneto interpratensi circa fontem aureum. Aug. Septbr.

Radix vasta, napiformis, ut congenerum. Caulis simplicissimus, foliosus, teres, firmus, superne in ramulos patentes floriferos divisus. Folia petiolata, quinquepartita: laciniae ovato-oblongae, basi cuneiformes, regulariter partitae, acute incisae, supra saturatius-, infra dilutius viridia, glaberrima: ramea sessilia, sensim minora. Pedunculi glabri, uniflori. Flores speciosi, in paniculam laxam dispositi, dilute-violacei, omnes, maxime tamen inferiores longe pedunculati, glabri, unicolores. Galea conica, elongata, longe unguiculata, dein a petalis retracta, in rostrum anticum longum abrupte productа: petala bina intermedia spathulata, obliqua, inferiora lineari-lanceolata, obtusa, deflexa. Nectarii cuculli calcar, spiraliter recurvatus, fere sicut in Lycoctono, tamen brevior: labium ovato-lanceolatum, obtusum, bifidum, rectum. Capsulae glabrae.

Aconitum illud, quod Ac. Neomontani *Koell.* et Ac. Neubergensis *DC.*, nominibus hybridis in systema transiit, a clar. *Sprengelio* in nemoribus Loderslebensibus indicatum, ab utroque diversissimum esse, dudum jam et ex descriptionibus et ex synonymis citatis intellexi. Quorsum enim galea humilis, antrorsum breviter rostrata, cuculli calcar aduncus, foliorum laciniae lato-lanceolatae et pedunculi pubescentes cum nostro congruunt,

quod galea conica elongata, longe abrupteque rostrata, floribus non saturate- sed laete violaceis, foliorum laciniis oblongis cuneiformibus pedunculisque glabris longe alienum discrepat. De synonymis nullum plane superest dubium. Acon. rostratum nominare nolui, quum omnia Cammara Candolliana, galeis in mucionem plus minusve longum productis praecellant.

Specimina in Hercyniae praeruptis des Selkethals lecta cum halensibus exacte congruunt simulque imposuerunt, ut *Ehrharti* plantam, a cl. *Candollio* ad Ac. Neubergense suum relatam, ex ducatu Blankenburgico huc duxerim. Quaenam fuerit Aconiti species Napelli veri nomine a *Rehfeldtio, Knauthio* et *Buxbaumio* in nemoribus dem Mittel- und Petersbergischen Holze indicata, anceps haereo. Neque enim *Leysserus* neque praeceptor immortalis neque ullus alius unquam l. l. Aconiti cujusdam observarunt vestigia.

223. Tilia microphylla *Vent.* foliis cordatis basi oblique rotundatis acuminatis inaequaliter serratis, supra, ramulis petiolisque glaberrimis, subtus glauco-viridibus, axillis venarum rufescenti-pilosis, nuce citriformi ecostata apice mammillata fragili. — Tilia folio minore *J. Bauh. hist.* I. 137. *Rupp. jen.* 108. *Buxb. hal.* 319.

224. Tilia platyphylla *Scop.* foliis cordatis oblique rotundatis acuminatis serratis utrinque concoloribus, nervis ramulisque junioribus villosis, nuce subgloboso-turbinata costata lignosa. — Tilia foemina folio majore et T. montana maximo folio *C. B.* *Rupp. jen.* 108. *Buxb. hal.* 319.

Utraque stirps foliorum magnitudine ac nucularum superficie varians, nemoribus nostris indigena, nec Carnioliae solum, ut *Willdenowius* vult, propria, quamvis etiam illa magis borealis, haec australis esse inque solo calcareo maxime laetari videatur.

XXVII. THALICTRUM.

„Thalictri generis naturalissimi species obscuras esse nec characteribus certis satis definitas, easque monographia accurata maxime egere,„ *Candollius* summus in *Systemate vegetab.* (I. 169.) conqueritur et equidem ipse olim jam (*Ann. bot.* 74.) monui; nec displicet hoc loco stirpium quarumdam agro halensi indigenarum historiam diligentius enarrare et primas ad illam ducere lineas. Summa profecto, omnia Thalictra indigena (taceam exoticorum et in hortis aut cultorum aut natorum umbram) premuntur difficultate et quamvis in omnibus plantarum enumerationibus, tute quasi, simulac vero obiter ac veluti in transcursu, nominibus Linnaeanis indicentur, tanta tamen, attentius adspecta, apud varios auctores objiciunt dubia, ut in synonymis laudandis, redigendis et castigandis opera et oleum perditum esse videatur. Omnia autem haec dubia sive ex generis indole polymorpha et stirpium in variis locis mutabilitate proficiscuntur, sive etiam descriptionum minus concinne accurateque promissarum fallaciam et ambiguitatem redarguunt eamque notam ne recentiores quidem effugiunt. Thalictrorum similitudinis naturalis vinculo arctissimo connexorum limites specificos statuere eosque formis singulis scite adaptare, arduum omnino et difficile est. Plurimi quidem auctores in speciebus statuendis jam caulis florumque proprietati, jam foliolorum figurae, ... mis subtiliter circumscriptae, eorum superficiei, ... lori, magnitudini et quo, cauli adduntur mo... inflorescentiae et habitui denique, qui ex his ... bus redun-

dat, promiscue quasi confiderunt hisque et aliis ejusmodi decepti, omnium fere Thalictrorum (Th. foetidi *L.*, pubescentis *DC.*, minoris *L.*, saxatilis *DC.*, elati *Murr.*, majoris *Murr.*, medii *Jacq.*, flavi *L.*, angustifolii *L.* aliorumque) definitiones vagas ac ambiguas ediderunt, ob generis naturam mutabilem denuo et aliter expoliendas. Equidem enim his omnibus partibus, generi potius s. speciei cujuscunque singulae varietati propriis, summam computo fallaciam, qua pertaesus aliam ingredi viam et in Thalictris distinguendis juxta habitum proprium, maxime ad carpellorum figuram et fabricam respicere praecipio. Exemplum offert Th. montanum nostrum, formis variis, in quovis propemodum loco obviis, quasi suspectum. *Linnaeus* ex aliis innumeris, modo varietatem roridam, nebula caerulescente et apicibus foliolorum purpurascentibus insignem: *Smithius* varietatem aliquam glaucam, ut ex icone botanici anglici conjicio, novit, quae quidem formae aliis primariis fidem amice connectuntur. Quamvis enim nebula caerulescens, (taceam foliolorum apices purpurascentes), stirpis essentiam revera complecti videatur, illa tamen ex varia loci natalis conditione nunc rarescit modoque circa vaginas inque carpellis persistit, nunc vero in aliis speciminibus obsoleta omnino evadit, ejus loco glandulas acquirit speciei que notam ambiguam reddit atque mentitur. Quamvis igitur Thalictrum nostrum mire ludat inque eodem loco plurimis aliis saepe simillimum evadat, quamvis hic, caule dodrantali, microphyllo, alibi bicubitali, macrophyllo foliisque Th. aquilegifolii majoribus instructo reperiatur, in his omnibus tamen varietatibus, eandem carpellorum figuram et magnitudinem fideliter servat. Similem procul dubio mutabilitatem, denuo et diligentius sub dio observandam, alia complura nisi omnia Thalictra subministrant eaque forsan Th. flavum ipsum, (quod, ut infra docebo, ab auctoribus varie describitur et cujus innumerae mihi quidem in-

notefcunt formae, hucdum autem nondum fatis exploratae funt), excellis et formis variis, quas gignit, obfervatorum acumini illudit.

225. Thalictrum montanum *Wallr.* caule flexuofo fupra bafin vaginatam aphyllam foliofo, foliolis obovatis fubrotundisve obtufe-trifidis glauco-viridibus, floribus umbellato-paniculatis cernuis, carpellis oblongis aequaliter coftatis utrinque attractis, illis nervis foliolorum vaginisque coeruleo-pruinofis.

α. virens *W.*, foliolis obovato-cuneiformibus profunde acuteque trifidis (parvis) utrinque cauleque viridibus concoloribus, carpellis glabriusculis pruinofis.

? Th. faxatile *DC. gall.* V. 633. *fyft. veg.* I. 178.
Th. nutans *hort. quorumd.*
Th. minus *Leyfs. hal.* 132. in vineis Bennftad *Poll. palat.* II. 100. excl. fyn. *Hall.* — et *al. auct.*

β. roridum *W.*, caule nebula perenni coerulefcenti pruinofo foliolisque fubrotundis trifidis glaucis glabris.

Th. minus *Linn. fp. pl.* I. 769.

γ. glandulosum *W.*, foliolis fubrotundis leviter trifidis utrinque (magis minusve) glaucis, illis, vaginis, petiolis carpellisque glandulofis.

Th. pubefcens *DC. gall.* V. 633. *fyft.* I. 177.
Th. minus *Smith. brit.* I. 585. *Engl. bot.* t. 11., *DC. fyft.* I. 178. excl. fyn. *Schk.*, *flor. dan.* t. 732. *Rupp. jen.* 69. ex l. n. *Tabernaem. hift.* 121. *Morif. hift.* IX. 20. 12. et *al. auct.*
Th. foliis latis rotundis tridentatis, caule nudo laxiffime paniculato *Zinn. gott.* 118. ex l. n.

Var. α. in vineis saxosis sterilissimis ad Bennstaedt, quo loco et alia var. foliis rotundioribus et obtusioribus (Th. saxatile *DC*) passim intercurrit: γ. in collibus gypsaceis, calcareis ad Frankenhausen, Sondershausen, Bottendorf inque jugo meridionali arenoso der Rothenburg, intra arcem, ubi maxima hujus Th. luxuries et mutabilitas; in similibus locis der Steinklippe etc. Jun. Aug. fructus maturat.

Radix fibrosa, horizontaliter protensa, flava, praeter caulem, aliquot foliola et plantae sequuturae initia sustinens. Caulis teres, leviter striatus, firmus indeque quadantenus arbusculaeformis vocandus, flexuosus, erectiusculus, simplex, raro a basi inde ramosus, supra basin adscendentem, vaginis fuscis munitam, internodiis foliiferis, incrassatis interceptus, cum vaginis in omnibus fere varietatibus nebula rorida magis minusve coerulescens, in var. α. laete viridis f. purpurascens, in var. β. nebula irroratus, in var. γ. glandulis exilissimis, brevissime stipitatis, albentibus large adspersus, ab altitudine pedali ad bicubitalem varians. Folia triplicato-pinnata; inferiora, petiolo basi vaginante, hinc plano suffulta, quoad circumscriptionem generalem triangularia, in pinnas conformes, trifidas divisa: Foliola quoad figuram et superficiem varia: in var. α extremum obovato-cuneiforme, profunde acuteque trifidum f. quoque basi subcordatum idque latius obtusiusque dentatum, lateralia obliquata, similiter dentata, lineas 2 lata, 3 longa, utrinque sine ullo glaucore concolora, viridia, subtus nervis elevatis subglaucescentibus exarata; in var. γ. minora, magis rotundata basique subcordata, obtuse-leviter-inaequaliterque 3—6-fida, magis minusve approximata f. patula, majora, orbiculata, basi cordata, obovata et figuram cuneatam nonnisi haud male referentia; varie dentata f. subintegra, quoad magnitudinem perquam varia, nunc centimetr. $1\frac{1}{2}$ longa et totidem lata, nunc maxima, Aquilegiae vulgaris instar dilatata,

centimetr. 4 lata et longa, quoad colorem, jam concolora, jam subtus dilutius virentia, jam hinc glauca, jam utrinque glaucore insigni suffusa et fere discolora, plerumque vero, ut reliquae partes, glandulis exilissimis, pilis nullis ut in Th. foetido intermixtis, largius adspersa iisque viscidula et leviter foetentia, quoad consistentiam, jam firma, exsucca, jam satis tenuia, jam membranacea, rigida ex loco natali, qualia in exemplis helveticis vidi. Inflorescentia umbellato - paniculata; ramuli rigidi, inferiores patentes, foliolis parvis s. in var. grandifolia quadam, ovatis, acuminatis, integerrimis, latis suffulti, superiores erecti, foliorum rudimentis stipulaeformibus, scariosis, dentatis basi aucti. Pedicelli floriferi, apice cernui, demum fructiferi erecti, inferiores oppositi, 2 — 4, iique umbellam mentientes, elongati, carpellis quinquies octiesve longiores. Umbellulae pentaspermae. Germina oblonga, utrinque acuta, jam pruina coerulescente, pertenui, jam glandulis adspersa, stigmate conspicuo, unisculato, nigrescente coronata. Carpella oblonga, 8-costata, ex costis aequalibus teretiuscula, utrinque obtusiuscula, pro planta, maxima, in speciminibus sub umbra natis, utrinque et latere opposito levissime obliquata s. leviter ventricosa, stigmate coronata, lineas 2 longa, in var. α. semper nebula coerulescente irrorata, raro et glandulis adspersa, quae in var. γ. frequentiores rarissime tantum desunt.

Varietas γ. praeprimis polymorpha sequentes fere offert formas: a. *parvifoliam*, foliolis approximatis subrotundis minimis obtuse - dentatis, caule pedali; b. *integrifoliam*, foliolo extremo trifido, reliquis obovatis abrupte mucronatis subintegerrimis remotis, pedicellis umbellatis; c. *grandifoliam*, foliolis maximis, extremo basi cordatis, apice obtuse trifidis abrupte apiculatis, lateralibus conformibus obliquescentibus irregulariter remoteque dentatis glabriusculis, insignes, quae quidem

extremae et seorsim adspectae diversissimae, aliis intermediis innumeris amice connectuntur.

Speciei essentiam equidem in caule supra basin aphyllam folioso, inflorescentia laxa, umbellato-paniculata, pedicellis elongatis subumbellatis, carpellis majoribus, oblongis, aequaliter costatis eorumque nebula, qua haec maxime, caulis vero et petiolorum vaginae leviter caerulescunt, statuo. Glaucor et glandulae exilissimae, satis singulares, (quae forsan ex solo calcareo proficiscuntur et in hoc Thalictro ex nisu naturali ut in Polypodio calcareo *Sm.* nascuntur), in hac stirpe jam adsunt, jam omnino deficiunt, in Th. collino autem et Th. *elato* nunquam observantur. Qui ex foliolorum *figura*, magnitudine stirpisque totius altitudine, notis scilicet, ut hodiernis mos est, subtilius circumscriptis confidunt, errant et illis decepti species hybridas profundunt, quarum ex innumeris ejusdem stirpis varietatibus, quinque s. sex conficere potuissem. Quivis enim locus suas proferre videtur formas, et aliae in solo calcareo, aliae in gypsaceo, iterum aliae in arenoso: aliae existunt in apricis, aliae eaeque polymorphae in umbrosis viciniis. Ex tanta prorsus mutabilitate fieri solet, ut in Th. nostro in apricis calcareis nato omnes partes glabrae virescant habitumque arbusculaeformem, depressum fingant: in rupibus gypsaceis glaucore insigni saepius at promiscue suffundantur: hinc quoque folia in vepretis jam subtus glaucescunt eaque saepe maxima evadunt in caule exaltato, jam nebulam coerulescentem induunt, quae in plantis junioribus conspicuior, demum aut omnino deteri solet aut quoque in petiolorum vaginis carpellisque solum residet, jamque glandulas, *Th. foetidi* more, induunt iisque inter digitos trita leviter foetent. Nemo vero ejusmodi vicissitudines observavit, nemo explicavit, quamvis etiam auctores de stirpis colore dissentiant et bipartiantur, ideoque potissimum Th. minoris nomen mutavi ut novo universam

Th. nostri naturam succincte exprimerem. Synonyma perquam dubia sunt et equidem paucula eaque certa addidi ex loco natali.

Thalictrum foetidum Linn., caule simplici internodiis foliiferis approximatis intercepto, foliolis ovatis irregulariter profundeque trifidis, utrinque, vaginis petiolisque pubescentibus viscido-glandulosis, panicula pauciflora, carpellis ovato-subrotundis compressis stigmate abrupte mucronatis, definitum, praeter alias differentias a Th. nostri varietatibus glanduliferis facile et affatim dignoscitur.

† 226. Thalictrum collinum *Wallr.* caule basi folioso internodiis approximatis intercepto, foliis utrinque viridibus glaberrimis, radicalibus sessilibus confertis, foliolis e basi ovata subcordatave subrotundis obtuse-trifidis, floribus paniculatis cernuis, carpellis ovatis aequaliter costatis concoloribus stigmate recto coronatis.

Th. minus *Spr. hal.* 156. excl. syn. *Roth. germ.* II 597. ob fruct. ovatos, et *al. auct.*
Th. montanum praecox *Berg. francof.* 128.

In collibus editioribus circa Rossleben, Aqleben et alibi. Jun.

Radix fibrosa, horizontaliter protensa, flava, superne ex collo praeter vaginas aliquot, foliis plurimis aucta. Caulis ut congenerum, attamen nebula caerulescente et glandulis semper destitutus, gracilior, firmior, internodiis foliiferis 5—4 interceptus, plerumque purpurascens, 1 f. 2 pedalis. Folia sessilia in vaginis dilatatis, margine scariosis, utrinque sine glandulis ullis et glaucore magis minusve virentia s. purpurascentia: radicalia plura, in caespitem juncta et per omnem aetatem persistentia, multijuga et more congenerum, multipli-

citer divisa, caulina conformia, erecta, sensim minora et angustiora, floralia angustissima; foliola parva, congenerum more, varia, jam magis rotundata, basi ovata s. subcordata, 3 — 6 obtuseque dentata, jam obovata, trifida, basi attracta, omnia vero magis quam in congeneribus approximata. Inflorescentia paniculata, ex ramulis plurimis, rigidis, ramosissimis, flexuosis, inferne foliololis, superne eorum rudimentis scariolis suffultis composita. Pedicelli floriferi apice cernui, dein fructiferi erecti, alterni, breves, subramosi, ut plurimum carpellis ter quaterve longiores. Umbellulae pentaspermae. Germina oblonga, utrinque acuta, stigmate majore, fere biscutato coronata. Carpella exacte ovata, aequaliter costata, convexa, utrinque aequaliter attracta, stigmate apiculata, duplo quam Th. montani minora, viridia, glandulis et glaucore destituta.

Th. saxatile *DC.* nostrum esse, plane dubito, quoniam eandem carpellorum quam Th. minoris laudavit, cujus fructus a nostro valde recedunt. Th. sibiricum hort. hal. (? Th. concinnum *Willd.*) nec *Linn.* praeter folia radicalia, triangularia, multijuga, polyphylla, numerosissima, simillimum et forsan Th. collinum ipsum, climate mutatum. Quale sit Th. minus a *Buxbaumio* et *Leysero* in pratis ad Bischdorf, Reideburg, Canena indicatum anque ad nostrum sive ad Th. elatum pertineat, dicere non audeo: desunt enim exempla e loco.

† 227. Thalictrum elatum *Murr.* caule erecto internodiis foliiferis remotis intercepto, foliis utrinque viridibus, radicalibus petiolatis jugisque patentissimis, foliolis remotis basi obliqua subcordata obtuse - trifidis, floribus erectis paniculatis, carpellis ovato - subrotundis, costa

exteriori prominula in ſtigma coſtae interiori gibboſo inclinatum excurrente.

α. MULTIDENTATUM W., foliolis trifidis baſi oblique ſubcordatis, lobis lateralibus bifidis ſeptemfida mentientibus.

β. CUNEIFOLIUM W., foliolis baſi ſubcuneatis trifidis, lobis acutiusculis, caule ſepalisque purpuraſcentibus.

γ. ROTUNDIFOLIUM W., foliis patulis, jugis foliisque remotis ſubrotundis maximis apice dilatato truncato leviter trifidis, lobo intermedio abrupte breviterque mucronulato, caule paniculaque ramoſiſſimis diffuſis.

Th. majus *Ann. bot.* 72. excl. ſyn. et adnot. Th. minus *Schk.* t. 151. *Leyſs. hal.* 131. in pineto hal.

Var. α. ad nemusculi des Zorgs oram meridionalem cum Veronica foliosa, inque arvis Seeburgenſibus, Bennſtadienſibus viciniſque, var. β. cum priore et ſequente inter ſegetes paſſim intercurrit inque collibus ſylvaticis des Buchbergs nemoris Ziegelrod., var. γ. in colle dumetoſo des Biſchoffsbergs pineti halenſ. Jun.

Radix congenerum. Caulis ſurrectus, baſin verſus folio longe petiolato, demum in planta florifera deciduo auctus, internodiis diſtantibus interceptus, ſicut folia, glaucore glanduliſque deſtitutus, in var. α. gracilis, in β. firmior, in γ. robuſtior. Folia inferiora petiolo longo, in baſin vaginatam deſinente ſuffulta, multijuga, in var. γ. maxima, ex jugis plurimis iisque aeque ac ejus folia remotiſſime diſpoſita, ſupra plus minusve ſaturate-, ſubtus dilutius virentia: ſuperiora ſeſſilia, ſenſim minora; foliola varia, in var. α. rotundata, baſi ovata ſubcordatave, plus minusve obliqua, profunde dentata, dente intermedio trifido, lateralibus bifidis, foliola 7 — 8 fida fere mentientia, unguis molem aequantia, in var. β. in baſin ſubcu-

neiformium potius-attracta, apice profunde acutiusque trifida, in var. γ. duplo majora et latiora, antice dilatata et quasi truncata, praeter dentem extremum porrectum varie irregulariterque incisa, dentes magni, obtusissimi, parcius abrupteque apiculati saturatius virentia, $2\frac{1}{2}$ centimetr. longa et lata; in foliis superioribus, acutiora, minora et angustiora. Inflorescentia paniculata, ramosissima eaque in var. γ. diffusa et inferne foliosa: ramuli patentes, pedicelli magis minusve longi, carpellis sexies octiesve longiores. Flores erecti, brevius pedicellati vero subcernui, ut in icone Schkuhrii. Umbellulae pentaspermae. Carpella ovato-subrotunda, plantae elatioris ratione parva, more congenerum 8- at inaequaliter costata i. e. costa exteriore magis prominula, acutiore fere cristata, in stigma acutum inclinatum excurrente, interiore in gibbum obsoletum infra stigma abrupte desinente.

Quamvis Th. elati *Murr.* titulo, unica tantum forma, procerior illa et macrophylla, quam olim in *ann. bot.* Th majoris nomine descripsi nunc vero Th. elato varietatis loco subscribo, omnibus auctoribus innotuerit, tam variis tamen stirp obnoxia fit mutationibus ut ab inexercitato sin carpellis plane non recognoscatur.- Omnes ver mutationes locus natalis perficit eoque, ni fallor jubente et ex generis variandi nisu innato, in arvi apricis var. β. cuneifolia existit, quae nunc viret nunc vero habitu rigidiori magisque divaricato in lignis, caule sepalisque purpurascit.

228. Thalictrum flavum, quod *Linnaeo* teste, caule sulcato, panicula multiplic erecta, pistillis 10 — 16: *Smithio* auctore, cau libus angulato-sulcatis, parum ramosis, foliis sul tus glaucis, panicula ramosissima, parum folios stigmatibus cordatis brevibus: *Wahlenbergi* narrante, habitu lato foliisque maximis, subtu

glaucis (contra *Candollium*, qui folia utrinque viridia in fl. gall urget) excellere dicitur, cum indigenis collatum mihi dubium est. Specimina quidem coram sunt a definitionibus modo laudatis plane non aliena, nec tamen satis nota. Aliud forsan australe, aliud boreale, pro quo *Linnaeus* habet et ad quod *flor. dan.* icon t. 939., foliis ovato-subrotundis varie incisis insignis, melius forsan et *Wahlenbergii* opinio, Th. majus *Murr* Th. flavi *L.* varietatem meram esse, spectat. De illo igitur non solum sed quoque de Th. flavi var. β. speciosa *Leyss. hal.* 132. (Th. majus, flavum, staminibus luteis, glauco folio *Buxb. hal.* 316.), certioris quid affirmare nequeo et illius historiam patriis, hujus vero halensibus explicandam commendo. *Praeter alias varietates*, Th. *flavi titulo forsan promiscuo inscriptas nec rite digerendas*, aliud idque mihi optime notum coram est Thalictrum, quod quidem in his angustiis ἀνώνυμον indicare et diligentius describere lubet.

THALICTRUM — —, caule stricto simplicissimo striato heterophyllo, foliis erectis utrinque concoloribus, foliolis e basi ovata cuneiformibus trifidis, summis lanceolato-linearibus sensim angustioribus, stipulis scariosis dentatis petiolos partiales foliorum inferiorum munientibus, panicula florifera erecta contracta. — Th. pratense majus *Rupp. jen.* 69. ex l. — In pratis udis der Unstruth, Helme suisque locis minime rarescit.

Radix fusca, intus flava, longe protensa, annulis fibrosis intercepta. Caulis strictus, simplicissimus, striatus, undique foliosus, basi foliorum emortuorum vaginis fuscis approximatis vestitus, viridis, 2—4-pedalis. Folia utrinque subtus dilute viridia, biformia: inferiora petiolata,

petiolis in vaginas amplexicaules, ſcarioſas, fuſcas, demum laceras deſinentibus innixa; reliqua ſeſſilia: foliola in inferioribus, e baſi obovata, obtuſe protracta, cuneiformia, apice dilatata, trifida, lobis oblongis, obtuſiuſculis, ſubintegris, lateralia baſi magis obliqua, ſubſeſſilia, ſubintegra, circa petiolorum partialium, brevium baſin, ſtipulis ſcarioſis, fuſcis, dentato-laceris, ut Th. aquilegifolii, munita: in ſuperioribus ſenſim anguſtiora, ſumma linearia, integerrima ſ. dente uno alterove ſubtrifida, acuta. Panicula ſubterminalis, florifera e ramulis brevibus oppoſitis contracta, dein magis effuſa. Antherae obtuſae ſtaminibus duplo breviores. Carpella nondum vidi.

229. Thalictrum Bauhinianum *Wallr.* caule ſtricto ſimplici angulato-ſtriato, foliorum inferiorum petiolatorum foliolis lanceolato-linearibus, ſuperiorum ſeſſilium adpreſſorum foliolis lineari-filiformibus convolutis, panicula erecta, carpellis ovato-oblongis aequaliter coſtatis utrinque attractis.

Th. anguſtifolium var. *Linn.* et *al. auctor.*
Th. Bauhini *Crantz auſtr.* II. 76.
Th. foliis adſcendentibus linearibus, panicula erecta *Hall. helv.* p. 56. n. 1137.
Th. anguſtiſſimo folio *C. Bauh. prodr.* 146. *Moriſ. hiſt.* III. ſ. IX. t. 20. f. 8. *Tabernaem. hiſt.* I. 121. f. 1.

α. seselioides *W.*, caule ſtricto internodiis folioſis diſtantibus intercepto heterophyllo, vaginis, petiolis foliisque ſubtus pubeſcentibus, foliolis inferioribus lanceolato-linearibus nervoſis, ſuperioribus approximatis lineari-filiformibus convolutis.

Th. anguſtifolium *Spreng. hal.* 156. *Schultz ſtarg.* n. 433.

β. cnidioides W., caule erecto ramoso, foliis multijugis, foliolis inferioribus superioribusque conformibus lineari-lanceolatis margine revolutis subtus vaginisque pubescentibus.

γ. galioides W., caule stricto angulato gracili internodiis approximatis intercepto, foliis sessilibus adpressis conformibus glaberrimis, foliolis lineari-filiformibus convolutis.

Th. galioides *Pers. ench.* II. 101. *Nestl.* in *Willd. enum.* 585.

Var. α. in pratis udis inter Döllnitz et Libenau, ad Bölberg; var. β. ad pontem saxeum nemusculi Döllnitzensis. *Jun.*

Radix repens esse videtur. Caulis in var. α. inferne *teres*, superne angulatus, *simplicissimus*, *strictus*, internodiis remotis interceptus, glaberrimus, 2 — 3-pedalis, in var. β. conformis at a basi inde ramosus, in γ. angulatus, foliosus, geniculis approximatis interceptus, vix pedalis, gracilis. Folia bipinnato supradecomposita; inferiora in var. α. erecta longe petiolata, petiolo angulato, teretiusculo, pubescente, in vaginas submembranaceas, dein fuscas, nervosas, margine scarioso, lacero cinctas desinente suffulta, supra laete-subtus dilute viridia, nervis prominulis exarata, ibique apud nos semper pubescentia, ex foliolis lineari-lanceolatis, 2 lineas latis, margine revolutis, utrinque attenuatis, obtusiusculis, sessilibus, subintegerrimis s. rarius dente uno alterove incisis composita; in var. β. similia quidem at multi- (9 — 10-) juga, multo majora, ita ut pinna singula folium integrum varietatis antecedentis adaequare videatur, alioquin in similia foliola decomposita; in var. γ. omnia sessilia, ut reliquae partes, minora, vaginis brevibus suffulta, omnia conformia, ex foliolis lineari-filiformibus, convolutis, utrinque glaberrimis composita; caulina reliqua in omnibus var. sessilia, cauli arcte adpressa, approximata, basi auriculis vaginarum scariosis lacero-fimbriatis, liberis,

patentibus munita, in var. α. et γ. ex foliolis angustissime-linearibus, longioribus, confertis, supra laete viridibus et ob marginem, in quem convolvuntur, fere convexis, in var. β cum inferioribus conformibus, neque confertis neque ita angustatis composita: summa fensim minora multoque angustiora. Panicula florifera, conferta, ramosa, fructifera elongata, patens,, aphylla. Sepala ovata, obtusa, brevia congenerum. Antherae breves obtusae flavae. Carpella oblongo-linearia, utrinque attracta, aequaliter costata, lineam 1 longa, stigmate erecto apiculata, quod quidem in var. β. recurvatum est.

Th. Bauhiniani titulo plures easque primo intuitu diversas complector formas, quarum prima Seseleos dubii, altera Cnidii Silai, tertia Galii veri habitum fingit nec male reddit. Omnes hae varietates, quae aliis intermediis, vulgo Th. angustifolii nomine inscriptis connectuntur, ex loco sunt, stabiles forsan et satis singulares: aliae in pratis udis, aliae in apricis arenosis, in quibus Th. galioides vigere solet. Thalictrum nostrum admodum varium et alienum arripere habitum. var. β. demonstrat, quae omnibus partibus diversissima esse videtur ipsamque caulis simplicis foliorumque in eodem caule biformium proprietatem exuere potest; illa scilicet simili modo omnibus partibus grandescit, quo Th. galioides imminuitur. — Th. angustifolium *L. D C. syst.* I. 181.? *Leyss. hal.* 132., quod *Linnaeus* ipse Th. flavo adfine et *Willdenowius* (*sp. pl.* IV. 1300.) pro ejus varietate declarat, *Candollio* teste certissimo, foliis segmentisque latioribus, 2 — 3 lineas latis, extremo subtrifido, longe petiolato, remoto a nostro diversissimum esse videtur.

230. Thalictri aquilegifolii *L.* duplices statuo varietates: α. tristem, foliis utrinque glaucis, vaginis nebula caerulescenti pruinosis;

β. LAETAM, foliis utrinque viridibus vaginisque nebula destitutis, ad quam Th. majus, florum staminibus purpurascentibus *Buxb. hal.* 316. pertinet. — Nullum prorsus ex sola pruina discrimen, ut in Th. montano mutabile, generi potius quam speciei propria.

XXVIII. ADONIS.

Et Adonides vernales s. Consiligines *DC.*, collium apricorum et aestivales s. Adonias *DC.*, segetum ornamenta, quarum notitia primis florae germanicae scriptoribus jam illuxit, a pristinis inde temporibus admodum variis locum dedisse dubiis nec quoque nostro tempore, quo fide pristina relucescere incipiunt, extra dubiorum aleam positas esse, ex veterum et hodiernorum testimoniis bilinguibus patet. *Linnaeus* enim in primis spec. plant. editionibus (Adonis radice annua, *hort. cliff.* 321. *sp. pl* ed. I 547.), *Millerus* (*dict.* n. 1.), *Hallerus* (*helv.* n. 1153.), *Leyssérus* (*hal.* ed. I. 114.), *Crantzius* (*austr.* II. 83.), *Gouanus* (*monsp.* 321.), *Lamarckius* (*dict.* I. 45.), *Brotero* (*lusitan.* II. 3-6.), *Meratius* (*parif.* 213.), *Candollius* (*gall.* IV. 887. *syn.* 415.) aliique omnes Adonias Candollianas, quas veteres rei herbariae statores secundum coloris differentiam cautius distinxerant, duratione annua jubente ad unam eandemque reduxerunt Adonidisque annuae titulo vago divulgarunt. *Linnaeus* errorem intelligens, Ad. annuae nomine excusso, in posterioribus scriptis, ex illa duplices statuit species, A. aestivalem et auctumnalem easque *Jacquinus* Adonide miniata et flammea, *Hoffmannus* autem Ad. citrina, speciebus novis auxit, quas *Persoonius* (*enchirid.* II. 102.) itidem Adonidi auctumnali, varietatum loco perperam subscripsit, *Candollius* autem (*system. natur.* 1. 221.) omnes quidem sigillatim enumerat, minus acute distincteque describit, si-

mulac vero adeo affines declarat, ut a plurimis auctoribus forsan haud immerito pro ejusdem speciei varietatibus habeantur totumque genus, ad quod *Ehrhartus* jam (*Beytr.* IV. 51.) omnes rei herbariae studiosos et nominatim hortorum antistites invitaverat, dubitanter exponit et observatorum examini feriori commendat. Hac prorsus admonitus difficultate, eo lubentius ad specierum agro halensi indigenarum historiam illustrandam me accingo, quo uberius in illo proveniunt et primis fl. patruarum innotuerunt scriptoribus.

Omnes autem Adonides annuae arctissimo connectuntur affinitatis vinculo et vix nisi attentis exercitatisque inter se dignosci possunt oculis. Omnibus enim quoad habitum, foliorum et petalorum figuram generalem eorumque colorem in Adonide maculata varium, mira inest adfinitas et similitudo, ex qua differentiae, (quae, me judice, in petalorum figura speciali, carpellorum indole inque styli proportione versantur) difficilius addiscuntur. Hinc Adonides notissimae commutatae aut latuerunt aut nominibus variis apud varios auctores redierunt, de quibus proxime summatim dicendum est.

Adonis sylvestris flore phoeniceo ejusque foliis longioribus *C. Bauh.* aeque ac Ad. aestivalis *Linn.*, ad quam auctor *Bauhini* synonymon citat, titulos vagos largiuntur. Alia enim eaque plurima synonyma a *Bauhino* allata, ut *Matthioli*, *Loniceri* et *Tabernaemontani* ad Ad. maculatae var. miniatam nostram spectant, alia autem certius redigi plane non possunt. Hinc quoque Ad. aestivalis *Linn.*, quatenus a *Candollio* secundum specimina in *Linnaei* herbario visa statuitur, ex *C. Bauhini* synonymis suspecta, plures et distinctas comprehendit species et ob *Camerarii* synonymon additum, ne Ad. maculatae varietatem β. ochroleucam quidem excludit. *Linnaeum* igitur Ad. aestivalis titulo omnes Adonides segetales ab Ad. auctumnali diversas, intellexisse, mihi ex synonymis citatis et *Can-*

dollii teſtimonio, ſatis probabile eſſe videtur. Hinc *Leyſſerus*, *Pollichius*, *Rothius*, *Willdenowius*, *Sprengelius* aliique Adonidis aeſtivalis nomine Ad., maculatam noſtram: *Smithius* aut eandem aut Ad. flammeam, *Candollius* vero in ſyſtemate Naturae, iterum aliam, mihi ex ſynonymis inter ſe ablonis dubiam, Adonidi anomalae carpellis reticulatis laxe diſpoſitis ſimilem quidem at caule ſubſimplici, petalis corollae parvis, lineas 3 — 4 longis diverſam habet, ad quam, Europae auſtrali indigenam Adonidem annuam, tenuiſſimo folio, flore minimo, ſpica longiſſima *Moriſ. hiſt.* ſ. VI. p. 27. t. 9 et 3., cui *Moriſonus* cauliculos et folia tenuiſſima, flores minores et ſpicam ſeminalem bi- tri-uncialem e ſeminibus multo minoribus quam caeterarum compoſitam adſcribit, haud ſine jure revoco et ab indigenis diſtinguo. Hinc quoque *Hoffmannus* Ad. aeſtivalem in fl. germ. edit. nova haud enumerat, ſed ejus loco A. miniatam *Jacq.* indicat, ab Adonide *Moriſoni* et *Candollii* optime diſtinctam. Ob hanc potiſſimum ambiguitatem, Adonidis aeſtivalis titulum ex auctorum definitionibus et ſynonymis ſatis dubium omiſi et ſtirpem ab auctoribus patriis nomine Linnaeano inſcriptam novo ſalutavi. Adonis citrina *Hoffm.* et *Cand.* ſpecie neutiquam ſed modo florum colore ab Ad. maculata noſtra differre et cum illa ubique promiſcue occurrere, Naturam teſtem habeo. Adonis flammea *Jacq.*, quam *Schkuhrius* in agris bohemicis lectam Adonidi auctumnali dubie computat, petalis acutis lineari-oblongis, majoribus, foliorum laciniis anguſtioribus et longioribus, radice inſipida, diverſa eſſe videtur. Praeter has alias eſſe, Europae auſtrali indigenas, a noſtris ſatis bene quidem, at generis ſimilitudine naturali jubente ſubtilius dignoſcendas, perſuaſus ſum. Ex earum numero forſan ſunt: Ad. flava, A. micrantha, A. microcarpa et dentata, quae a *Candollio* (*ſyſt. Nat.* I. 223.) quidem enumerantur minus diligen-

ter autem nec secundum partes essentiales solita solertia describuntur.

Character gener. Calyx 5-phyllus. Petala 3—20, ungue nuda. Carpella monosperma, stylo brevi concreto coronata, in rhachin spicatim disposita. Embryo ovatus, cotyledonibus subdistantibus.

ᴀɴᴅ. ᴀᴅᴏɴɪs calyce gaudet pentaphyllo deciduo, ut Ranunculus sed punctis nectariferis destituitur, ergo tantum differt a Ranunculo, quantum Caltha ab Helleboris, i. e. solis nectariis. *Linn. lapp.* 184. Hinc apud *Tournefortium* Adonides sub Ranunculis militant et a *Vaillantio* (*par.* 170.) R. trichophylli vocantur.

231. ᴀᴅᴏɴɪs ᴍᴀᴄᴜʟᴀᴛᴀ *Wallr.* petalis duo-octonis obovato-oblongis planis basi maculatis calycibusque glabris obtusis, carpellis quinquefariis conoideo-prismaticis stylo recto concolori rostratis supra commissuram marginato-circumscissis in spicam ovato-oblongam conferruminatis, caule simplici.

α. ᴍɪɴɪᴀᴛᴀ, floribus miniato-phoeniceis.

Ad. miniata *Jacq. austr.* t. 354. *Hoffm. germ.* I. 251. *Pers. syn.* II. 102.

Ad. auctumnalis β. floribus cinnabarinis *Murr. gott.* 59.

Ad. aestivalis *Linn. sp. pl.* ex synon. nec ex herb. *Poll. palat.* n. 525. *Leyss. hal.* ed. II. 137. *Schk. Handb.* II. 107. *Roth. fl. germ.* II. 623. *Pollich palat.* II 103. *Willd. sp. pl.* II. 1303. *Spr. hal.* 161.

Ad. annua α. phoenicea *Leyss. hal.* ed. I. 104.

Ad. arvensis, flore phoeniceo *Rupp. jen.* 159.
Ad. hortensis, flore atrorubente *Buxb. hal.* 6. excl. syn.
Ad. annua flore phoeniceo *Moris. hist.* VI. t. 9. f. 3. *Zinn. gott.* 128.
Ad. sylvestris flore phoeniceo *C. Bauh. pin.* 178. excl. syn. nonn.
Adonium *Tabernaem. hist.* I. 72. ex descript.
Flos Adonis II. *Clus. hist.* I. 336. ex descript. opt. sine icone. *Chabr. stirp.* 364. f. 3. 4.

β. OCHROLEUCA, floribus ochroleucis.

Ad. citrina *Hoffm. germ.* I. 251. *Pers. ench.* l. l. *DC. syst. Nat.* I. 223.
Ad. aestivalis fl. ochroleucis *Leyss. hal.* 137.
Ad. auctumnalis α. fl citrino *Murr. gott.* 59.
Ad. annua β. flore citrino *Zinn. gott.* 128.
Ad. floribus ochroleucis basi intus nigra s. violacea macula notatis *Scholl. barb.* n. 452.
Ad. flore luteo *Buxb. hal.* 6.
Ad. arvensis fl. ochroleuco *Rupp. jen.* 159 *Berg. francof.* 160.
Ad. sylvestris flore pallido *C. Bauh. pin.* 178 *Camer. hort. med.* 6.
Ad. flore pallido *Camer. epit.* 648.
Ad. luteum *Tabern. hist.* 72. opt. et 1180 (Ad. fl. citrino).
Aculeata *Lonicer. hist.* 211.

γ. PALLENS, floribus stramineo-albescentibus.

Ad. flore albo *Tabern. hist.* 72. sine icone *C. Bauh.* l. l.

Omnes varietates praeter γ. inter segetes hyberna ad Rossleben, Querfurth, Loderaleben et alibi vulgares. Maj. Jun.

Radix fusiformis, pennam corvinam crassa fibrosa, albens, acris. Caulis teres, striatus glaber, simplicissimus, superne in ramulos florife

ros divisus, 1 — 2-pedalis. Folia bipinnata: inferiora petiolata, reliqua sessilia, pinnis basi confluentibus amplexicaulibus: pinnae lineares, acutae cum petiolis parce pilosis, canaliculatae. Pedunculi angulato-striati, uniflori: bini in caulis fastigio. Calyx pentaphyllus: foliola obovata, inaequalia, irregularia, glabra, basin marginemque versus pilis raris adspersa, appendiculato-sessilia, nitida, cum corolla concolora at dilutiora, petalis duplo breviora, apice subintegra. Corolla 5-, plerumque tamen 8-petala: petala obovato-oblonga, obtusa, parce crenulata, in basin violaceo-maculatam leviter attenuata, $1\frac{1}{2}$ centim. longa, $\frac{1}{2}$ lata, in var. α. jam magis e cinnabarino jamque e minio phoenicea: in var. β. jam magis flavescit, jam ochroleuca et ex hoc colore, praefertim extus in var. γ. albet, sive etiam ex aetate dealbatur. Filamenta maculam corollae aequantia cum antheris atro-sanguinea. Carpella ovato-conoidea, oblique breviterque prismatica, angulis anticis magis prominulis, superiore gibboso, stylo recto, brevi, concolori rostrata, commissura convexa in spicam ovato-oblongam, quinquefariam conferruminata, demum supra illam margine obsoleto, antice subrostellato circumscissa.

Stirpem cum aliis congeneribus commutatam, *Clusius* primum et quidem optime descripsit, flores ejus dilutiores quam Anagallidis et maculam violaceam, villum nigrum vocans. Eandem, flore rubro majore et minore itemque pallido inter segetes Thuringiae frequentius crescere et, quae florem rubrum profert, a Saxonibus oculum diaboli vocari, *Camerarius* in hort. med. narrat. — Varietates quoad caulis florumque magnitudinem et petalorum numerum minime rarae sunt. Apud *Tabernaemontanum* (*hist.* 72. et 1180.) eaedem figurae bis occurrunt et hoc loco floribus flavis, illo phoeniceis ex errore describuntur. — Florum color in reliquis stabilior, in hac specie nullas

praebet differentias hincque novum dedi nomen ut varietates in diversis locis fideliter redeuntes ad coloris mutabilitatem aptius exponerentur.

† 232. Adonis anomala *Wallr.* floribus tripetalis, petalis oblongis planis obtusiusculis patentibus ungue concoloribus, calycibus ovatis acutiusculis extus pilosis, carpellis ovatis sexfariis stylo apice sphacelato brevi in gibbum internum inclinato coronatis, demum in spicam oblongam laxe-irregulariterque dispositis, caule ramoso.

Adonis auctumnalis var. 3. *Schk. Handb.* II. 108.

In arvis apricis argillaceo-calcareis sterilioribus et editioribus auf dem Schachtberge inter Bottendorf et Rossleben, Freyburg, Querfurth et similibus locis minus frequens. Extra fines inter Tilledam et Borksleben: in arvis juxta collem, Mittelberg dictum, prope Auleben. Jun. Aug.

Radix quoad figuram, colorem et saporem prioris. Caulis a basi inde ramosissimus et humilior, in reliquis ut Ad. maculatae multo frequentius tamen Ranunculorum more pilis patentibus hirsutus. Folia quoad figuram, dissectionem pinnarumque longitudinem ut in praecedente: pinnis tamen circa caulem minus congestis. Pedunculi ut praecedentis, semper tamen solitarii in fastigio et ramulis. Corolla 3 — 6-petala: petala oblonga, obtusiuscula, saepius irregularia, crenulata s. altero quoque latere incisa, basi immaculata, concolora, suave-rubentia s. phoenicea, paullulum longiora et magis patentia quam prioris, $1\frac{1}{3}$ s. 2 centim. longa, $\frac{2}{3}$ lata. Calyx pentaphyllus; foliola ovata, irregularia, inaequalia, quoad stirpis et corollae formam et magnitudinem varia, omnia extus et margine pilosa, apice irregulariter crenu-

lata, plerumque nigro-marginata, tria exterior abrupte acuminata, duo reliqua obtusa (quod quidem in corolla clausa, inexplicata melius observatur). Carpella ovata, basi antica et lateri utroque rotundata, reticulata, sursum subangulata altero angulo obtuso in stylum liberum, brevem apice sphacelatum producto eoque in gibbum cristatum anguli postici s. superioris inclinato, supra commissuram contractam nunc immarginata et laevigata nunc tuberculis parvis quasi dentata, primum contigua sexfariam dein inordinate et laxe in spicam oblongam, uncialem disposita.

Quamvis species modo descripta, quibusdam partibus antecedenti simillima sit et sine dubio alii jam auctoribus patruis nominibus Ad. aestivalis e Ad. flammeae promiscuis innotuisse videatur, nemo tamen ejus naturam et differentias eximias, quibu utraque facillime et certissime distinguitur, rite exposuit. Petalorum colorem eorumque numerum ternarium fortuitum esse, olim credidi quidem donec eandem omnium partium constantiam alii multis locis in ducentis speciminibus diligente comprobandi et speciei propriam recognoscend fors tulit. Etenim, dum haec (Junio mense) scribo, ex agro Aulebensi, non solum Adonidis maculatae variet. α. et β., sed quoque Ad. anomal nostra exornato redeo eoque loco utriusque stirpi differentias aeque idoneas ac stabiles, olim auten mihi dubias, in innumeris comprobavi specimini bus. Vidi quidem rarius specimina floribus tetra s. pentapetalis instructa, petalum quartum tame s. quintum semper imperfectum et abortivum i. e angustius breviusque observavi et ex hac caussa Adonidi anomalae nostrae eodem jure corollam tripetalam adscribere audeo, quo Ad. maculata octopetala, passim pentapetala, vulgo vocatur. In utraqu stirpe dignoscenda sequentes fere laudo differentias. Differt enim Ad. anomala ab Ad. maculata: 1) caule a basi inde ramosissimo, multifloro, hirsuto ramulis omnibus erectis, unifloris: qui in Ad. ma

culata, simplicissimus, pauciflorus, superne in ramulos patentes dividitur. 2) pedunculis solitariis: qui in Ad. maculata, in caulis fastigio bini sunt. Hinc illa per totam aestatem, floribus singulis vario tempore succedentibus: haec modo vere et Junio mense floret. 3) foliolis calycinis extus margineque pilosis: in Ad. maculata glaberrimis aut modo basin versus pilis raris adspersis Color, crenae, quibus apices inciduntur, et figura in utraque specie variant secundum petalorum proprietatem. 4) floribus phoeniceis s. flammeo-rubris, ex natura tripetalis, cum ungue immaculato, concoloribus: qui in Ad. maculata jam flavescunt, jam ex albo pallent, jamque dilute-phoenicei sunt, semper tamen ex minio s. cinnabarino colore quid trahunt ac immiscent, in Ad. auctumnali cruoris instar perbelle atro-rubescunt et nitent et in utraque basin versus macula violacea inscribuntur 5) fructibus oblongis hexastichis, post anthesin ex germinibus incumbentibus, omnino teretibus: qui in Ad. maculata ovati, pentastichi, ex germinibus patentibus squarrosi sunt. 6) carpellis ovatis, reticulatis, hinc conspicue gibbosis, stylo brevi, apice sphacelato in gibbum internum inclinatum coronatis, primum sexfariam cum quodam ordine, dein vero inordinate et remote rhachi cylindricae admotis et in spicam oblongam laxam dispositis: quae in Ad. maculata obsolete quadrangula, stylo recto, longiore, demum concolore, a gibbo retracto coronata, mediotenus quasi marginata, figuram conicam haud male exprimunt et commissura dilatata circumscissa rhachi imbricatim et quinquefariam adfiguntur et cum illa quasi conferruminantur. 7) tempore florescendi, haec Junio ad Augustum floret ob ramulos inferiores serius succrescentes; illa Majo flores explicat et fructus jam profert, ubi illa florere incipit.

* Flores petalis calycibusque angustioribus et acutioribus exstructos, auctumno in stirpibus senescentibus saepius vidi. Pro loci natalis varietate

variat: radicis, caulis, corollae omniumque partium magnitudine, et in agris pinguioribus ramosissima, hirsutior evadit.

233. Adonis auctumnalis *L.* floribus octopetalis, petalis ovalibus obtusis concavis subcampanulatis subscariosis basi maculatis, fructibus ovatis, carpellis subreticulatis stylo brevissimo gibbum subaequante coronatis.

Ad. auctumnalis *Linn. sp. pl.* I. 771. *Schk.* II. t. 152. (fruct.) *Engl. bot.* t. 308. *DC. syst. nat.* 221.
Ad. annua β. atrorubens *Leyss. hal.* ed. I. p. 104.
Flos Adonis vulgo *Clus. hist.* I. 336. f. 1. opt. *Chabr. stirp.* 364. f. 5. *Camer. epit.* 647.
Ranunculus foliis anthemidis, floribus rubicundis et splendentibus *Caesalp.* 546.

Inter segetes ad Passendorf et Gimritz rarius, ex hortis forsan aufuga, in quibus Halae inter coronarias frequenter colitur. Jul. Aug.

Flores intensius sanguinei atro-rubent, raro pallescunt. Petala concavo-subcampanulata fere connivent et ob hanc similitudinem et veterum opinionem ex Adonidis cruore plantam natam esse, Gallis goutte de sang vocatur. Praeter notas indicatas differt haec species, quam *Clusius* optime dignovit nec alibi quam in hortis cultam vidit,: caule majore, a basi ramoso, ramis patentibus, foliis aliter pinnatis instructo, petalis ovalibus latioribus, subcampanulatis, nitidis (ut foliola calycina reliquarum specierum), siccitate fere scariosis. Carpellorum indolem et dispositionem ex speciminibus exsiccatis haud potui addiscere.

Ranunculus arvensis folio chamaemeli, flore phoeniceo apud *Garidelium* (*hist. des pl.*

d'Aix, p. 396. t. 85.,) quem *Candollius* huc trahit, floribus maximis, Adonidem vernalem aemulis discrepat et mihi dubius omnino est.

234. Adonis vernalis *L.* floribus polypetalis speciosis, calycibus obtusis pubescentibus, carpellis rotundatis obsolete reticulatis undique velutinis stylo redunco brevissimo coronatis in fructus ovatos condensatis.

A. praecox *W.*, corollis subcampanulatis speciosis, petalis obovatis obtusis, pinnis foliorum approximatis, superioribus calycem obvallantibus, calycibus farinaceo-pubescentibus, caulibus abbreviatis basi squamis fuscis vaginatis.

Ad. vernalis β. Mentzelii *DC. syst.* I. 225. excl. syn. Ad. apenn.
Helleborus niger ferulaceus, caule geniculato, flore magno Tulipae instar *Mentz. pug.* t. 3. f. 1. *Moris. hist.* s. VI. 9. 2.

B. serotina *W.*, petalis corollae patentibus angustioribus, foliis eorumque pinnis flaccidioribus distinctis a flore retractis, caulibus ramosis patulis. — *Schk.* t. 152.

α. grandiflora, petalis obovatis obtusis denticulatis basi attenuatis speciosis calyce duplo longioribus, pedunculis exsertis, caule ramoso ramulisque patulis.

Ad. vernalis α. *DC.* l. l.
Buphthalmum Dodonaei *Clus. hist.* I. 333. f. 1.

β. anemonaeflora, corolla 24—30-petala, petalis obovatis obtusis irregulariter dentatis in seriem duplicem dispositis, calycem subaequantibus.

γ. parviflora, petalis ovatis utrinque acutiusculis integris calycem aequantibus, calyce simplici,

δ. ACUTIFLORA, petalis lanceolatis utrinque attenuatis acuminatis integris calyce longioribus, caule ramoso.

In collibus et pascuis apricis, quibus solum calcareum subest, ad Bennstaedt, Erdeborn, Rolsleben et alibi. Varietates Adon vernalis B. serotinae subscriptae passim intercurrunt et in eodem loco transitus ex hac ad aliam admittunt. Anemonaeflora nostra, perpulcra et floribus compositis insignis, ex rarissimis forsan est, unico loco extra fines circa Auleben Thuring. hucdum lecta. — April. ad Jun.

Hanc quoque stirpem, cujus synonyma, Ad. apennina *Linn* exclusa, *Candollius* l. l. optime enarrat, multis vexari dubiis, ex examine diligentiore patet. Omnes definitiones hucdum datae ad partes ambiguas innumeris obnoxias mutationibus spectant. Neque enim numero, neque formae et circumscriptioni petalorum, neque pedunculorum longitudini fides habenda, notis in hac Adonide ancipitibus. Id ex examine plantae in loco natali attentius instituto et auctorum dissensione liquide apparet. Quorsum enim petala 12 (*Linn.*), s. 10 — 12 (*Spreng.*), s. 6 — 15 (*Candoll.* in *syn.*), eaque lanceolata, apud *Linnaeum* et *Sprengelium*, oblonga apud *Candollium* seu apice denticulata apud *Chabraeum* et *Sprengelium* spectant, quae praeter numeri varietatem, jam lanceolata s. lineari-lanceolata, jam oblonga, obovata, jam obtusa et apice denticulata jamque acuminata et integerrima sunt? Quorsum pedunculi brevissimi, quos *Linnaeus* laudat, qui jam brevissimi foliis omnino induuntur, jam longitudinem digitalem attingunt et ex illis liberi prominent? — Quorsum denique florum numerus in eodem caule spectat? — Ex simili fonte partiumque plantae mutabilitate et synonyma et figurae variae apud veteres rei herbariae statores prodiere, quae tam dissimiles sunt

itaque plane inter se discrepant, ut ex illis *Linnaeus* duplices conficeret species. Inter omnes vero *Mentzelii* figura: Pseudohellebori caule geniculato flore magno instar Tulipae, nomine inscripta, a *Morisono* sub Adonidis perennis flore luteo magno caule geniculato, titulo reddita, inclaruit quam *Linnaeus* Ad. apenninae subscripsit. Quamvis etiam de speciei Linnaeanae valore, qui a *Mentzelio* jam in ecphrasi alphabetica praemissa celebratur, plane non dubitem et a *Candollio* Ad. apenninam *Linn.* pro Ad. vernalis var. β. *Mentzelii* designante, cum *Lapeyrousio* (*Supplément à l'hist. abrég. des plant. des Pyrén.* p. 76.) recedam; quamvis differentias, quarum ope *Linnaeus* Ad. vernalem et apenninam dignoscere praecipit in *systém. veg.* I. p. 772. fusius indicatas, ambiguitatum plenas et pro maxima parte ad utramque idoneas habeam, *Mentzelii* figuram tamen a *Linnaeo*, *Schkuhrio* (*Handb.* II. 109.) aliisque auctoribus ex errore Ad. apenninae adscriptam, ab hac ad Ad. vernalem revocandam esse, cum *Ruppio* jam et *Hallero* persuasus sum. *Mentzelius* enim patriam plantae icone expressae, Marchiam Brandenburg. circa Francofurtum indicat illamque ab alia in Apenninis crescente, diversissimam caute dignoscere praecipit: quae verba a *Linnaeo* male vel saltem nimis obiter intellecta, procul dubio imposuerunt, ut hanc ipsam a *Mentzelio* veluti in transcursu modo indicatam, pro ipsa Ad. apennina haberet. Duplices autem apud auctores exstant figurae primo intuitu diversissimae, quarum alteram *Mentzelius*, alteram *Clusius* (*histor.* II. p. 333. Buphth. Dodon. Pseudohellieb. niger) primum divulgavit, me quidem judice, aetatis ratione modo nec specie diversas. Mentzeliana nimirum, ex qua *Candollius* Ad. vernalis var. β. constituit, haud plantam integram sed modo ramulos binos herbae praecocioris floribusque majoribus onustos, qualis Aprili mense, gelu modesto aëreque nebulo-

ſo fota et nutrita, ſtatim poſt nives diſcuſſas occurrit: Cluſiana vero, plantam magis ſerotinam, adultam et ſolis radiis inimicis jam tactam ac veluti deperditam, floribus minoribus, *dealbatis* et caulibus procerioribus inſignem, qualis circa *Maji* menſis finem intacta perſtat, repraeſentat. Similiter etiam figurae rudes, umbram plantae modo reddentes, apud *Chabraeum* (*ſtirp.* p. 528.) interpretandae ſunt, quoad aetatis rationem tantum diverſae.

Innumeris ſane ludit haec ſpecies varietatibus, ab omnibus auctoribus hucdum neglectis, quarum primarias aetas et anni tempus ſibi vindicat, aliis, viciſſitudinibus denuo obnoxias:

A. Adonis vernalis α. praecox ſ. Mentzeliana *DC.*; planta juvenilis, minus ramoſa, foliis eorumque pinnis approximatis; nondum rite explicatis, ſaturatius vireſcentibus, caulibus baſi ſquamis fuſcis vaginatis, corollis ſpecioſis, petalis obovatis obtuſis ſubcampanulatis inſignis, habitum prorſus preſſum ſ. alpinum vernalemve exprimit, ſicut in icone Mentzeliana repraeſentatur.

B. Adonis vernalis β. serotina ſ. adulta, ramoſiſſima, procera, foliis remotioribus, flaccidioribus, perfecte explicatis eorumque pinnis diſtinctis, laetius vireſcentibus petalis corollae anguſtioribus longioribusque patulis inſignis, verbo, habitum patulum ſ. campeſtrem exprimit, ſicut *Cluſii* icon.

Varietates modo laudatae primariae itidem ludunt: 1) ſquamis caulis inferioris, ovatis, obtuſis, oblongis magis acuminatis, fuſcis, virideſcentibus et in planta ſerotina obſoletis nulliſque. 2) caulibus pube farinacea pubeſcentibus, glaberrimis, foliis approximatis remotisve veſtitis, ab altitudine digitali ad ſesquipedalem variantibus. 3) pinnis foliorum latioribus, anguſtioribus iisque brevioribus, longioribus plus minusve rigidis viridibusque.

4) calycibus obovatis, obtusis, oblongo-lanceolatis, magis acuminatis, integerrimis, erosis, pube farinacea dense pubescentibus glabrisve (Ad. vern. serotina enim pubem penitus exuit). Forma calycis in universum petalis exacte respondet. 5) corollis simplicibus, duplicatis (varietas et rarissima et pulcherrima in dumetis umbrosis ad Rossleben aliisque locis lecta) jam saturatius flavis, jam flavescentibus, maximis, parvis, Ad. aestivalis magnitudinem aequantibus. 6) petalis quoad numerum perquam variis, 12 — 30, obovatis, obtusis, in basin plus minusve longam attenuatis iisque plerumque dentatis, oblongo-lanceolatis s. exacte lanceolatis, diametro subaequali iisque utrinque attenuatis, acutis, integerrimis, subtus concoloribus venisque fuscescentibus pictis.

Varietates petalis obovatis obtusis et petalis lanceolatis utrinque attenuatis, acutis aeque ac in seriem duplicem dispositis sibi dissimillimae.

Semina omnium Adonidum ad calculum frangendum a *Camerario* laudantur, acrimonia nauseabunda peculiari excellunt.

235. Ranunculus aquatilis *All.*

Ranunculum hederaceum, aquatilem, fluviatilem et quosdam alios, qui inter reliquos, carpellis muticis transverse rugulosis; floribus albis, ungue flavescentibus ibique squamulae loco poro nectarifero pertusis, pedunculis unifloris; oppositifoliis, axillaribus, demum floritione peracta reversis, antheris oblongis in stamina attenuatis, foliis basi vaginantibus et toto habitu, tribum propriam cum priscis Batrachium s. cum *Vaillantio* (*par.* 170.) Ranunculoides vocandam perficiunt, ob summam, quam plantarum aquaticarum more jactant, omnium partium vicissitudinem, variis locum dedisse erroribus, inter auctores constat. *Candollius* acutissimus enim, carpellorum indoli nimiam facturus fidem eaque solum jubente nec foliorum figurae ra-

tione habita duplices descripturus species, alteram R. aquatilem carpellis hispidis, alteram R. pantothrichum, carpellis glabris distinxit hisque titulis omnes ex foliorum figura generali differentias exclusit. Equidem vero cum cl. *de Schlechtendalio* carpellorum conformium et quoad pubis rationem ludicram modo difformium fidem in speciebus distinguendis defero eamque ad foliorum figuram eorumque circumscriptionem, quam *Hallerus, Wiggersius, Leysserus, Allionius* et *Willdenowius* summam habuerunt, transfero et omnem varietatum sylvam et novam, foliis sessilibus distinctissimam, a nuperis auctoribus autem praetervisam fere ita interpretor:

235. RANUNCULUS AQUATILIS *All.* caulibus natantibus vaginantibus, vaginis foliiferis carpellisque obtusis subhispidis, foliis petiolatis vage-rotundatis variis, inferioribus immersis capillaceo-multifidis apice setosis, superioribus emersis subquinquelobis multifidisque, petalis obovatis calycem superantibus.

A. HETEROPHYLLUS, foliis inferioribus capillaceo-multifidis, superioribus emersis tri-quinquelobisve. — *Moris. hist.* I. IV. t. 29. f. 31. (fol. trilobis). *Chabr. stirp.* 564. f. 3. (fol. 5-lobis). R. aquatilis α. heterophyllus *DC. syst.* I. 234. — R. aquatilis I. α.* β. *Schlechtend. Ranunc.* I. 8. — R. heterophyllus *Hoffm. germ.* I. 197. — R. diversifolius *Schrank. bavar.* 103.

α. LEJOSPERMUS, carpellis undique glaberrimis.

B. HOMOIOPHYLLUS, foliis omnibus capillaceo-multifidis.

α. CAPILLACEUS, foliorum petiolatorum capillaceo-multifidorum laciniis filiformibus. — R. aquatilis I. δ. *Schlecht.* I. I. 9. — R. pantothrix α.

DC. l. l. 236. — R. flaccidus *Pers.* in *Uster. Annal.* fasc. XIV. 38.

a. MACRANTHUS, floribus speciosis calyce multo longioribus. — R. aquaticus capillaceus *Moris. hist.* IV. 29. 32.

b. MICRANTHUS, floribus parvis calycem subaequantibus. — Foeniculum aquaticum *Tabern. hist.* 187. f. 1. *Chabr.* 381. f. 3.

β. ABROTANIFOLIUS, foliorum capillaceo-multifidorum laciniis linearibus divaricatis abbreviatis laete-viridibus. — *Schk.* t. 152. R. pantothrix β. caespitosus *DC.* l. l. 236. — R. aquatilis B. γ. *Schlechtd.* l. l. 10.

Var. A. in aquis profundioribus; B. in fluentibus, α. in fossis stagnantibus, β. in exsiccatis abundant.

Varietates a cl. *de Schlechtendal* secundum locum natalem optime enumeratas, alio modo, formis intermediis levioribus omissis, digessi, nominibusque propriis distinxi. Foliorum figura generalis duplices utro dictitat formas primarias, heterophyllam et homoiophyllam, quae quidem neque carpellis neque floribus neque partium pube, ullas differentias agnoscunt. Carpella, quae a *Candollio* hispida vocantur, in utraque forma promiscue, jam undique hispida, jam glaberrima sunt, ita nempe ut jam idque frequentius, pilis lateralibus detritis, carina modo pilos retineat, iisque itidem evanescentibus, varietas lejosperma existat. Varietatem peltatam, quam *Candollius* statuit, omisi: vidi enim in eodem loco eademque planta folia peltata et non peltata, prout auriculae basi magis minusve protractae et conniventes, hanc foliorum figuram mentiantur. Praeter hanc aberrationem, folia insuper ludunt pubis ratione et jam utrinque glaberrima, jam cum petiolis et maxime cum vaginis utrinque hirsuta et nunc triloba, nunc quinqueloba sunt eorumque lobi itidem jam integri, jam crenati, jam margi-

ne in lacinias lineares, plus minusve profundas, acutas partiuntur, qua forma (R. aquatilis A. γ. *Schlechtd.*) R. heterophyllus cum homoiophyllo connectitur. — Altera varietas, mibi ex foliorum.comformium ratione, homoiophylla dicta, more praecedentis mire ludit: var. α. capillacea in fluminibus rapidius fluentibus, R. fluviatilem fingit et vix nisi foliorum circumscriptione in figuram vage-rotundatam digesta, dignoscitur: var. macrantha floribus praecellit speciosis eorumque petala centimetrum integrum s. R. aconitifolii ambitum aequant: altera micrantha, minimos profert eorumque petala vix dimidiam centimetri attingunt partem. Abrotanifolius noster laciniis linearibus planiusculis, divaricatis, brevibus, obtusiusculis, laete viridibus dignoscitur.

236. Ranunculus fluviatilis *Wigg.* caule protenso natante, foliis oblongatis omnibus conformibus submersis repetito-dichotomis dissectisve flabelliformibus, laciniis parallelis linearibus longissimis, petalis calycem superantibus, carpellis glabris (abortivis).

In fluviis rapidioribus v. c. bey der hohen Brücke et alibi.

Hanc speciem foliis praelongis, ad angulos acutissimos divisis, circumscriptione vaga, non circulari insignibus, a vulgari differre *Hallerus* apud *Ruppium jen.* 96. jam optime indicat. Synonymis a *Candollio* et *Schlechtendalio* expositis addantur: R. fluviatilis *Wigg. primit.* 42. *Leyss. hal.* 137. *Zinn. gott.* 131. *Spreng. hal.* 161. R. aquatilis albo affinis *J. B. Chabr. stirp.* 364. f. 5. — Inter Ranunculos dubios a *Candollio* et *Schlechtendalio* enumeratos, thuringiacum desidero: R. foliis linearibus, brevissime bifurcatis *Rupp. jen.* 104. f. R.

aquatilem, album, fluitantem, peucedanifolium, ferotinum, foliis binis latioribus, incurvatis, subrotundis in extremitate caulium hinc inde instructum *Mapp. alf.* 263. *Nonne erford.* 205.

† 237. Ranunculus stagnatilis *Wallr.* caulibus fluitantibus vaginantibus (eburneis), vaginis foliiferis obfolete auriculatis carpellisque acutiusculis glabriusculis, foliis fessilibus circinatis capillaceo-multifidis rigidulis (aëneo-virefcentibus), laciniis omnibus teretiusculis abbreviatis 2 — 3-furcellatis.

R. aquatilis ε. *Schlechtd. Ranunc.* I. 9. — α. *Leyfs. hal.* 136. — β. *Smith. brit.* II. 546.
R. pantothrix β. caefpitofus *Cand. fyft.* I. 236.
R. caefpitofus *Thuill. par.* f. 279. teft. *DC.*
R. pumilus *Poir. dict* VI. 133. teft. *DC.*
R. aquatilis α. orbiculatus *Schum. faell.* I. 171.
R. aquatilis β. *Desf. atl.* I. 443. teft. *DC.*
R. rigidus *Perf.* in *Ufter. N. Annal.* VIII. 39. *Hoffm. germ.* I. 257.
R. foliis omnibus capillaceis circumfcriptione rotundis. *Berg. francof.* 159. *Zinn. gott.* 102. *Murr. gott.* 60.
R. foliis capillaceis circumfcriptione circulari *Hall. gott.* 102. *helv.* II. 69. no. 1162.
R. circinatus *Sibth.* 175.
Ranunculoides folio circinato, tenuiffime divifo *Vaill. mém.* 1719.
R. aquaticus albus, circinatis tenuiffime divifis foliis, floribus ex alis longis pediculis innixis. *Raj. fyn.* 249. *Plukn. phyt.* 311. t. 55. f. 2. *Dill. gifs. append.* 9. *Vaill. parif.* 171.

Millefolium aquaticum cornutum *J. Bauh. hist.* III. 776 *Tabern. hist.* I 188. *Chabr. stirp.* 565. f. 4. ex habitu nec ex descript.

In stagnis et lacubus profundioribus passim cum congeneribus promiscue, v. c. unter der hohen Brücke et alibi passim.

Radix fibrosa. Caules hinc deplanati, hinc convexi teretiusculos mentientes, fistulosi, fluitantes, submersi et in caespites vagos producti, inferne attenuati, filiformes, ibique ex geniculis fibrillularum gracilium longarum ope radicantes, vage ramosi, glaberrimi, stramineo-albentes s. eburnei, 1 — 3-pedales. Vaginae foliorum brevissimae, striatae, glabrae s. pilis parce obsitae, obsolete auriculatae, auriculis quasi truncatis, arcte adpressae. Folia exacte orbiculata s. circinata, omnia capillaceo multifida, pro planta parva, ambitum centim. 1 — 2 circumscribentia, inferiora plerumque ferrugineo-, reliqua aëneo-virescentia: laciniae teretiusculae, tenuissimae, brevissimae, repetito furcellatae, extremitatibus obtusiusculis setulis 1 — 2 armatis. Pedunculi oppositifolii, cauli conformes et concolores, paullulum tenuiores, teretes, internodia subaequantes aut excedentes, centim. 5 — 7 longi. Calycis foliola ovata, obtusa, petalis multo minora, concava, nervis tribus viridibus cum totidem s. quatuor maculis interjectis inscripta, margine diaphano cincta. Corolla et stamina ut in R. aquatili. Carpella ovata, convexa, dorso gibbosa, basi apiceque leviter producta, germine acutiusculo coronata, glabra s. setis parce obsita.

Differt a R. aquatili adeo polymorpho: 1) caulibus stramineo-albentibus, saepe fere eburneis, glaberrimis, qui in illo virescunt magis et saepissime una cum vaginis hirsutiem aliquam induunt. 2) vaginis valde abbreviatis, obsolete auriculatis, arcte adpressis, quae in illo ampliores multo, plerumque hirsutiores in auriculas ochreaeformes,

membranaceas, diaphanas, amplas, amplexicaules, producuntur et dilatantur. 3) foliis foliolisque semper sessilibus, ex vagina petioliformi ipsa prodeuntibus eorumque laciniis teretiusculis, rigidiusculis, cum rotunditate orbiculata s. circinata expansis et circa caulem digestis, aeneo- s. saturatius virentibus: quae in illo petiolo plus minusve longo sustentantur inque lacinias longiores, magis compressas, ambitum vage- s. minus exacte rotundatum circumscribentes, patulas finduntur et laetius multo virescunt. 4) pedunculis longioribus, centim. 5 — 7 longis, albentibus: qui in illo, variae quidem longitudinis, plerumque tamen inter centim. 2 — 4 vacillant. 5) carpellis ovatis, utrinque leviter productis, stylo acutiusculo coronatis; quae in illo, similia quidem, utrinque obtusa ac veluti truncata videntur et germine brevissimo, obtusissimo obteguntur.

Differentias modo expositas, quas citra stirpis indolem polymorpham, Natura ultro quasi dictitat; ex speciminibus *R. aquatilis et stagnatilis* permultis, in eodem stagno eodemque loco vigentibus itaque in aliis innumeris fideliter redeuntibus hausi et repetita observatione in variis locis instituta comprobavi. Synonyma certa adjunxi: incerta, *Linnaeanum* et *C. Bauhinianum*, utpote ambigua omisi.

Omnia Batrachia, plantarum aquaticarum more, mirum in modum variare alienisque saepe formis observatorum argutiae illudere, dudum jam exploratum habui. At, caveamus nec nimium credamus tribuamusque plantarum quarumdam indoli polymorphae sed potius specierum quarumdam affinitatis naturalis et communionis mutuae vinculis arctissimis connexarum et quasi abstrusarum valorem haud quidem subtiliter captemus, sed acute potius sciteque addiscamus! Ex earum scilicet numero Ranunculus stagnatilis noster est, a priscis jam optime ex habitu, a nuperis quibusdam (*Per-*

ſoonio, Sibthorpio aliisque) ex colore et foliorum ambitu orbiculato diſtinctus, ab aliis autem nuperrimis, ob partium ſingularum ſimilitudinem, neſcio, quo errore commutatus auctoribusque redditus.

238. Ranunculus lingua *L.* caule erecto multifloro, foliis lanceolatis ſubintegris acuminatis baſi aequali amplexicauli-vaginantibus, carpellis?.

α. glabratus *W.*, caule, calycibus foliisque utrinque glaberrimis. R. Lingua *auct. DC. ſyſt.* I. 246. R. longifolius maximus *J. Bauh.* III. 865. *Chabr. ſtirp.* 470. f. 3. R. lanceolatus major *Tabernaem. hiſt.* III. R. platyphyllus *Thal. herc.* 100.

β. hirsutus *W.*, caule, calycibus foliisque utrinque pilis appreſſis hirſutis. — *Flor. dan.* t. 755. R. Lingua *L. Smith.*

Planta minus diligenter ab auctoribus deſcribitur et *Candollius* ipſe caulem glabrum urget modoque adnotat, folia nonniſi margine et ſubtus ſubſcabra eſſe. Equidem autem exemplaria ante oculos habeo, undique omnibus partibus, pilis appreſſis, denſis hirſuta; alia glaberrima. Utraque varietas foliis integerrimis, ſerratis et inciſis variat eaque var. in laciniatam, de qua *Schlechtendalius* I. l. 17. agit, transit.

239. Ranunculus Flammula *L.* foliis ſubintegris glaberrimis, radicalibus caulinisque inferioribus ovatis obtuſis in petiolum longum baſi dilatatum vaginantem attenuatis, ſuperioribus ſeſſilibus lanceolatis anguſtioribus, vaginis margine membranaceo ciliatis, caule ſubdeclinato, pedunculis oppoſitifoliis glabriusculis.

α. LATIFOLIUS *W.*, foliis radicalibus ovatis, caulinis reliquis ovato-oblongis integris crenatisve, caule erecto. — R. lanceolatus minor *Tabernaem. hist.* 111. f. 3. R. longifolius Flammula dictus *Chabr. stirp.* 470. f. 2.

β. SERRATUS *W.*, foliis omnibus aequaliter serratis, radicalibus ovatis, caulinis reliquis ovato-oblongis, caule surrecto. — R. Flammula β. serrata *DC syst.* I. 247. R. lanceolatus serratus *Tabern. hist.* 112. f. 1. *Moris. hist.* f. IV. 29. 35.

γ. ANGUSTIFOLIUS, foliis radicalibus oblongis parce-dentatis, caulinis lanceolatis acuminatis, caule debili declinato. — R. longifolius palustris minor *Moris. hist.* IV. 29. 34.

δ. TENUIFOLIUS, foliis radicalibus subspathulatis, reliquis conformibus linearibus utrinque aequalibus acuminatis, caule debili geniculis approximatis interceptо, inferioribus declinatis, radicantibus, floribus parvis. — R. reptans *auct. quorumd.* et forsan ipsius *flor. hal.*

Var. α. in paludibus sylvaticis, γ. aqua derelictis, δ. in vadosis inque pascuis humectis.

240. RANUNCULUS REPTANS *L.* foliis linearibus utrinque aequalibus, vaginis carpellisque glaberrimis, caulibus filiformibus nodis radicantibus interceptis. — *Flor. dan.* t. 108. opt.

Candollius, *de Schlechtendalius* aliique, *Linnaeus* ipse jam R. reptantem pro R. Flammulae declarant varietate nec inficio, inter hunc ejusque var. tenuifoliam, maximam intercedere similitudinem. Differentias, quas equidem vidi, in foliis utrinque aequalibus, omnium partium glabritie, caulibus curvatis et nodis foliiferis radicantibus interceptis versantur. Carpella nondum vidi. Quem R. reptantis nomine ex agro halensi retuli, R. Flammulae var. tenuifolia est.

241. Ranunculus auricomus *L.* foliis radicalibus petiolatis cordato-reniformibus crenatis integerrimis trilobisve, caulinis amplexicaulibus in foliola linearia subintegra divisis, carpellis subpubescentibus, stylo brevi incurvo terminatis.

α. integrifolius, foliis radicalibus integerrimis margine grosse-dentatis, caulinis inferioribus profunde tripartitis, superioribus subintegerrimis. — R. auricomus var. 1. 4. *Schl. Ran.* II. 8.

β. trilobus, foliis radicalibus leviter trilobatis, caulinis inferioribus tripartitis. — R. auricomus var. 5—8. *Schltd.* l. l. R. rotundifolius vernus *Chabr. stirp.* 467. f. 2.

γ. dissectus, foliis radicalibus semitrifidis, caulinis inferioribus quinquepartitis, caule ramoso multifloro. — *Flor. dan.* t. 655. *Moris. hist.* IV. 28. 15.

Innumeris ludit haec stirps varietatibus et formis in eodem loco redeuntibus, quarum cl. *de Schlechtendalius* duodecim enumerat. Aegre autem illae recognoscuntur et forsan aptius ad pauciores reducuntur, aliis, quibus connectuntur, omissis. *Candollius* R. auricomum ad gentem carpellorum glabrorum retulit illique folia glabra adscripsit: in nostris speciminibus fere semper leviter pubescunt et rarius modo glabra esse solent. Praeter indicatas aliam habeo, a modo descriptis quadantenus alienam et alio anno denuo observandam: R. foliis radicalibus cordatis subrotundis dentatis, caulinis superioribus lineari-lanceolatis inciso-serratis, serraturis subcallosis, carpellis tomentosis stylo longiore incurvo rostratis. Specimina, quae coram sunt, magnitudine quidem cum priore non certant, robustiora tamen sunt et habitu quadantenus alieno gaudent, carpellorum indole autem distinctionem suadent, quam quidem hodie suffragari nolo, ut

comperiam antea, an hae differentiae stabiles aut varietatem aut speciem distinctam vindicent. An R. cassubicus *Linn.*? Certe adfinis, quamvis etiam hic, qualem *Hoffmannus* ex speciminibus hort. upsal. descripsit in *fl. germ.* I. 253., diversus esse videatur, ab omnibus tamen R. auricomo subscribatur. Carpellorum indoles enim, in aliis Ranunculis stabilis, aeque ac pubis et styli superimpositi ratio discrepant.

242. Ranunculus acris *L.* caule erecto multifloro petiolisque adpresso-pilosis, foliis utrinque pubescentibus, inferioribus tripartitis, lobis basi cuneatis apice bi-trifidis inciso-serratis acutis, summis linearibus subintegris, pedunculis teretibus, carpellis patentibus stylo brevissimo coronatis receptaculoque glaberrimis.

Var. macula fusca notatis *Rupp. jen.* 102. R. pratensis erectus acris maculatus *C. B.* R. II. maculis notatus *Trag.* R. maculatus foliis variis *Helw. fl. pruss.*

243. Ranunculus polyanthemos *L.* caule erecto multifloro, petiolis calycibusque patenti-pilosis, foliis utrinque hirsutis, inferioribus tripartitis, lobis basi cuneatis acutis bi-trifidis inciso-serratis, summis linearibus subintegris, pedunculis sulcatis, carpellis patentibus stylo brevi uncinato obsoletoque coronatis.

α. latifolius *W.*, lobis foliorum holosericeorum obovatis in basin cuneatam desinentibus bi-trifidis, lateralibus irregularibus bifidis, omnibus apice grosse dentatis. — * R. polyanthemos I. α. *Schlechtd.* I. I. II. 24. R. nemorosus *DC. syst.* I. 280.

β, TENUIFOLIUS *W.*, lobis foliorum in basin cuneat ı attractis profunde bi-trifidis dentato-lacini laciniis lanceolato-linearibus acuminatis — olyanthemos β — δ. *Schlechtd.* l. l. — R. p anthemos *DC. syst.* 279. R. polyanthemos *Linn. sp. pl.* I. 779. R. sylvestris *Tabern. icon.* 42. *hist.* 107. f. 1. R. polyanth. simplex *Lob. icon.* 666. *Vaill. mém. de l'acad.* 1719. 53. n. 8. *Rupp. jen.* 102.

Reliquis, formis intermediis ab amic. *de Schlechtendal* acutissime distinctis omissis, duplices distinguo primarias, inter se habitu quadantenus alienas, quarum prima foliorum figura generali ad R. lanuginosum, altera foliis laciniatis ad R. acrem vulgarem accedit. Plurimos auctores, nominatim vero *Linnaeum* et *Candollium* varietatem alteram, tenuifoliam nostram modo cognovisse et primam virgultis sylvaticis, nemorum oris et collibus apricis nostris indigenam, ad Ranunculum nemorosum, *n. sp* transtulisse, mihi satis probabile esse videtur. At neque pubes, neque carpellorum indoles nimis subtiliter circumscripta, quibus *Candollius* acutissimus consisus, duplices statuit species, in hac quidem stirpe tutas spondent notas. Vidi enim specimina carpellis, stylo adunco, alia magis obsoleto coronatis, alia vere muticis s. ut R. acris brevissime et recte mucronatis exstructa eamque varietatem, in agro halensi et thuringiaco promiscue obviam, quam *Candollius* summus R. polyanthemum dixit, clariss. *de Schlechtendalius* autem contra illum fortiter negat, fortuitam quidem at utrique formae latifoliae et tenuifoliae communem habeo. Alia praeterea conservo specimina inferne pilis patentissimis largis, alia raris iisque ut in R. acri adpressis pubescentia: alia denique caule foliisque utrinque omnino glabrata et laete virentia, ex quibus cl. *de Schlechtendal* varietatem δ. forsan constituit. Utraque denique forma foliis maculi

albis variegatis (R. ponticus *Willd. herb.*) f. sanguineo maculatis ludit, ad quam varietatem R. polyanthemos maculatus *Thal. herc.* ... rsan ex loco revocandus est. Passim quoque fo... maximis ludit, centimetr. 8 longis, 13 latis. F... saepius profunde tripartita, ob lobos laterales ...fundius divisos, quinquefida fere mentiuntur. — Quae quum ita sint, summa profecto inter hunc et R. acrem intercedit similitudo eumque *Hallerus* jam apud *Ruppium*: foliis profundius multo et acutius dissectis, lobis lineam unam alteramve latis distinguere praecipit. Equidem nostrum tam mutabilem discernere suadeo: 1) caulibus robustioribus, inferne, calycibus petiolisque patentissime pilosis, qui in R. acri graciliores plerumque, strictiores, minus ramosi modo pilis adpressis pubescunt; 2) floribus foliisque majoribus eorumque laciniis in var. β. semper longioribus; 3) pedunculis sulcatis, nota stabilis, forsan unica et gravissima; 4) carpellis majoribus, compressis, demum disco fuscis, viridi-marginatis, saepissime et ex natura stylo uncinato coronatis raro muticis. — Differentias, quas cl. *Candollius* ex carpellorum numero et styli proportione ducit, ludicras esse et ad utrumque spectare, testor.

244. Ranunculus lanuginosus. *L.* caule erecto, petiolis calycibusque patentissime-pilosis, foliis holosericeis, radicalibus profunde trifidis, lobis obovatis apice bi-trifidis inciso-serratis, summis sensim minoribus, pedunculis teretibus, carpellis stylo uncinato coronatis.

Stirps cum praecedentibus commutari nequit. Est R. Cordi VI. *Thal. herc.* 99., R. montanus, folio Aconiti, magno flore *Rupp. jen.* 102. *Buxb. hal.* 277. et forsan ipsius *C. Bauh.* in *pinace.* Alium aut saltem var. memorabilem cl. *de Schlechtendal* (l. l. 25.) ante oculos habuisse videtur.

R. lanuginoſo carpella ſtylo longo uncinata ipſorum fere longitudinem aequante coronata adſcribens, quae in noſtro more praecedentium, ipſis carpellis multo, certe quinquies minore excellunt. Pubes petiolorum et caulis infimi, ubi condenſatur, reflectitur.

245. Ranunculus repens *L.*

Ex varietatibus innumeris, quibus haec ſtirps prae caeteris ludit, duplices habeo memorabiles eaeque ſunt:

α. myrrhiphylla, foliis pinnatis, pinnis trijugis, extrema triloba, reliquis ovatis petiolatis lobatis inciſo-ſerratis, caule erecto flaccido petiolisque patenti-piloſis.

β. apiifolia, foliis ſubſimplicibus ovatis baſi cuneatis integerrimis apice trifidis inciſo-ſerratis, caulinis oblongis inciſis.

Var. α. in pomariis, β. in collibus Roſslebenſibus legi.

246. Ranunculus hirsutus *Curt.* foliis trifidis, lobis obovato-cuneatis apice trifidis, petiolis cauleque baſi tumido patenti-piloſis, carpellis compreſſis marginatis apiculatis diſco tuberculis obſoletis innocuis ſparſis inſcripto. — R. Philonotis *Ehrh. Beytr.* II. 145.

Candollius carpella ad margines tuberculorum minimorum ſeriem unicam gerentia habet, quae in noſtris vix talia ſunt. Tubercula ſaepius obſoleta et omnes partes perquam polymorphae.

247. Ranunculus arvensis *L.* foliis glabris, primordialibus ovatis apice dentatis, caulinis inferioribus tripartitis, reliquis multifidis laciniis linearibus ſenſim anguſtioribus, carpellis

compressis rostratis disco margineque aculeis tentaculatis muricatis.

248. Helleborus viridis *L.* glaberrimus, foliis radicalibus petiolatis digitatis, caulinis vaginatis sessilibus basi integerrimis sepalisque calycinis obovatis concoloribus.

In pomario Ziegelrodensi. Stirpes saepe steriles occurrunt. Florent post nives discussas. Herba Podagrariam haud male aemulatur.

DIDYNAMIA.

249. Teucrium scordium, quod in agro halensi jam rarescere incipit, uberrime provenit ad fossas pratorum inter Koechstaedt et Pfitzenburg gegen dem Braunkohlenwerk über similibusque locis ad Bottendorf.

250. Marrubium pauciflorum *Wallr.* verticillis remotis 4—8-floris, dentibus calycinis setaceis rectis, foliis nervoso-reticulatis incano-tomentosis, inferioribus ovato-oblongis, caulinis superioribus lanceolatis apice dentatis in basin integerrimam attenuatis; caule ramoso diffuso.

Marrubium creticum *Roth. germ.* I. 257. II 35. *Hoffm. germ.* II. 210. *Willden sp. pl.* III. 110. exclus. syn. *Bauh. Dalech. Spreng. hal.* 173.
M. supinum *Leyss. hal.* 146.
M. foliis ellipticis serratis venosis, calycibus quinquedentatis *Haller. gott.* 236.
M. album angustifolium *Rupp. ien.* 232.

M. creticum *Buxb. hal.* 209.
M. album anguſtiore folio M. creticum quorumdam *J. Bauh. hiſt.* III. 317. *Chabr. ſtirp.* 436.

In coemeterio Erdebornenſi viciniaque locis haud rarum. Aug.

Synonyma ob operum neceſſariorum defectum certius extricare nequeo nec quoque differentias inter pl. orientalem et noſtram exponere poſſum. Diſtinguendum tamen eſt M. peregrinum β. creticum *L.* ex Libano I. M. IV. *Tabernaem. hiſt.* 926.

Marrubium peregrinum *Spreng. hal.* 172. tab. 6. delendum eſt ex indigenis utpote mera M. pauciflori varietas. Quodnam ſit illud a cl. *Rothio* (*germ.* II. 35.) ſolita ſolertia deſcriptum et a M. noſtro diſtinctum, latet.

251. Thymus Serpyllum

communne omnium collium decus primo intuitu differentias omnino ſuppeditat, quarum ope facile in plures ſpecies dirimi poſſit. Varietates autem ſunt ſtabiles in variis locis redeuntes easque jam ex naturae polymorphae indole jam ex ſoli proprietate naſci probabile eſt. Diriguntur potiſſimum ex foliorum forma, pubis indole, corollae magnitudine, ejus odoris proprietate et ſtaminum proportione, nota in Labiatis haud ſpernenda, nunquam tamen ut ex Menthis aliisque congeneribus patet, inconcuſſa. Antiquiſſima Serpyllorum diſtinctio ſive ad plantae magnitudinem ſive ad odoris proprietatem ſive denique ad foliorum formam ſpectat. Hinc *C. Bauhinus, Camerario* et *Gerardo* praeeuntibus, Serpyllum vulgare minus et majus, aliud citri odore, a *Thalio* jam et *Tabernaemontano* diſtinctum, iterum aliud, anguſtifolium dignoſcit et duplices indicat varietates, glabram et hirſutam. Totidem formas plurimi au-

ctores et nominatim *Buxbaumius* et *Ruppius* retinuerunt, *Vaillantius* inſuper iconibus nitidis illuſtravit; aetidem *Linnaeus* etiam et *Leyſſerus*, qui de Serpyllis optime egit, expoſuerunt. Omnia Serpylla vel in unum idemque conjungenda, vel ſecundum floris proportionem in duo dirimenda eſſe, *Hallerus* apud *Ruppium* adnotat itaque plane Serpyllum magniflorum et parviflorum *Hall.* et *Pollich.* exorta ſunt. Novam et a cognita plane alienam Serpylla diſpeſcendi rationem, ad ſtaminum proportionem *Zinnius* primum profeſſus eſt, *Ehrhartus* divulgavit, eoque ſuadente Serpylli majoris et minoris ſ. grandiflori et parviflori loco, nunc Th. exſerens, ſtaminibus exſertis et Th. includens, ſtaminibus incluſis diſtinctus in ejus arboreto ſpeciminibus ſiccis divulgabantur. — Quae quum ita ſint quamque tot difficultatibus planta vulgatiſſima opprimi videatur, eo magis operae pretium duxi, ſingulas, quibus ludit, perpendere formas, quo majori ſtudio varietates dictae, permultis aliis ſpeciminibus auctae, quas auctores teneant defendantque, ſub ſpecierum diſtinctarum titulis in plantarum catalogis hodiernis redeunt et reluceſcere incipiunt. Et primum quidem de Serpyllis Zinnio-Ehrhartianis. Equidem, quamvis utramque plantam ubique in uno eodemque loco creſcentem viderim, in Th. includente tamen nunquam ſtamina perfecta antherifera, ſed vix obſoleta obſervavi eorum rudimenta. Quorſum igitur in hac ſpecie, ſtamina corolla breviora inquiri poſſunt, quae omnino deficiunt, aut modo ex eorum rudimentis obſoletiſſimis, nudis oculis haud obſervandis, conjici poſſunt? — Aliis perinde relinquo, ut definiant, an illa naturae aberratio ſtaminumque defectus capax ſit atque idoneus ad ſpeciem dignoſcendam. Mihi quidem vix talis ſufficit differentia, quae unice ad varietatem conſtituendam commoda eſſe videtur.

Inter tot vero tamque diverſas Serpyllorum varietates, normam, ad quam rite exponerentur, ex-

quirere et ſtatuere, arduum eſt atque difficile. Quae ab auctoribus laudantur promiſcuae ſunt et invicem concurrunt. Serpylla grandiflora enim paſſim ſtaminibus deſtituta et parviflora vice verſa ſtaminibus exſtructa occurrunt et utrumque jam parcius, jam undique caule foliisque pubeſcit, ad quod *Moriſoni* diſtinctio ambigua in Serpylla glabra et hirſuta, ſpectat.

Thymus Serpyllum *L. emend.* dentibus calycinis inaequalibus, ſuperioribus ovatis adſcendentibus, inferioribus linearibus porrectis, verticillis multifloris ſubcapitatis, foliis planiuſculis obtuſis baſi attenuata ciliatis, caulibus repentibus pulvinatis.

A. latifolius, foliis e figura ſubrotunda, ovataque plus minusve oblongis planiusculis obtuſiſſimis.

α. androgynus, corollis majoribus, ſtaminibus piſtilloque exſertis, caule proceriore.

†) foliis glabris.

Thymus exſerens, ſtaminibus corolla longioribus *Ehrh. arb.* 148. *Hoffm. germ.* II. 14. *Perſ. ench.* II. 130.

Th. Serpyllum β. majus *DC. gall.* III. 559. *Blackw.* t. 418.

Th. Serpyllum β. *Linn. ſp. pl.* 825.

Th. floribus capitatis, foliis planis obtuſis baſi ciliatis, ſtaminibus tubum floris excedentibus *Zinn. gotting.* 313.

Th. magniflorus *Hall.* in *Rupp. jen.* 234. *Poll. pal.* n. 574.

S. vulgare majus flor. purpureis *C. Bauh. pin.* 220. *Dill.* in *Raj. ſyn.* 231. *Petiv. brit.* t. 31. f. 3. *Rupp. jen.* 235. *Moriſ. hiſt.* XI. 17. 2. *Buxb. hal.* 300. *Leyſs. hal.* 147.

Serp. vulgare flore amplo *Raj. syn.* 230. *Vaill. par.* t. 32. f. 7. 8. t. 31. f. 40.
Serpyllum I. IV. *Tabern. hist.* 747.
S. vulgare repens *Clus. hist.* 359. c. icone.

††) foliis utrinque caulibusque pilosis.

Th. lanuginosus *Schk. Handb.* II. 164. t. 164. *Willd. sp. pl.* III. 138. *Pers. ench.* II. 130.
Th. Serpyllum δ. *Linn. sp. pl.* 825.
Th. Serpyllum η. montanum *Rivin. monop.* 42. *Leyss. hal.* 148.
Serp. latifolium hirsutum *C. Bauh. pin.* 220. *Vaill. bot.* 183. *Moris. hist.* III. 403. *Rupp. jen.* 235.

β. ANANDER, corollis minoribus castratis.

†) foliis glabris.

Th. includens, staminibus corolla brevioribus *Ehrh. arbor.* 158. *Hoffm. germ.* l. l. *Pers. ench.* l. l.
Th. fl. capitatis, foliis planis obtusis basi ciliatis, staminibus in tubo floris latentibus *Zinn. gotting.* 313.
S. parviflorum *Haller.* l. l.
?S. pannonicum I. *Clus. hist.* 359.

††) foliis utrinque caulibusque pilosis.

Th. lanuginosus *auct quorumd.*

B. ANGUSTIFOLIUS, foliis linearibus concaviusculis nervosis.

†) caule foliisque glabris.

Th. angustifolius *Pers. ench.* II. 150. *Ann. bot.* 150.
S. angustifolium glabrum *Bauh. pin.* 220.
S. angusto glabroque folio *Clus. hist.* 359. sine icon.

††) caule foliisque hirsutis.

Serpyllum angustifolium *Bauh. pin.* l. l. ex-

cluf. fyn. plurim. — *Rupp. jen.* 234. *Buxb. hal.* 301.

Var. A. et B. in collibus et pafcuis apricis ubertim, var. lanuginofa rarius in aggeribus editioribus (Schmon, Biebram) promifcue; var. B. in arenofis pineti hal. et alibi, citra Nietleben abundat.

Th. Serpyllum, foliis fubrotundis, acuminatis, latioribus et anguftioribus, floribus purpurafcentibus, rofeis, candidis pro coeli et loci natalis diverfitate ludere, hincque odoris proprietatem etiam mutare et nonnifi omnino inodorum effe, *C. Bauhinus* jam monet et infignis exftat in veterum rei herbariae monumentis quoad foliorum formam, latitudinem, hirfutiem, floris colorem et quem fpargunt odorem, fynonymorum copia, quorum aliquot jam fuis locis laudavimus, reliqua vero obiter tantum indicamus ulteriore expofitione indigna. — Serpyllum floribus purpureis (*C. Bauh. Tabern. Vaill*), rofeis f. rubicundis (*Vaill. par.* 183.), albis (*Tabern. hift.* 747. *Chemnitius* (*ind. pl. Brunsvig.* p. 48. qui et S. majus et minus floribus albis ludere recte afferit) *Thal. herc.* 111. *Vaill. par.* l. l. *Buxb. hal.* 30. *Rupp. jen.* 234.). Foliis variegatis (Serp. vulgare majus fol. ex albo viridique colore eleganter variegatis *Morif hift.* III. *Vaill. par.* 183. Serpyllum vulg. majus pictum f. fol. luteo-viridibus *Hoffm. altd.* in add. p. 2.); citrum redolentibus (Serpyll. foliis citri odore *C. Bauh. pin.* 220. qui reliqua fynonyma diligenter enumerat. Th. citriodorus *Perf. ench.* l. l. *DC. gall.* V. 402.); terminalibus a Cynipe in globulos lanuginofos monftrofos coalitis (Th. Serpyllum fol. fupremis in capitulum lanuginofum coadunatis *Scop. carn.* II. n. 376. S. vulgare minus hirfutum cum globulis tomentofis *Morif. hift.* III. 403.).

252. Lamium rubrum *Wallr.* calycibus patentibus in verticillos 10 — 12-floros laxe dige-

ftos, dentibus calycinis inaequalibus, superioribus majoribus, foliis cordatis irregulariter inciso-serratis, floralibus breviter petiolatis, imis remotis. — *Blackw.* t. 182. opt. *Flor. dan.* 1649. *Hayn.* et *Drev.* t. 8.

Lamium maculatum *auct. quorumd. fl. germ.* *Leers herb.* 134. *Hoffm. germ.* II. 7. *Spreng. hal* 170. *Roth. germ.* II. 21.
L. laevigatum *Roth. germ.* II. 21. ex synonym.
Galeopsis *Riv. Rupp. jen.* 224.
Lamium purpureum non foetens, folio oblongo *C. Bauh. pin.* 231. excl. syn. fl. albo.
Galeopsis f. Urtica iners flore purpurascente majore, folio non maculato *J. Bauh.* III. 321. *Buxb. hal.* 133.
Lamium folio oblongo, flore rubro *Parkins. theatr.* 606. *Moris.* f. XI. 11. f. 1.
Galeopsis Matthioli fl. verticillato rubro *Thal. herc.* 55.

β. lacteum, flore candidissimo.

Ad sepes pomariorum, inter dumetorum vepreta ad Lodersleben, Ziegelrode, Rofsleben et alibi ubertim. Veris ineuntis decus. Var. β. ex rarissimis ad Ilfeld legi.

Veteres rei herbariae statores, ex quorum numero *C. Bauhinus, Thalius, Tabernaemontanus* sunt, pro Lamii albi, *Leysserus* (*hal.* 143.) pro L. purpurei, omnibus partibus majoris, speciosi varietate: alii, *Rivinus, Ruppius, Parkinsonius, Gesnerus* et *J. Bauhinus* pro distincta retinuerunt: *Linnaeus* et plantam et synonyma plurima, unico *J. Bauhini* ad L. laevigatum laudato excepto, omisit: recentiores systematici autem, *Leersio*, ni fallor, praeeunte, nominatim *Willdenowius, Hoffmannus, Schkuhrius, Sprengelius* et

reliqui omnes cum Lamio maculato *Linn.*, florum in verticillos digestorum numero decepti commiscuerunt, quod quidem ex sequentibus argumentis a nostro diversum declaro. Etenim Lamium maculatum *Linn. sp. pl.* II. 809., ad quod Lamium alba linea notatum *C. Bauh. Garidel.* p. 264. t. 84. et Lamium Plinii montanum campoclarensium *Columnn. ecphr.* I. 192. t. 90. *Moris. hist.* I. XI. 11. f. 2. pertinet, stirpem australem a nostra boreali diversam esse, figurae datae et descriptiones testantur.

253. Galeopsis Ladanum *Willd.* internodiis caulinis aequalibus, foliis lanceolato-linearibus subintegris, caule divaricato ramoso calycibusque adpresso-pubescentibus, dentibus calycinis inaequalibus bracteisque lanceolato-linearibus cuspidatis illas squarrosas subaequantibus.

α. latifolium, foliis ovato-lanceolatis, dentibus calycinis tribus superioribus calyce hirsutissimo brevioribus.

†) foliis dentatis.

G. Ladanum β. latifolium *Hoffm. germ.* II. 8. *Schk.* t. 160.

Ladanum segetum latifolium *Rupp. jen.* 226.

††) foliis integerrimis.

β. angustifolium, foliis linearibus remote dentatis, dentibus calycinis tribus superioribus calycem pubescentem aequantibus.

G. angustifolia *Ehrh.*

G. Ladanum α. angustifolium *Hoffm. germ.* l. l.

Var. flore albo, quam *Poll. pal.* II. 147. habet, in ruderibus ad Lodersleben passim occurrit. Var. α. in arvis hinter dem Zorgs, cum Galio gracili.

54. Galeopsis grandiflora *Ehrh.* internodiis caulinis aequalibus, foliis ovato-lanceolatis lineatis utrinque cauleque incano-tomentosis, calycibus patenti-pilosis glandulosis bracteas lineares superantibus, corolla quinquies minoribus, dentibus calycinis inaequalibus brevissime mucronatis. — G. grandiflora *Ehrh. Hoffm. Roth. Spr.* nec *Schk.* G. villosa *Hudf. Smith.* G. dubia *Leers.* G. ochroleuca *Lam. Hornem. fl. dan.* t. 1650. opt. — Ladanum segetum latifolium aliud floris colore multum varians *Rupp. jen.* *226. *Chabr. stirp.* 644. f. 2.

In arvis arenosis ad Rossleben et Nebra rarius.

Differt a praecedentis var. latifolia, cui simillima: 1) foliis semper ovato-lanceolatis, lineatis, utrinque et maxime subtus incano-tomentosis; 2) calycibus pube patenti glandulis stipitatis flavescentibus intermixta vestitis eorumque dentibus latioribus et cum mucronulo exiguo superinjecto brevioribus; 3) corollis (flavis) calyce quinquies longioribus in tubum longiorem productis; 4) bracteis linearibus, exiguis calyce triplo brevioribus.

255. Betonica officinalis *L.* spica ovali laxa basi interrupta, dentibus calycinis linearibus cuspidatis bracteisque lanceolatis calyces tubo corollae recto triplo minores subaequantibus.

Synonymis a me in *Ann. bot.* 77. expositis addantur: *Blackw.* t. 46. opt. *Camer.* 681. *Clus. hist.* II. 39. f. 1. Differt a sequente, cum quo ab omnibus commutata est: 1) habitu laxiore, tenuiore, qui in illo robustior, rigidior; 2) foliorum radicalium dentibus rotundioribus, obtusissi-

mis, quae in sequente: rigidiora dentes potius ovatos habere solent; 3) spica ovali ex verticillis paucifloris laxis composita, infimo paullo remoto, quae in B. hirta, oblonga, ex verticillis multifloris condensata est et plerumque omnes calyces verticillosque velut in capitulum contiguum recolligit; 4) calycibus ovato-oblongis, infra dentes pilosos glabratis, nitidis, qui in B. hirta, undique pubescunt; 5) dentibus calycinis calyces subaequantibus, in B. hirta, illis duplo brevioribus, e basi ovata breviter mucronatis; 6) corollae tubo recto, elongato, in B. hirta duplo breviore; 7) tempore florendi, Jun. Jul., B. hirta Jul. Aug.

256. Betonica hirta *Leyss.* spica oblonga ex verticillis approximatis contigua, dentibus calycinis e basi ovata mucronatis, bracteis ovatis acutis calyces hirsutos aequantibus.

B. stricta *Ann. bot.* 77. excl. syn. *Aiton.*
B. hirta, verticillata villosa, calycibus subspinosis *Leyss. hal.* ed. I. 109.

Aitonii planta culta est et a nostra diversa. *Leysseri* nomen antiquius servandum est.

XXIX. OROBANCHE *Linn.*

Orobanches caryophyllum olentis *C. Bauhini* et Orobanches majoris *Linnaei* notio amplissimis profecto patet vicissitudinibus. Uterque titulus, me quidem interprete, vagus est illeque ex synonymis, hic vero ex specierum eo nomine ab auctoribus nimis promiscue descriptarum ambiguitate quasi suspectus. Variae quidem in veterum rei herbariae statorum monumentis exstant descriptiones et specierum distinctarum figurae: *Buxbaumius* (*hal.* 247.) et *Ruppius* (*jen.* 237.) Orobanches coloris ratione mire ludere easque *Clusio* acutissimo observante (*hist.* I. 270.) jam

albefcere, flavefcere, magis fufcefcere, fubcoerulefcere, jam easque in Genifta vulgari nafcentes, C. *Bauhino* (*pin.* 87.) teste, virefcere, alias denique humiles, alias elatiores effe, adleverant, nemo tamen ante *Linnaeum* nec *Linnaeus* ipfe fpecies fingulas olim pro varietatibus habitas et noftro demum tempore paucis a *Suttonio* et *Smithio* fpecierum diftinctarum titulis optime defcriptis exceptis, cautius diftinguere aufus eft. Interiori fcilicet examini praeter raritatem, quaedam in fpeciminibus exficcatis obftat deformitas fummaque partium nobiliorum et ad fpecierum differentias capacium ipfarumque fpecierum fimilitudo, ex quibus omnibus difficultatibus factum eft, ut fpecies notae cum aliis commutarentur, fynonyma perperam laudarentur, novaeque forfan et denuo diftinguendae negligerentur. Attamen, quamvis haec ita fint, Natura ipfa fingulis fpeciebus majorem forfan commifit conftantiam, quam vulgo putatur. Omnes enim Orobanches, nifi loco, quibusdam tamen plantis quafi addictae et infixae funt nec ideo iniquis illis ex loco natali viciffitudinibus patent, quibus aliae plantae tantopere ludunt et habitu, quem illo jubente, arripiunt alienum, obfervatores decipiunt. His igitur penfitatis et fpeciebus anglicis curiofius explorandis nec promifcue in floram transferendis inveftigatis, fimilem operam indigenis etiam haud plane indignam minime detrahamus et ad quarumdam fpecierum, quotquot hodie ex fpeciminibus ficcis innotefcunt, examen primas ducamus lineas, alio tempore et loco denuo extendendas.

Omnes Orobanches arctiffimo fimilitudinis connectuntur vinculo et in illis diftinguendis auctores praeter corollae figuram generalem ejusque partitiones, ad ftaminum ftylorumque indolem maxime refpexerunt. Corollae figura et laciniae, in quas labium utrumque finditur, methodum ratam quidem fpecies recognofcendi fpondent, a quibusdam tamen difficultatibus nequaquam libera eft.

20

Exſiccatae enim et fructiferae, quales partibus omnibus integris et ad mortem usque perſiſtentibus exſtructae, ſaepius inveniuntur, vix priſtinam reddunt figuram, eoque modo examen poſterum, ob generis et ſpecierum ambiguitates ſatis neceſſarium interdicunt et ne in vivis quidem ſine difficultate circumſcribuntur. Quod ad ſtaminum ſtylique ſuperficiem attinet, cui plurimi auctores confidunt, illam quoque quibusdam mutationibus locum dare, certum eſt idque non ſolum ex harum examine diligentiore, ſed quoque ex aliarum ſtirpium affinium, Monotroparum v. c. hiſtoria et comparatione elucere videtur. Hinc aliam partem exquirere ad ſpecies recognoſcendas magis idoneam inſtitui et illam in calyce detexi. Calycem per omnem Labiatarum familiam certiſſimas promittere generis et ſpecierum notas, conſtat quidem, nemo tamen ejus dignitatem in hoc genere, ex quo ſpecies et ſiccae et vivae optime recognoſcuntur, intellexit. Equidem autem eandem fidem, quam varii auctores ad genera diſtinguenda adhibuerunt, et ſecundum ſpecierum varietatem, quas ante oculos habuerunt, varie, *Linnaeus* v. c., *Smithius*, *Candollius*, *Sprengelius* aliique calycem diphyllum ſ. e foliolis duobus lobatis lateralibus compoſitum: alii *Juſſieuo* docente, bracteas calycem ſupplentes vocarunt, ad ſpecies diſtinguendas mutuo et ex illo ejusque cum ejus dentibus proportione et totius generis diviſione ſpecierum differentias eximias derivandas eſſe, profiteor. Miram enim reliquae partes, habitus ipſe et inſloreſcentia in hoc genere fingunt communionem et verum profecto eſt, corollae figuram ſubtiles omnino: ſtaminum ſtylique ſuperficiem, colorem, idoneas quidem at quoad calycis praeſtantiam, ſubalternas differentias tantum ſuppeditare. Scapus, is enim nec caulis generi proprius et quae illi adnaſcuntur ſquamae, inter flores bractearum vices gerentes, florum diſpoſitio ipſeque habitus, cui triſtis quid et emortui ineſt, et color varius ipſaque

denique pubes, quae in omnibus fere ſatis peculiaris, nudis oculis hirſutiem furfuraceam, armatis pilos glanduliferos (ſiccitate) tortiles refert aliaque complura ſigna in omnibus penitus eadem aut modice aliena et vix ſine ambage circumſcribenda ſunt et ob hanc mutuam ſimilitudinem deſcriptiones et definitiones, quales ab auctoribus vulgo laudantur, exierunt incongruae nec ad ipſam ſtirpem, ſed potius ad generis ſectionem generaliter ſpectant.

Character gener. Calyx 4—5-fidus, varius. Corolla monopetala, tubuloſa, anomala, fauce aperta perſonata, bilabiata, cum calyce perſiſtens: labium ſuperius fornicatum emarginatum, inferius trifidum reflexum. Stamina hypogyna. Capſula 1-locularis, bivalvis: valvae ad parietes ex receptaculo bicrurali ſeminiferae. Semina ſcobiformia, microſcopica.

Sectio I. OSPROLEON. *)

Calyx ſubcampanulatus anticus connatus, poſticus fiſſus diphyllum mentiens, 5-fidus. Flores bractea 1 ſuffulti. Corolla 4-fida, inflata. Faux et antherae nudae.

† 257. Orobanche rubens *Wallr.* ſcapo ſimpliciſſimo bracteisque colorato, floribus ventricoſis in ſpicam oblongam congeſtis, ſtamini-

*) Ὁ ὀσπρολέων ὃν τινὲς ὀροβάγχην καλοῦσιν. *Geopon.* II. 12.

bus intus hirſutiuſculis, ſtylo parce glanduloſo, calycibus campanulatis membranaceis, dentibus carinatis, ſuperioribus ovatis acuminatis, inferioribus obtuſiuſculis obſoletis tubi plicam attingentibus.

In collibus editioribus ad Biebram. — Extra fines ad Auleben et Sondershuſam. Jul.

Scapus erectus, ſtriatus, inferne aequalis et flexuoſus, ſimpliciſſimus, ſquamis remotis munitus, ſpithameus, pedalis, hirſutiuſculus, atro-ſanguineus. Spica oblonga, ſimplex, multiflora, laxiuſcula. Bracteae ovatae, ex glandulis rubiginoſis hirtae. Corolla inflato-ventricoſa, fornicata, extus bractearum more glanduloſa, rubeſcens demum cum maturitate infra mediam partem antice elevato-plicata: labium ſuperius emarginatum, obtuſum, connivens, convexum, inferius trifidum, laciniis obtuſis, ſubaequalibus, brevibus, undulato-crenatis, retuſis. Calyx amplus, corollae concolor, leviter 4-fidus: dentes carinati, ſuperiores ovati, acuminati, inferiores multo breviores, obtuſiuſculi, fere obſoleti, tubi corollae plicam elevatam attingentes. Stamina intus hirſuta. Stylus glanduloſus, ſtigma obcordatum, atrorubens magnum elevans.

Variat ſcapi altitudine et ſtaminibus baſi hirſutioribus, fere ut in Or. caryophyllacea.

258. Orobanche caryophyllacea *Sm.* ſcapo ſimplici, ſquamis bracteisque ovato-oblongis acuminatis rubiginoſis, floribus inflatis incurvis hirſutis in ſpicam laxam elongatam digeſtis, ſtaminibus baſi undique hirſutiſſimis, ſtylo apice parce glanduloſo, ſtigmate obcordato, dentibus calycinis ſubaequalibus linearibus acumina-

tis. — Or. caryophyllacea *Smith. Willd. Spr.* Or. vulgaris *Lam. Decand.*

Labium ſuperius emarginatum, longius quam in ſequente, lobis rotundatis, obtuſis, crenulatis, conniventibus: inferius trifidum, laciniis lateralibus ovatis, crenulatis, intermedia longiori et anguſtiori, obtuſa.

† 259. Orobanche sparsiflora *Wallr.* ſcapo ſimplici, ſquamis bracteisque oblongo-lanceolatis *concoloribus, floribus* ventricoſis hirſutis remotis in ſpicam elongatam laxe diſpoſitis, ſtaminibus margine ciliatis ſtyloque apice parce glanduliferis, dentibus calycinis ovatis acuminatis, inferioribus conformibus duplo minoribus.

β. pauciflora, ſcapo humili paucifloro.

In collibus et promontoriis graminoſis ſylvaticis inter Bottendorf et Schweinsroda. Jun.

Corollae labium ſuperius fere ut Or. caryophyllaceae, brevius tamen, leviter emarginatum, laciniae conniventes latiores, eroſae; inferius trifidum, laciniae laterales, breviores et latiores, intermedia obovata. — Or. caryophyllacea ſimilis quidem, attamen floribus confertioribus eorumque fauce patente et labii fabrica bracteisque ovatis diverſa. Or. minor corolla tubuloſa et dentium calycinorum proprietate differt. In var. α. ſcapus pedalis; ſquamae bracteis conformes et concolores, oblongo-lanceolatae, flores ſubaequantes; corolla 2½ centimetr. longa, extus hirſuta; ſpica ex floribus 12 — 20 laxe diſpoſitis compoſita; dentes calycini inaequales, duplo longiores. In var. β. ſcapus gracilis et digitalis, 4 — 6-florus, in reliquis ad amuſſim congruit.

260. OROBANCHE APICULATA *Wallr.* ſcapo ſimpliciſſimo undique bracteisque ovatis extus farinaceo-hirſutis, floribus cylindricis in ſpicam ovatam congeſtis, ſtaminibus ſtyloque glabriusculis incluſis, antheris nudis ſuperne apiculatis, calycibus mediotenus quadrifidis, dentibus inaequalibus linearibus, inferioribus anguſtioribus brevioribusque.

Ad Pelargonii graveolentis *radicem enatam* legi ſemel in ollis hortorum *cl. Wilhelm* Rectoris et praeceptoris *immortalis* in ſchola Roſslebenſi. Jun. 1804.

S c a p u s ſimpliciſſimus, rectus, e baſi leviter incraſſata in faſciculum polyrrhizum ſeneſcens, ſquamis oblongo-lanceolatis, glanduloſis tectus, farinaceo-hirſutus, fuſco-rubiginoſus, triuncialis. S p i c a oblonga, ex floribus 10 — 12 confertis compoſita. B r a c t e a e ovatae, cum ſcapo concolores, flores ſuperantes. C o r o l l a cylindrica, pilis glanduliferis albis adſperſa. C a l y x ad mediam partem 4-fidus: dentes inaequales, lineares, acuti, inferiores duplo anguſtiores et breviores. S t a m i n a incluſa, margine corpusculis minutiſſimis raris quaſi exaſperata. A n t h e r a e ovatae, baſi ut in congeneribus mucronulatae, ſuperne connatae ibique apiculato-papillatae. S t i g m a bilobum, coloratum. S t y l u s glandulis parcis inſperſus.

† 261. OROBANCHE NUDIFLORA *Wallr.* ſcapo ſimpliciſſimo inferne ſquamato, ſquamis bracteisque ovatis extus hirſuto, floribus ventricoſo-ſubcampanulatis glaberrimis in ſpicam oblongam laxiusculam diſpoſitis, ſtaminibus baſi interna parce papilloſis ſtyloque glaberrimo prominulis, calyce profunde 4-fido, dentibus inae-

qualibus, superioribus majoribus e basi ovata lineari-setaceis.

? Or. minor *Vahl. flor. dan.* t. 1219. excl. syn.

Ad radices Pruni spinosae auf dem Schachtberge prope Rossleben. Jun.

Viva pallet, sicca fuscescit. Scapus erectus, simplicissimus, basin versus leviter incrassatus indeque ad mediam partem squamis ovato-oblongis amplexantibus, extus hirsutis munitus, reliqua parte esquamatus, spithameus s. pedalis. Spica oblonga, ex *floribus* 12 — 20, laxis composita. Bracteae ovatae, extus ut in congeneribus farinaceo-hirsutae, squamis scapi inferioris conformes. Corolla ventricoso-subcampanulata, extus nuda, 1 s. $1\frac{1}{4}$ centimetr. longa: labium superius emarginatum, crenulatum. Calyx profunde, i. e. ultra mediam partem 4-fidus: dentes inaequales, margine glandulosae, superiores e basi ovata lineari-setacei, bracteam *aequantes*, corolla breviores, inferiores minores. Stamina corpusculis papillaeformibus perpaucis adspersa iisque quasi exasperata, subprominula. Stylus glaberrimus. Stigma bilobum, saturum. Germen oblongum, glaberrimum, calycem aequans.

Or. minor *Vahl.* ex icone bene quadrat, quamvis etiam in meo specimine flores confertiores et numerosiores sint.

† 262. Orobanche minor *Sutt.* scapo simplicissimo, squamis bracteisque oblongo-lanceolatis, floribus tubulosis aequalibus glaberrimis in spicam laxam dispositis, staminibus basi ciliatis superne styloque glabris, calycibus ad basin usque divisis, dentibus distinctis lanceolato-linearibus acuminatis inaequalibus, inferioribus brevioribus.

Or. minor *Sutt. Trans. of Linn. Soc.* IV. 179. *Engl. bot.* t. 422. (opt.) *Smith brit.* II. 671. *Ann. bot.*

Ad radices Trifolii medii am Buchberge nemoris Ziegelrodensis. Extra fines in montium jugis editioribus apricis der Rothenburg, Auleben, Sondershausen etc. Jun.

Scapus subflexuosus, basi incrassatus, pallescens, superne purpurascens, more congenerum pilis flavo-glanduliferis adspersus, siccitate fusco-rubiginosus, squamis sparsis, raris munitus, dodrantalis. Spica oblonga, e floribus 10 — 16 composita, laxa. *Bracteae* ovato-lanceolatae, longe acuminatae, cum squamis caulinis conformes, his tamen latiores. Corolla tubulosa, rectiuscula, aequalis, praeter angulos glabra, pallide-flavescens, angulis purpureo-striatis: labium superius excisum, laciniae obtusae, expansae, eroso-crenulatae: inferioris laciniae laterales breves, obtusae, quasi truncatae, patentes, intus plicis conniventibus exaratae, intermedia duplo major, porrecta, labium superius subaequans. Calyx ad basin fere usque partitus, ita ut dentes distincti, tubum corollae infimum, nequaquam ut in congeneribus, comprehendere videantur: dentes lanceolato-lineares, acuminati, inferiores plerumque angustiores illis et corolla breviores, superiores illam subaequantes. Stamina glabra praeter basin ciliatam, alba. Antherae nigrae. Stylus glaberrimus. Stigma bilobum, purpurascens.

Orobanche minor apud varios auctores, varia esse videtur: aliam enim cl. *Candollius* eo nomine habet, aliam *Vahlius*, et *Smithius* ipse Or. sparsiflorae nostrae varietatem eo titulo simul intelligere videtur et equidem ipse speciem utramque in *Anno botanico* similiter commutavi, quae quamvis simillima sit, praeter alias notas calyce potissimum in foliola ad basin usque diviso et modo, quo tubum infimum liberum circumstant,

nec calyce antice connato, ut in reliquis, comprehendunt, distinguitur. Or. amethystea *Thuill. paris* II. 317. est Or. minoris var. procerior.

Sub hac Osproleontum sectione praeter has militant:

a. OROBANCHE MAJOR *L.* scapo simplicissimo inferne squamis raris brevibusque munito, floribus inflato-ventricosis incurvis glabriusculis in spicam laxam dispositis, staminibus pistilloque hirsutiusculis, dentibus calycinis ovatis acuminatis aequalibus conformibus, stigmate exserto bipartito divaricato.

Orobanche major *Linn. sp. pl.* II. 882. excl. syn. *C. Bauh. Clus. Lobel.* — *Loeffl. itiner.* 151. *Desfont. atl.* II. 59. *Engl. bot.* t. 421. opt. *Smith. brit.* II. 609. *Sutton Transact. of Linn. Soc.* IV. 175. — nec *auct. fl germ.*

In Angliae, Hispaniae et Sueciae Spartio et Ulice.

Orobanche major *Linn.* apud varios, praesertim florae germanicae auctores, titulum offert perquam ambiguum, sub quo *Linnaeus* ipse et plurimi scriptores admodum varias intellexerunt species. Vidi saltem omnes propemodum Orobanches in Virorum celeberrimorum herbariis eo nomine inscriptas et in paucis tantum stirpem Linnaeano - Smithianam ex speciminibus anglicis et lusitanicis recognovi. Stigmatis in lobos divaricatos divisi proprietas stirpis essentiam complectitur, cujus ope ab omnibus Osproleontibus facile dignoscitur. Descriptionem optimam *Smithius* cl. l. l. exhibuit, quae conferenda est. Exsulat procul dubio in flora germanica.

b. OROBANCHE ELATIOR *Sm.*, quamvis aliquoties in agro halensi obvia fuit, cum florae danicae et bot. anglici iconibus congrua, nunc ad manum

non eſt. Ad hanc refero Orob. II. *Tabernaem. hiſt.* 1062.

Sectio II. TRIONYCHON.

Calyx connatus, integer, 4—5-fidus. Bracteae 3: interiores minores corollam munientes. Corolla ſub5-loba. Faux ſtriis elevatis villoſis exarata. Antherae piloſae, effoetae cum ſtaminibus albentes. Glandula nectarifera nulla.

† 263. Orobanche comosa *Wallr.* ſcapo ſimpliciſſimo, bracteis ſquamisque furfuraceo-hirſutis, floribus tubuloſis medio conſtrictis in ſpicam oblongam condenſatis tribracteatis, ſtigmate bilobo (flaveſcente) exſerto, calyce connato 5-fido, dentibus aequalibus linearibus corollae ſtricturam ſuperantibus, quinto (poſtico) minore.

Orobanche minor *auct. quorumd.*
Orob. I. *Tabernaem. hiſt.* 1063.

Ad Geniſtae tinctoriae radices in colle herbido der Steinklippe. Jun.

Herba viva pallide-, ſicca et matura ſaturatius fuſceſcit. Scapus ſtriatus, rectus, inferne incraſſatus, remote ſquamatus, pube furfuracea adſperſus, digiti minoris craſſitiem ferme aequans, pedalis. Spica comoſa, ſpithamea, ex floribus plurimis approximatis condenſata. Bracteae ternae: exterior ovato-oblonga, caulis more furfuraceo-hirſuta ut in Sect. I.; reliquae binae cum calyce concretae, dentium calycinorum figura, lineares. Corolla tubuloſa, media parte anguſtata, 2 centimetr. longa, pallide-flaveſcens, extus hirſutiuscula: labium ſuperius emarginatum, fere bifidum, revolutum, inferius trilobum, laciniis aequalibus, oblongis, ut in priore, minus tamen cre-

nulatum. Calyx integer, connatus, quinquefidus: dentes lineares, acuti, aequales, quinto postico tamen minore. Stamina glaberrima, demum eburnea. Antherae effoetae, ciliatae. Stylus hirsutiusculus. Stigma bipartitum aurantiacum. Capsula ovata.

264. OROBANCHE RAMOSA *L.* scapo ramoso, floribus tubulosis brevissime pedicellatis alternis in spicam laxam dispositis, *staminibus* basi parce pilosis superne *pistilloque* glabro inclusis, calycibus connatis 4-fidis aequalibus ovatis acutis, corollae strictura brevioribus. — *Clus. hist.* I. 271. *Chabr. stirp.* 257. f. 3. *Moris. hist.* I. 271. *Camer. epit.* 311.

Ad Cannabeos sativae radicem parasiticam ubertim viget prope Wiehe, Hechendorf et alibi. Jul.

* Sub hac sectione militant:

a. OROBANCHE COERULEA *Vill.* — cujus descriptio et synonyma apud *Smithium* (*brit.* II. 671.), *Cand.* (*gall.* III. 490.) et *Jacquinum* (*fl. vienn.* 252.) exstant. Stirpem agro halensi indigenam, quam cl. *Sprengelius* (*hal.* 176.) indicat, nondum legi nec quoque in praeceptoris herbario vidi.

b. OROBANCHE MICRANTHA *Wallr.*, ad quam Orob. minor, purpureis floribus *Chabr. stirp.* 257. f. 2. *Rupp. jen.* 238. pertinent.

XXX. ALECTOROLOPHUS *Hall.*
(*Gaertn.* t. 54. *Schk.* t. 169.)

Calyx inflatus, quadridentatus. Corolla ringens: labium superius compressum, emarginatum. Antherae geminatae cymbiformes. Capsula compressa

bilocularis, bivalvis: valvae dissepimento lineari illisque contrario, samaras gerente interstinctae. Embryo inversus ab umbilico remotus.

265. ALECTOROLOPHUS GRANDIFLORUS *Wallr.* caule maculato, corollae tubo curvato lacinias calycinas acutas subaequante, labio superiore fornicato apice bidentato, dentibus pistilloque colorato exsertis, bracteis membranaceis. — *Flor. dan.* t. 981. opt.

α. GLABRATUS, caule calycibusque glabris.

Al. vulgaris *M. Bieberst. taur. cauc.* II.
Rhinanthus glabra *Lam. gall.* II. 352. *Bull. herb.* t. 125. *DC. gall.* III. 478.
Rh. major *Ehrh. herb.* n. 56. *Beytr.* VI. 144.
Alect. glaber *Allion. ped.* n. 206.
Mimulus Crista galli *Scop. carn.* n. 751.
Rh. Crista galli α. *Linn. sp. pl.* 840. *Pers. ench.* II. 150. *Spr. hal.* 176.
Al. calycibus glabris *Hall. hist.* n. 313.
Cr. galli pratensis humilior, calyce glabro *Rupp. jen.* 240.
Pedicularis pratensis lutea s. Crista galli *C. Bauh. pin.* 136. *Vaill. bot. par.* 157. *Moris. hist.* s. XI. 23. 1.
Crista galli mas *Chabr. stirp.* 476. f. 2.
Cr. galli foemina *J. Bauh. hist.* III. 436. *Dodon. pempt.* 555. *Buxb. hal.* 88.

β. PUBENS, caule calycibusque piloso-pubescentibus.

Rh. villosus *Pers. ench.* II. 151.
Rh. hirsuta *Lam. gall.* II. 353. *DC. gall.* III. 478.
Rh. Alectorolophus *Poll. pal.* n. 580. *Hoffm. germ.* 19. *Roth. germ.* I. 264. II. 53. *Wohll. suppl.* 26.

Alectorolophus hirsutus. *All. pedem.* n. 205.
Mimulus Alectorolophus *Scop. carn.* n. 752.
Rh. Crista galli γ. *Linn. sp. pl.* 840. *Willd. sp.* III. 189.
Al. calycibus hirsutis *Hall. helv.* n. 314. *Leyss. hal.* 151.
Crista galli major et elatior, calyce hirsuto, rictus limbo violaceo *Rupp. jen.* 240.
Alectorolophus ramosus coma candicante *Hoffman. altdorf.* 4.
Pedicularis pratensis lutea erectior, calyce hirsuto *Tournef. inst.* 172. *Vaill. bot.* 157.
P. lutea pratensis elatior, foliis majoribus *Moris. hist.* III. 426.
Crista galli mas *Bauh. hist.* III. 436. *Chabr. stirp.* 476. f. 2. *Buxb. hal.* 88.

Var. α. in pratis ubertim, β. in iisdem at editioribus passim, plerumque tamen inter segetes.

Linnaeus jam in *fl. lapp.* in distinguendis plantis dubius haeret et quum differentiae in parte quacunque quoad numerum, figuram, situm et proportionem nullae plane sint, conjunxit, utramque tamen secundum locum natalem v. α. in pratis, β. in agris dignoscere praecipit. Equidem praeter pubem, nullum observo discrimen, ne ex loco natali. A. grandifl. β. pubentem enim in pratis saepius vidi. Inter segetes ramolior et omnibus partibus robustior. Dentes labii superioris plus minusve sature violacei.

Duplices esse *Alect. non ramosi coma fusca varietates, majorem* et *minorem, Mauritz. Hoffmannus* jam l. l. monet nec aliter judicat *Ehrhartus* acutissimus, utramque sub specierum distinctarum titulis descripturus. Nulla tamen in utriusque plantae magnitudine exstat differentia. Saepius enim Rh. minor s. Al. parviflorus noster cum Rh. majoris s. grandiflori magnitudine certat, et major vice versa, caulibus raris, spithameis,

unifloris occurrit. His prorſus motus argumentis nomina trivialia mutavi et ſecundum florum magnitudinem nova dedi. Varietatem ſingularem ſemel obſervavi, tubo corollae anguſtiſſimo lineari capſulaque minori.

† 266. ALECTOROLOPHUS PARVIFLORUS *Wallr.* caule immaculato, corollae tubo recto laciniis calycinis ovatis breviore, labio ſuperiore obſolete bidentato, dentibus, piſtillo incluſo bracteisque concoloribus.

Rhin. minor *Ehrh. herb.* 46. *Beytr.* VI. 144. *Perſ. ench.* II 151.
Rh. Cr. galli β. *Linn. ſp. pl.* 840. *Leyſs. hal.* 151. *Roth. germ.* II. 53.
Criſta galli anguſtifolia montana ſerotina *Rupp. jen.* 240. *Buxb. hal.* 88.
Cr. galli anguſtifolia montana *C. Bauh. pin.* 163.

In pratis editioribus ad Lodersleben, Ziegelrode, ad Nietleben, Doelau, in quibus a *Buxb.* jam indicatur, in ſubalpeſtribus thuring. et hercyn. abundat. Jun. Jul.

Radix annua, tenuis, fibris aliquot aucta, fuſca. Caulis erectus, tetragonus, immaculatus, glaber, plerumque ſimpliciſſimus, rarius ramoſus, gracilis, e fuſco purpuraſcens. Folia oppoſita lineari-lanceolata, regulariter ſerrata, margine revoluta, ſaturate vireſcentia. Spica terminalis, pauciflora ſatura. Flores axillares, ſolitarii geminique, ſubalterni, breviſſime pedicellati, ſolitarii geminique bracteis vireſcentibus inciſo-ſerratis ſuffulti, fulvi Calyx ſubrotundus, inflatus, venoſus, glaberrimus, ore contracto quadridentato, dentibus ovatis acumine breviſſimo terminatis, demum maturus cum bracteis hepatico fuſceſcens. Corolla calycem excedens: unguis rectus, ſtria-

tus, intra calycem retractus: labium ſuperius convexum, abbreviatum, infra apicem bidentatum, dentibus dilute-flaveſcentibus obſoletis breviſſimis: inferius trifidum, ſuperiore brevius, laciniis lateralibus ſubrotundis plicato-reticulatis, intermedio obcordato breviore. Antherae minores ut in A. grandifl., muticae, apice margineque pilis tortilibus fimbriatae. Piſtillum pilis minutiſſimis adſperſum, apice incurvum, ſub fornice labii ſuperioris reconditum, viride. Capſula et Semina ut in A. grandifl. at minora.

Differt ab antecedente: 1) caule immaculato, glaberrimo, ſimpliciore idque in eodem loco, et plerumque graciliore duploque minore, qui in illo ex natura procerior, in ſterilibus modo humilior et ſimplex evadit jamque glaber, jam parce pubeſcens jamque omnino villoſus eſſe ſolet. Strias fuſcas, quibus A. grandifl. caulis tinctus eſt, rariſſime obſoletas vidi: in hoc ſemper deſunt; 2) foliis lineari-lanceolatis, anguſtioribus, quae in illo lateſcunt magis et exacte lanceolata ſunt; 3) ſpica pauci-(1—8-) flora: in illo multi-(4—20-) flora; 4) bracteis minoribus, ſaturatius vireſcentibus rubore fuſceſcente (maturitate) intermixto, quae in illo ſicut calyx, membranaceae, diaphanae palleſcunt (coloratae); 5) dentibus calycinis ovatis, brevioribus; 6) floribus duplo minoribus, fulvis; 7) ungue corollae recto, breviore, qui in illo incurvus ſenſim in fornicem adſcendit; 8) labio ſuperiore inferius ſuperante, infra apicem obſolete denticulato, dentibus breviſſimis palleſcentibus; in illo contra, labium ſuperius inferioris longitudinem aequat et infra apicem in dentes propexos coloratos terminatur; 9) piſtillo curvato a labii ſuperioris fornice incluſo concolore, quod in illo: diſcolor, arcuatum cum ſtigmate exſertum eſt; 10) antheris, capſulis ſeminibusque duplo minoribus.

Specimen unicum ex milliibus multis vidi, cau-

le dentibusque labii superioris subcoloratis, hybrida sine dubio proles, patre Al. grandifloro, matre Al. parvifloro.

267. Melampyrum sylvaticum corolla fulva, minore, labio deflexo, et capsula reticulato-venosa a M. pratense distinguendum, a nostris nemoribus omnino alienum, ex florae halensis indigenis relegandum est. M. alpestre *Pers. ench.* II. 151. — *Flor. dan.* t. 145.

268. Melampyrum cristatum *L.* secundum florum et bractearum formam duplices largitur varietates: α. floribus bracteisque purpurascentibus, in nemoribus circa Halam et Ziegelrodam; β floribus bracteisque flavescentibus, in sylvis prope Wendelstein, des Alten-Stolbergs, Steigerthal, quibus solum calcareum subest.

269. Euphrasiae officinalis *L.* duplices esse formas, vetustissimis rei herbariae statoribus jam illuxit. *Thalius* (*hercyn.* 40.) primus alteram Euphrasiam majorem, cauliculis sesquidodrantalibus, quandoque procerioribus, brachiatis, foliis alterius speciei duplo, imo fere triplo floribusque majoribus, a minore omnibus partibus minoribus distinctam praedicat illamque in pratis pinguioribus, maxime circa Stolbergam, hanc in ejus consortio at rarius crescere praecipit. Similiter *C. Bauhinus pin.* 233.) Euphrasiam officinarum exponit eumque *Ruppius* (*jen.* 240.) et *Buxbaumius* (*hal.* 107.) persequuti sunt. Num ex his, quibus Euphrasia ludit formis, secundum florum magnitudinem, duplices species s. varietates, pratensis et montanae nominibus inscribendae stabiliri possint, *Hallerus* apud *Ruppium* sciscitatur? *Persoonius* autem novissimis temporibus, synonymis veterum omissis, alteram formam nemorosam varietatis loco E. officinali subscripsit.

α. GRANDIFLORA *W.*, floribus majoribus, corollae tubo laciniis calycinis longiore. — *Schk.* t. 169. opt. *Flor dan.* 1037 *Engl. bot.* 1416.

Euphr. pratensis *Hall.*
E. officinarum major *C. Bauh pin.* 233. *Rupp jen* 240. *Buxb. hal.* 107.
E. major *Thal. hercyn.* 40.

β. PARVIFLORA *W.*, floribus minoribus, corollae tubo laciniis calycinis breviore, foliis glabriusculis subnitidis. — *Bull. herb.* t 233. *Tabernaem.* 1246. *Chabr.* 475.

Euphr. nemorosa *Pers. ench.* II. 149.
E. montana *Haller.* l. l.
E. minus ramosa, flore ex coeruleo purpureo *Rupp. jen.* 240. *Buxb. hal.* 107.

TETRADYNAMIA.

EXCURSUS IN SILIQUOSARUM FAMILIAM

Nullibi profecto major et veterum rei herbariae statorum et recentiorum exstat dissensus quam in Siliquosarum generibus statuendis iisque ad ordines singulos revocandis. Omnes propemodum auctores ab antiquissimis inde deludarunt temporibus, ut Siliquosas, quae familiam vel maxime naturalem et a reliquis adfinibus distinctissimam absolvunt, ad genera stabilia notisque inconcussis insignia redigerent: nemo autem, me quidem judice, metam attigit exoptatam, ab ipsa Natura absconditam ac veluti suspensam, ab ejus observatoribus autem admodum vario sinistroque tentatam et exquisitam tramite. Etenim ex systematicorum auctoritate varia systematumque fundamentis, genera promanarunt varie exstructa, tam miro modo itaque plane synonymis auctis, ut quaevis propemodum species, innumeris saepe rediret nominibus generi-

cis. Alia scilicet exstruxerunt genera Corollistae, alia, ut a *Linnaeo* vocantur, Fructistae, alia itidem promulgarunt, qui misso corollae fructuumque discrimine, habitui confidentes, species similitudinis solius ratione congregarunt, et ex hac fundamenti triade sive ex alio quocunque ad partium nectariferarum rationem exstructo, quaedam ad nostram aetatem pervenerunt inque systematibus hodiernis etiam promiscue aliis ad fructus rationem recte statutis intercurrunt. Summo prorsus monuit jam jure *Jussieuus* (*gener. pl.* p. 268.) „generica signa ex *Linnaeo* mutuata, nunc naturalia nunc interdum mere systematica et varia, iterum ergo conferenda in integro simul ordine, collatis omnibus speciebus, ut aequabiliori et absoluta distributione arbitraria ac molesta nimis sistatur generum nominumque mutatio:„ nec aliter nos quoque de Siliquosarum generibus judicamus eorumque examen accuratius neque superfluum neque fini contrarium habemus.

Quamvis id ita sit et conqueri debeat, minime tamen desunt auctores de Siliquosarum familia meriti, inter quos *Morisonus*, *Rajus*, *Tournefortius*, *Rivinus*, *Scopolius*, *Linnaeus*, *Crantzius*, *Medicus*, *Moenchius*, *Rothius*, *Desvauxius*, *Candollius* et qui nostris potissimum temporibus acerrimo scrutinio genera plantarum subjicit *Robertus Brownius* inclarescunt et unicuique propemodum systema debemus vario impositum fundamento, de quorum pretio summatim dicendum est.

Morisonus, „qui primus Siliquosis manum admovit et familiae naturalis distributionem meliorem suffragatus est, species singulas, nominibus veterum servatis, secundum habitum externum, foliorum, florum fructuumque indolem ad quaedam genera satis ambigua promiscue quasi revocavit; Cochleariam v. c. foliis crassioribus, obscure viridibus, superne convexis, infra cochlearis instar cavis siliculisque rotundioribus et tumidioribus a

reliquis Siliculosis: Sinapin feminibus fervidissimis et gustu acerrimo insignem, ab hac Erysimum seminibus minus acribus et siliquis seminibusque minoribus distinxit, Veronicas simul immiscuit et omnia genera arbitraria pro lustru et ad veterum nomina dispescuit rudia sane indigestaque.

Meliori Siliquosas *Rajus* subjecit examini in *methodo plantarum emendata et aucta* p. 98 sq., corollae valore relicto, ex fructuum indole diversa genera construens, illaque tamen aliarum partium ignobilium proprietates simul immiscens, nonnisi nimis multiplicans. Ab hoc bene dignoscuntur v. c. Lunaria siliquis brevibus latis; Alyssum siliculis latiusculis compressis membranaceis valvis parallele dissepitis; Cardamine siliquis tenuibus, valvis per maturitatem revolutis et semina cum impetu ejaculantibus; Raphanistrum fructibus articulatis, in internodiis singulis semina singula subrotunda continentibus; Coronopus siliculis compressis in duas cellulas divisis; Jonthlaspi fructibus rotundis compressis e valvulis duabus sibi invicem appressis compositis, semen unicum claudentibus; Hesperis siliquarum dissepimento in fossulas excavato et alia.

Similiter et forsan prosperius *Tournefortius* etiam Siliquosarum digessit genera, Thlaspi, Thlaspidium, Rapistrum, Cakilen, Cramben, Erysimum, Myagrum et alia permulta apprime exposuit et icones primum dedit generum notas satis luculenter illustrantes.

Stabilioribus et pro maxima parte praestantioribus *Linnaeus Tournefortium* sequuturus in generibus statuendis usus est notis, fructus stylique formam et indolem glandularumque staminibus assidentium numerum pro norma habens, Tournefortianis Vellam, Anastaticam, Subulariam, Ricotiam, Arabidem genera nova addidit, alia a veteribus curiosius distincta et denuo distinguenda contraxit, alia itidem, fructus ratione non habita introduxit a reliquis quadantenus aliena, Iberidem

v. c. petalis duobus exterioribus majoribus ex Corollistarum systemate mutuavit; Hesperidem a *Rajo* jam acutius distinctam glandula intra stamina breviora petalisque obliquis; Arabidem glandulis quatuor intra foliola calycina; Brassicam glandulis duabus intra stamina breviora, duabus extra stamina longiora; Turritidem petalis erectis siliquisque longissimis et alia ejusmodi satis promiscue ac minus congruenter distinxit: in quamplurimis autem, notas generum ab unica a reliquis congeneribus forsan absona, mutuavit specie, ut partim ex antecedentibus partim ex aliis et nominatim ex ejus Myagro, genere vago, cui in *syst. veget.* ed. XIV. valvulae concavae stylo persistente coronatae; in *gener. pl.* siliculae obcordatae subcompressae, integrae, rigidae, apice stylo rigido conico terminatae, bivalves, loculis quibusdam saepe vacuis, notae scilicet ambiguae et huic alterive speciei propriae, a plurimis autem alienae adscribuntur, sive ex Cochlearia, *Linnaei* mente siliculis emarginatis, turgidis, scabris ex valvulis gibbis obtusis compositis insigni et ex permultis aliis patet.

Novam et a reliquis quadantenus alienam *Scopolius* ingressus est viam in *flora carniolica* et fructus figura et totius plantae habitu relicto, ex glandulis sive tuberculis a *Linnaeo* primum observatis et ad genera stabilienda adhibitis, staminum vel petalorum basi assidentibus genera exstruxit, Natura invita, mere artificialia et florem in Siliquosarum characteribus stabiliendis fructu certiorem esse, professus est. Apud illum igitur Cochlearia glandulis deficientibus: Lepidium glandulis duabus stamen quodve minus sustinentibus: Thlaspi glandulis quatuor inter stamina majora et minora positis: Biscutella glandulis sex, una utrinque inter stamina majora et ubique una inter stamen quodque majus: Sisymbrium glandulis duabus, utrinque una ad basin staminis cujusque minoris; Alliaria glandulis totidem, utrinque una bases staminum majorum cingente: Dentaria glandulis dua-

bus utrinque una inter calycem et stamen minus: Rorippa (genus novum Gesnerianum) glandulis quatuor ut in Erysimo, sed cohaerentibus: Sinapis glandulis quatuor una utrinque inter stylum et stamen quodque minus: Cardamine glandulis sex, utrinque duobus inter stamen quodque minus: Barbarea glandulis ut in Rorippa iisque cohaerentibus, — et simili modo nimis subtili ac incongruo reliqua genera distincta enumerantur.

Medicus in Tentamine Siliquosas secundum fructus rationem ad genera certiora revocandi (*Pflanzengattungen nach dem Innbegriffe sämmtl. Fructificationstheile gebildet.* Fasc. I.) nonnulla quidem caute discernit genera, alia tamen et ficta et barbara nec rite distinguenda addit, ut ex Bohatschiae (Peltaria *L.*), Fosselinae (Clypeola *L.*) filamentis dentatis solum a priore distinctae, Jondrabae (Biscutella auriculata *L.*), Vogeliae (Myagrum *L.*), Cararae (Cochlearia Coronopus *L.*), Schrankiae (Myagrum rugosum *L.*), Hierochontidis (Anastatica syriaca), Alyssoidis (Alyss. clypeatum), Succoviae (Bunias balearica *L.*), Kernerae (Myagrum saxatile *Jacq.*), Adyseti, Nasturtioidis (Lepidium ruderale), Nasturtioli (L. didymum), Capsellae (Th. Bursa, Lep. spinosum) aliorumque patet exemplis.

Altioris indaginis sunt *Crantzii* (*Classis Cruciferarum emendata* Vienn. 1769.); *Moenchii* (*meth. plantar.*) et *Desvauxii* observationes, quas quidem suis locis inseruimus.

Novissimum denique Siliquosas ad genera distincta revocandi examen, a *Roberto Brownio* summo ingenii acumine enucleatum et in *Aitonii hort. Kew.* editione II. divulgatum, ad differentias ex fructu seminumque proprietatibus et numero essentiales praeprimis spectat: reliquas autem ex calycis, filamentorum et cotyledonum (accumbentium et incumbentium) diversitate pro subalternis declarat, in nonnullis, nequaquam tamen in omnibus plane non spernendas: quaedam vero

genera nimis ſubtiliter (Aethionema, Hutchinſiam, Teesdaliam, Notoceras) et vage (Macropodium) dignoſcere audet, reliquorum characteres eſſentiales tam ſtudioſe acuteque explicat atque exponit ut ſyſtema pro perfecto ſuisque numeris abſoluto haberi poſſit.

Haec fere ſunt auctorum de Siliquoſarum generibus ſtatuendis ſtudia eaque eo diligentiori ſubjicere credidi examini, quo majore ab auctoribus exſequuntur ambiguitate et quo majoribus ob ſimilitudinem mutuamque familiaritatem implicantur difficultatibus. Quamvis etiam dubiis et a ſyſtematum ſtatoribus et ab ipſa Natura factis deterrear, experiri tamen licet, num in generibus hucdum ſtatutis confirmandis et certius diſtinguendis lucis quid adferre poſſim, et proxime Siliquoſas agro halenſi indigenas, habita ſimul generum et ſpecierum exoticarum, quotquot mihi innoteſcunt ratione, reiterare et ſcrutinio ſeriori ſubjicere inſtitui.

Herbae quae *Moriſono* et *Rajo* Tetrapetalae, *Linnaeo* Tetradynamae, *Scopolio* Naſturtia, *Gaertnero* Siliquoſae, *Crantzio* denique antiſcorbuticae vocantur et in ſyſtemate artificiali claſſem XV. ſ. Tetradynamiam vel maxime naturalem conficiunt, in naturali Cruciferarum nomine Tournefortiano uſitato magis quam idoneo circumferuntur, — calyce 4-phyllo, plerumque deciduo; petalis 4 in crucem ſecundum fructus proprietatem plus minusve regularem ſaepe diſpoſitis, diſco hypogyno inſertis; ſtaminibus ſex tetradynamis, duobus ſcilicet minoribus, quatuor majoribus; ovario unico diſco ſtaminifero impoſito; ſtylo unico eoque in quibusdam obſoleto, ſtigmate integro bifidoque; fructibus varie exſtructis, jam naucum evalvem mono- ſ. polyſpermum, jam ſiliculam, jamque ſiliquam ſepto interſtinctam inque valvas dehiſcentem exprimentibus; periſpermio nullo; cotyledonibus accumbentibus incumbentibusve, planis, plicatis aut cochleatim tortis inſignes excellunt et a reliquis omnibus diſcernuntur, corolla-

rum, ſtaminum, germinis glandularum aſſidentium totiusque habitus ratione tantam oſtendunt affinitatem et conſortionem, fructuum forma autem et fabrica interna ſeminumque modum et numerum, quo in loculos concamerantur et funiculis adfiguntur, tam miram offerunt differentiam, ordinem ſimul ac conſtantiam et ſecundum earum partium normam congregantur, ut in notis generum inquirendis, quae in fructu ſolum ſtabiles inconcuſſaeque exſtant, nemo dubius haerere poſſit. Verum profecto eſt et per omnem rem herbariam valet, hujus vero familiae plantis potiſſimum comprobatur Erelianum illud, ἔσχατον ἐν ἅπασι τὸ σπέρμα, ſ. ſummus ad genera plantarum redigenda in fructu exſtat finis: verum, quod *Linnaeus* profeſſus eſt, quamvis etiam ſaepius ab illo receſſerit, omnia vegetabilia in fructificationis partibus diverſa non eſſe combinanda (*phil. bot* §. 166.). Nullam partem in hac familia ſummopere naturali, tanti fecit Natura, quam fructum: in reliquis omnibus mire ludit tantisque obnoxia ſit viciſſitudinibus, ut norma ex fructu relicta, alia genera naturalia dispeſcantur, alia vero ſpeciebus heteroclitis augeantur.

Ex iis quae ſupra ſuccincte tradidimus patet, varios auctores in Siliquoſarum generibus ſtatuendis varias adhibuiſſe notas et alios corollae, alios calyci, alios ſtaminibus alios itidem glandulis, alios denique fructibus et, quae in illis continentur, ſeminibus ſecundum numerum et fabricam internam variis, ſummam adſcripſiſſe dignitatem. Hinc plurima ſyſtemata ex generibus promiſcue allatis et nominatim Linnaeanum, mixta videntur, nec diſtinctam, pro norma habent, partem ſed plures urgent et generibus arbitrariis ſ. promiſcue ad habitum ſ. creſcendi modum factis obruuntur, de quibus *Juſſieuus* aliique conqueruntur.

Habitus externus, cui veteres rei herbariae ſtatores in generibus ſtatuendis addicti fuerunt quique per omnem rem herbariam, methodum ambiguam innumerisque viciſſitudinibus obnoxiam ſup-

peditat, eo minus valet, quo arctiori affinitatis vinculo singula genera et species inter se connectuntur et citius jam, aliis genera statuendi modis illucentibus, missus est.. Tacite consulendus est habitus illique solum nusquam confidendum.

Corollae formam ad genera stabilienda haud valere, ex quamplurimis Siliquosarum generibus, maxime tamen ex iis, quae Nauciferas constituunt, patet. Omnibus propemodum secundum variam nauci proprietatem distinctis generibus, quoad corollae indolem ac figuram unus idemque inest habitus et ex illa vix, nisi invita Natura, ad genera idonea et stabilia possunt revocari. Admiranda sane ludit Natura forma in Nauciferis et praesertim in speciebus peregrinis innumeras proferre studet varietates, quae ex corollarum forma omnes ad unum genus amplissimum congregantur. Similiter etiam de calycis ad genera stabilienda praestantia judicandum est, ex quo vix nisi subalternae derivari possunt differentiae.

Quod ad glandularum hypogynarum dignitatem a *Linnaeo* et *Scopolio* summi momenti putatam attinet, nullam sane scio et ex his aeque ex calyce, modo notas ordinis inferioris derivandas esse persuasus sum. Hinc potissimum plurima genera a *Linnaeo* in calycis i glandularum fidem distincta aut aliis subscribuntur aut in alia nova et ad fructuum fabricam distincta melius revocantur.

Et Cruciferarum et Tetrapetalorum nomina ad floris rationem: illud vero ad formam, hoc ad numerum spectat et utrumque ex Corollistarum systemate proficiscitur. Cruciferarum nomen Tournefortianum systemata hodierna etiam sanctum retinent, quamvis minus aptum esse videatur. Plurimae enim Siliculosae, nisi omnes a crucis forma, quam Siliquosae bene exprimunt, discrepant et petalis ob germen compressum oblique positis, sibimet plane contrariis crucem male exprimunt aut saltem, aeque ac quae petalis erectis gaudent, il-

jam modo mentiuntur. Hac prorsus etiam indole corolla fidem deferit et neque ad familiam denominandam neque ad genera stabilienda, satis commoda esse videtur. Quae quum ita quumque systema nostrum ex fructuum figura et fabrica constructum sit, ne Corollistarum vocem nostris immisceamus, plantas in systemate naturali Siliquosarum nomine digniori salutari, opinamur.

His praemissis et habitus externi, corollae, calycis, staminum glandularumque assidentium valore in Siliquosarum generibus statuendis exploso, nihil superest quam fructus figuram et fabricam internam, a *Smithio* et *R. Brownio* jam summi habitam et a *Willdenowio* passim at promiscue in usum vocatam, curiosius explorare et ex hoc examine non solum ad generum denominationes sed quoque ad totius familiae divisionem, ad hunc diem nominibus usu magis sanctis quam veritate comprobatis inscriptam, eximiae redundant observationes.

Omnium Siliquosarum fructus differunt inter se figura, compositione, dehiscendi modo et loculamentis, jam in dissepimento jamque in ipso nauco conspicuis. Hinc triplicia redundant genera:

1) *Naucus* (quod in veterum monumentis putaminis quid designat meque interprete hoc loco in re herbaria civitatem accipit), pericarpium est nucamentaceum, Siliquosis proprium, evalve, varium, in his breve s. siliculaeforme, in illis longum s. *siliquaeforme*, in aliis integerrimum s. solidum, iterum in aliis diffractum s. in articulos transversos sponte non dehiscentes secedens, valvis dissepimentoque destitutum et semina loculamentis propriis inclusa gerens itaque retinens.

2) *Siliqua* proprie sic dicta: pericarpium membranaceum, longius quam latum, semina dissepimenti styliferi suturae utrique affixa gerens inque valvas dehiscens.

3) *Silicula*: pericarpium brevius ac minus, siliquae more, dissepimento exstructum et bivalve.

Hanc diſtinctionem Natura ipſa dictitat eaque jubente ultro quaſi omnes Siliquoſae, ad ordines tres commode revocantur. Dehiſcendi modus et loculamentorum diviſio majorem ſuadent attentionem quam figura, per cunctam familiam ſatis varia. Hinc trita illa magis quam commoda Siliquoſarum diviſio a *Moriſono*, *Rivino*, *Ruppio* aliisque jam laudata et a *Linnaeo* omnibusque etiam nuperrimis reſtauratoribus recepta, quae ſolum ad Siliquoſas et Siliculoſas reſpicit, jure deſerenda et ex utraque ſiliquarum forma, dehiſcendi modi ratione non habita, nimis vage exſtructa, tertia ſtatuenda, in qua Siliquoſae nauciferae fructibus evalvibus, nucamentaceis alienae comprehenduntur et a reliquis forma generali quidem nec vero compoſitione et dehiſcendi modo congruis dispeſcuntur. Quorſum enim Nauciferae cum Siliquoſis: quorſum naucus evalvis nec mediotenus pariete longitudinali disſeptus cum ſiliqua jungi poteſt quam praecepta Linnaeana bivalvem et ex diſſepimenti ſuturis ſeminiferam declarant!

Reſtat nunc ut fructuum Siliquoſis propriorum fabricam internam eorumque partes attentius perpendamus et illis generum examen ſuperſtruamus. Utraque materia ſemet invicem explicat et cum partium ſingularum informatione, generum notiones ſimul commode illuſtrantur.

Nauci in Siliquoſarum familia in eo conſentiunt ut evalves nec Siliquoſarum proprie ſic dictarum more disſepti, ſemina loculamentis propriis, cuticula tenui veſtitis incluſa comprehendant nec ex valvis a ſepti ſuturis per maturitatem circumſciſſis projiciant; differunt autem inter ſe figura, compoſitione et integritate. Hinc alii nauci ſimplices ſunt: alii concatenati i. e. ex articulis primum jugiter nexis, demum cum maturitate in articulos contabeſcentibus ibique diffrangentibus compoſiti: alii conjugati in perſpicillorum formam, parietem ſ. axin ſtyliferum (quem pro disſepimenti Siliquoſis reliquis proprii habeo rudimento obſoleto) oppoſiti

circumstant. Simplices ex Siliculosarum ordine sunt et siliculaeformes: compositi s. in siliquae proprie si dictae formam protensi siliquaeformes vocantur, iique forma generali quidem consentiunt, valvarum et dissepimenti defectu tamen discrepant. Quot nauci ex figura et compositione sunt, tot genera statuuntur. Pro notis secundariis valent: seminis positio et nauci concameratio interna, in variis generibus satis varia ac singularis.

Siliculae sensu latiore, in eo consentiunt ut longitudinem cum latitudine subaequalem obtineant et siliquarum more dissepimento ex suturis seminifero exstructas, bivalves dehiscant. Earum figura et compositio minus variat nec in generibus stabiliendis speciosas suppeditat notas. Duplices in his aeque ac in siliquis in censum veniunt partes; valvae et dissepimentum et ex harum partium proprietatibus et quo illae huic affixae sunt modo generum discrimina stabilia addiscuntur. Praeter siliculaurum s. valvarum formam, quae ex ovato subrotundae jam planae, jam convexae, jam carinatae eaeque iterum nunc nudae nuncve ex auriculis membranaceis foliaceae sunt et ad dissepimenti directionem in his illi contrariae, in aliis illud parallele circumstant, seminum numerus in singulis valvis et quo funiculis adfiguntur modus notas generum subministrant haud spernendas. Petalorum insertio et magnitudo aeque ac filamentorum nunc integrorum nuncque dente squamulave munitorum ratio, quae ab aliis auctoribus celebratur, me quidem judice, ad genera distinguenda haud sufficit et a norma legitima generum reliquorum plane distat Hinc Iberides Linnaeanae petalis exterioribus maximis distinctae, Teesdalia *R. Br.* et alia omittuntur

Siliquae a siliculis figura elongata earumque longitudine latitudinem multo superante differunt, valvarum indole tamen et septo illis interjecto congruunt In his valvarum figura et indoles aeque ac styli proportio, nec vero seminum numerus et qua disponuntur series (v. c. in Arab. perfoliata

Lam. ex qua seminibus distichis jubentibus *R. Brownius* Turritin g. proprium restituit, Nasturtium palustre seminibus coacervatis a congeneribus diversum et q. l. a.) generum notas essentiales dictitant. Attendendum igitur, an valvae planae, convexae, carinatae, siliquam compressam, teretem, quadrigonam quadrangulamve perficiant: an enerviae, uninerviae, trinerviae sint: an aequales ubique seu apicem versus attenuentur: an recte seu spiraliter dehiscant anque dissepimentum planum sive in fossulas quasi concameratum, suturis aequalibus seu incrassatis cinctum et superne stylo subsessili sive tanquam in appendiculo tereti vel ensiformi elevato coronatum recludant.

Hac propemodum mente et ex ejusmodi partibus Siliquosarum genera, habita simul specierum peregrinarum ratione, exstruximus et quae jam acutius distincta aut retinuimus aut probe expolivimus, omnes ambiguitates antea ex corollae, staminum, styli proportione immixtas, quibus olim systema quasi fastidibat, circumscindimus et ne mixtum evadat, fructum pro norma primaria: reliquas differentias ex calyce, staminibus, stylo aeque ac ex cotyledonum oeconomia, a *R. Brownio* nimis laudata, utpote microscopicas aut omnino deseruimus aut pro subalternis indicavimus.

Ut generum singulorum essentia clarius pateat eorumque notiones facilius explorentur atque addiscantur, sequentem adjunximus σχέσιν analyticam.

I. Nauciferae.

†) *Naucis simplicibus.*

N. subglobosus, monospermus .. *Rapistrum.*

††) *Naucis concatenatis.*

N. biarticulatus: super. semen erectum, infer. pendulum . . . *Cakile.*

N. demum in articulos plurimos diffrangens . . . . *Raphanistrum.*

†††) *Naucis conjugatis.*

N. didymus, nucamentaceus, septo aequali interstinctus . . . . *Coronopus.*
N. didymus, membranaceus; loculi axi stylifero adnexi . . . . *Biscutella.*

II. Siliculosae.

†) *Valvis oligospermis.*

V. basi gibbae dissepimento stylifero circumstantes . . . . . *Cardiolepis.*
V. naviculares monospermae . . *Iberis*
V. naviculares dispermae . . . *Lepidium.*
V. umbonatae oligo- s. dispermae *Alyssum.*

††) *Valvis polyspermis.*

V. planiusculae: semina marginata incumbentia . . . . *Farsetia.*
V. ventricosae . . . . *Cochlearia.*
V. obovatae, nucamentaceae; rostratae . . . . *Camelina.*
V. naviculares, septo contrariae . *Thlaspi.*
V. planiusculae cum septo parallelae . . . . *Draba.*

III. Siliquosae.

†) *Valvis dissepimentum aequantes s. subaequantes.*

V. enerviae in siliquam deplanatae *Cardamine.*
V. uninerviae in siliquam carinatam depressae . . . . *Arabis.*
V. carinatae siliquam tetragonam efficientes . . . . *Erysimum.*
V. enerviae in siliquam convexam curtam turgescentes . . . . *Nasturtium.*
V. uninerviae siliquam convexiusculam gracilem perficientes . *Sisymbrium.*
V. convexae triplinerviae in siliquam sessilem pyramidalem abeuntes *Chamaeplium.*
V. convexae subtrinerviae; dissepimentum fossulatum . . . . *Hesperis.*

V. conv. venoso-nervos. siliquam 4-gonam ancipitem efficientes . . . *Barbarea.*

††) *Valvis rostratis.*

V. venosae: dissepimentum rostratum . . . . *Sinapis.*

TETRADYNAMIA.

A. NAUCIFERAE.

α. *Naucis simplicibus.*

XXXI. RAPISTRUM *Raj.*

(*Gaertn.* t. 141. *Schk.* t. 178.)

Naucus nucamentaceus, subglobosus, intus membrana hyalina interstinctus, monospermus. Stylus liber, germini superimpositus, caducus.

270. Rapistrum paniculatum *Gaertn.* naucis papulosis demum reticulato-rugosis, foliis lanceolatis sagittato-amplexicaulibus, pube tripartita. — *Flor. dan.* t. 204.

Rapistrum paniculatum *Gaertn. Pers. R. Brown. hort. Kew.* ed. II. Tom IV. p. 75.
Alyssum paniculatum *Willd. enumerat.*
Vogelia sagittata *Medicus Pflanzeng.* p. 32.
Bunias paniculata *L'Hérit Decand. fl. gall.* V. 721.
Rapistrum arvense, folio auriculato acuto *Tournef. Buxb. hal.* 281.
Nasturtium paniculatum *Crantz. austr.* p. 15.
Myagrum paniculatum *Linn.* et *auct pl.*
Alyssum segetum elatius, foliis auriculatis, flore et semine minore *Rupp. jen.* p. 85.
Pseudo-Myagrum tertium in arvis *Camer. epit.* 902. f. 2. *C. Bauh. pin.* 109.

Inter segetes passim. Jun. Aug.

Genus primum distinguitur a *Rajo* (*method.* p. 103.). Omnes auctores siliculas biloculares Rapistro computant: equidem rudimentum dissepimenti membranacei longitudinaliter expansi modo observo, ut semen in illo melius contineatur. Dissepimentum dici nequit: margine membranaceo nauci latera distinguente destituitur. Naucus immaturus et dum vivus tenuiter papulosus, maturus vero vel exsiccatus aliorum fructuum more corrugatur. — Quod Fumaria inter Leguminosas: id Rapistrum inter Cruciferas.

β. *Naucis concatenatis.*

XXXII. CAKILE *Gaertn.*

(*Gaertn.* t. 141. f. 12.)

Naucus siliquaeformis biarticulatus: articuli monospermi connexi: superioris semen erectum sessile: inferioris deliquescentis pendulum.

271. Cakile perennis *L'Hérit.* nauci glaberrimi articulo superiore inverse-pyriformi costato stigmate coronato, inferiore ovali reticulato-nervoso, foliis inferioribus runcinatis sinuatis denticulatis cauleque ramoso hirtis, summis lanceolatis glabris.

Cakile perennis *L'Hérit. DC. R. Brown.* l. l. p. 71.
Rapistrum perenne *Allion.*
Myagrum perenne *Linn* et *auct.*
M. biarticulatum *Crantz. austr.* p. 6.
Raphanistrum dispermum s. Raphanistroides *Knauth. Rupp. jen.* 72. *Buxb. hal.* p. 281.

Inter ſegetes ad Bennſtaedt, ad agrorum verſuras ad Koelme, Wansleben et per totam inde Thuringiam. Aeſtat.

XXXIII. *RAPHANISTRUM Tournef. Raj.

(*Tournef.* t. 115. *Gaertn.* t. 143. f. 6. *Schk.* t. 188.).

Naucus ſiliquaeformis nucamentaceus toruloſus multilocularis, roſtratus in articulos oſſeos concatenatos, monoſpermos moniliformes utrinque truncatos transverſim ſecedentes demum diffractus.

272. Raphanistrum arvense *Wallr*

R. Lampſana *Gaertn.* l. l. p. 500.
R. innocuum *Medic.* *Pflanzg.* p. 39.
Raphanus Raphaniſtrum *Linn.* et *auct.*
Lampſana *Matthiol.* *Kr.* 141. *Camer. epit.* p. 233.

Naucus ſiliquaeformis, angulato-teretiuſculus, longus, primum obſolete-articulatus, iſthmis anguſtatis interceptis toruloſus, demum (maturus ſ. exſiccatus) in articulos truncatos, uniloculares ſecedens. Loculamenta evalvia, ſegregata, utrinque aperta et obice transverſo, quo primum connectuntur inter ſe inſignia. — *Raphanus*, a quo *Rajo* (*method.* 100.), *Moriſono*, *Tourneſortio* et *Gaertnero* praeeuntibus, genus diſtinguo, naucum ſiliquaeformem, fungoſum, continuum, et ſemina per ſeries membranae tenui delicatae inſoveolata habet, nec in loculamenta dehiſcit. — Quod Coronilla inter Leguminoſas: id Raphaniſtrum inter Cruciferas.

γ. *Naucis conjugatis syſtylis.*

XXXIV. CORONOPUS *Hall.*

(*Gaertn.* t. 142. f. 5. *Schk.* t. 181.)

Naucus ſiliculaeformis ſyſtylus didymus nucamentaceus bilocularis: loculi evalves apteri, diſſepimentum ſpurium aequantes, monoſpermi. Cotyledones incumbentes, lineares.

273. CORONOPUS RUELLII *Bauhin.* naucis didymis compreſſis criſtato-muricatis cum diſſepimento ſtyloideo breviſſimo conferruminatis.

Coronopus Ruellii *J. Bauh. hiſt.* II. 919. *Rupp. jen.* 86. *Gaertn.* l. l. p. 293. *R. Brown.* l. l. p. 76.
Cor. vulgaris *Desf. DC fl. gall.* l. l. 704.
Carara Coronopus *Medic.* l. l. p. 34.
Cochlearia repens *Lam. fl. gall.* II. 473.
Coronopus depreſſus *Moench. meth.* 221.
Cochlearia Coronopus *Linn.* et *auct.*
Coronopus repens Ruellii *Camer. hort. med.* p. 448.
Naſturtium ſupinum capſulis verrucoſis *Raj. meth.* 102.

In compitis ſuburbiorum cum Pot. Anſerina, in paſcuis ſalinis hinc inde ubertim, ob caules depreſſos, humifuſos autem oculis detractus.

Senebiera genus a *Candollio* ſtatutum (*Sociét. hiſt. natur.* VII. 144. t. 19. *Fl. gall.* IV. 703.) et a *Willdenowio* (*enumerat.* p. 669.) adſumtum a Coronopode nullo pacto diſpeſcendum.

XXXV. BISCUTELLA *L.*

(*Gaertn.* t. 141. 1. *Schk.* t. 182.)

Naucus ſiliculaeformis, didymus: loculi orbiculati compreſſo-foliacei monoſpermi axi ſtylifero adnexi

demum basi cum processu filiformi dehiscentes. Funiculi horisontales. Radicula descendens. Cotyledones accumbentes inversae.

Lunaria s. Thlaspi biscutatum *Raj. meth.* 102. *C. Bauh. pin.* Thlaspidium *Tournef.* Naucus in perspicillorum formam expansus transitum illustrat a Nauciferis ad Siliculosas. Axis teres stigma elevans rudimentum obsoletum dissepimenti in Siliculosis et Siliquosis perfectioris.

274. Biscutella laevigata *L.* Quam *Leysserus* (*hal.* 160.) et cl. *Sprengelius* (*hal.* 180.) in rupibus ad Kröllwitz et aliis locis indicant, ignoro. Equidem nisi eandem, tamen similem in rupibus arenosis der Steinklippe, foliis inferioribus oblongo lanceolatis dentatis acutis utrinque cauleque inferiore hirsutis, caulinis linearibus angustissimis basi attenuata sessilibus ciliatis insignem legi et praeter hanc aliam, a *Thalio* primum descriptam, mihi vero dubiam, indico cum planta Linnaeana et Candolliana conferendam.

275. Biscutella ambigua *DC.* foliis radicalibus oblongis obtusis in petiolum decurrentibus sinuato-dentatis utrinque cauleque inferiore villosis, caulinis basi cordata amplexicaulibus, naucis immarginatis, cum pedicellis cauleque superiore ramoso glaberrimis.

α. latifolia *W.*, foliis radicalibus caespitosis oblongo-lanceolatis in petiolos longos attenuatos decurrentibus sinuato-dentatis margine revolutis villosis caulinisque basi cordata hiante amplexicaulibus maximis.

? Biscutella antiqua *Decand. gall.* V. 593.
B. laevigata var. 3. *Hoffm. germ.* 44.
Leucojum montanum *Thal. herc.* 69. excl. syn.

β. TENUIFOLIA *W.*, foliis radicalibus lanceolatis oblongisve basi attenuata subsessilibus dentatis utrinque hirsutis caulinisque vaginanti-amplexicaulibus subconformibus.

In collibus editioribus gypsaceis des Konsteins citra Nordhusam extra fines, quo loco a *Thalio* jam indicatur. Jun.

Radix simplex, sublignosa, tortuosa, perennis. Caulis teres, erectus, foliosus, superne glaber inque ramulos floriferos divisus, inferne foliorum more pilis simplicibus rigidulis villosis iisque saepe incanescens, pedales et ultra, in β. spithamei. Folia radicalia caespitosa, in var. α. ovato-oblonga, obtusa, sinuato-obtuseque dentata, crassiuscula eaque margine revoluta, in petiolos longos attenuatos decurrentia, utrinque pilis simplicibus densis rigidulis villosa, juniora et petioli saepe incanescentia, 10 — 15 centim. longa, $2\frac{1}{2}$ lata, in var. β. lanceolata, in basin leviter attenuata, 3 — 4 centim. longa, $\frac{1}{2}$ lata, integra s. dentata; caulina varia, jam exacte ovata, jam magis oblonga et elongata, jam integerrima, jam parce dentata, glabriuscula, omnia vero basi cordata, amplexicauli vaginantia, auriculis quoad foliorum latitudinem jam dilatatis et porrectis (ut in Cynoglossi officinalis foliis superioribus) jam brevioribus et in var. β. caulem ambeuntibus; floralia sensim minora et angustiora. Pedicelli styli totius longitudinem aequantes vel paullulum superantes, glabri plerumque, raro pilis aliquot aucti. Flores flavi, congenerum. Nauci subrotundi, ob basin declivem a rotunditate circinata quadantenus alieni, glaberrimi, immarginati, saepius purpurascentes.

Utraque varietas in extremum posita valde inter se discrepat, aliis tamen formis intermediis amice connectitur, nec dubito, B. ambiguam nostram aliis locis simili modo, in B. laevigatam, quatenus a *Linnaeo, Candollio* aliisque descri-

bitur aut qualis a me in arenosis der Steinklippe lecta est deflectere et quamvis haec foliis caulinis angustissimis, basi aequali sessilibus perquam aliena videatur, in illam forsan transire. Stirps Linnaeana a nostra Thaliana differre videtur: radice annua, foliis radicalibus lanceolatis, acuminatis, serraturis parcis, acutis, erectis inscriptis, nudis, subscabris, caulibus fere totis aphyllis, quam ob caussam auctor *Columnae* plantam (*ecphr.* t. 285. f. 2. *Moris. hist.* s. III. t. 9. f. 12.) diversam declarat. — Thlaspi bicutatum I. *C. Bauh. pin.* 107., titulum vagum offert, sub quo praeter nostram Thalianam, complures aliae diversae et Europae australi indigenae, a *Lobelio, Clusio, Tabernaemontano, Columna* aliisque figuris illustratae, latent.

B. SILICULOSAE.

α. *Valvis oligospermis.*

XXXVI. CARDIOLEPIS *Wallr.*

Silicula obcordata. Valvae basi gibbae, apice attenuatae, monospermae. Funiculi perpendiculares stylo appensi.

276. CARDIOLEPIS DENTATA *Wallr.* foliis oblongis sagittato-amplexicaulibus irregulariter dentatis utrinque incano-pubescentibus.

Lepidium Draba *Roth. germ.* I. 278. II. 88. *R. Brown* l. l. p. 85.
Cochlearia Draba *Linn.* et *auct. Leyss. hal.* 159 *Spr. hal. mant.* I. 10.
Nasturtium Draba *Crantz. crucif.* 81.
Draba umbellata capitulis donata *Bauh. pin.* 109. *Moris. hist.* II. 313. s. III. 21. f. 1. opt.

Draba f. Arabis. *Chabr. ftirp.* 295. f. 6. opt. Dr. I. vulgaris *Cluf. hift.* II. 123.

In verfuris pone Pfitzenburg. *Spr.* — Citatur jam a *Knauthio*, *Buxbaumio* et *Leyffero*.

Clufii icon ob foliorum integritatem a planta noftra quadantenus aliena: hinc a *C. Bauhino* jam pro ejus varietate declaratur: a cl. *Sprengelio* autem in opere laud. omnino denegatur. Defcriptio tamen ad amuffim congruit.

Genus Iberidi N. congener, valvis concavis, bafi gibbis, nec carinatis diverfum. Hujus loci quoque funt: Cardiolepis fuffruticofa (Lepidium *L.*), chalepenfis (Lepidium chalep. *Link.* Draba chalepenfis repens humilior, foliis minus cinereis et quafi viridibus *Morif. hift.* II. 314. f. III. 25. 10.) cujus differentiae a *Morifono* optime exponuntur. Differt Cardiolepis ab Iberide ut Chamaeplium a Sifymbrio.

XXXVII. IBERIS *L. ex emend. n.*

(*Gaertn.* t. 141. *Schk.* t. 179. 180.)

Silicula ovalis. Valvae naviculares, disfepimento contrariae, monofpermae. Funiculi terminales, perpendiculares infra ftylum disfepimento appenfi.

†) *petalis inaequalibus, valvisque foliaceis excifis.*

277. Iberis amara *L.* — *Spr. hal.* 186.

††) *petalis aequalibus nullisve, valvis emarginatis.*

278. Iberis campestris *Wallr.* filiculis ovalibus difco umbonato papulofis, apice alate emarginatis, foliis fagittatis oblongis dentatis incano-pubefcentibus.

Thlafpi campeftre *Linn.* et *auct.*

Inter ſegetes ad Lieskau, Koelme, Bennſtaedt et alibi freq.

Pili papulis interſperſi, quos *Schrankius* et *Smithius* in ſiliculárum umbone viderunt, alii vero (*Schkuhrius*) denegarunt, in noſtris jam adſunt jam carent.

379. IBERIS RUDERALIS *Crantz*. floribus diandris ſubapetalis, foliis radicalibus pinnatifidis, rameis linearibus integerrimis, ſiliculis ovatis obtuſe-emarginatis.

Thlaſpi ruderale *DC. fl. gall.* IV. 707. *Allion. ped.* n. 917.
Thl. tenuifolium *Lam. fl. gall.* II. 467.
Lepidium ruderale *Linn.* — *Camer. epit.* p. 184 et 377.
Iberis ruderalis *Crantz. auſtr.* 21.
Naſturtium ruderale *Scop. carn.* II. n. 801.
Naſturtioides inconſpicuum *Medic. Pflanzengatt.* 81.
Iberis Matthioli *Rupp. jen.* 86.
Naſturtium ſylveſtre *Thal. herc.* 80.

Iberis genus petalis inaequalibus ſolum a Lepidio diſtinctum ex Corolliſtarum ſyſtematibus in noſtra tranſiit: at ſiliculae forma et ſtructura interna normam dictitant nec in hoc et Lepidiis *Linn.* differentias video, quarum ope utrumque commode diſtingui poſſit. Quaedam Lepidia Iberidem: Hutchinſia autem et Teesdalia *R. Br.* Lepidium ineunt eoque modo utrumque genus vetuſtiſſimum pro ſyſtemate ſervatur.

XXXVIII. LEPIDIUM *L. ex emend. n.*

(*Schk.* t. 179.)

Silicula elliptica. Valvae naviculares, diſſepimento contrariae, diſpermae. Funiculi laterales, in-

curvi, infra ſtylum diſſepimenti lateri utrique appenſi.

†) *ſtaminibus ſimplicibus.*

280. Lepidium petraeum *L.* foliis pinnatis, pinnis ovatis utrinque attenuatis, petalis emarginatis calycem ſubaequantibus, ſiliculis ovatis obtuſis ſtylo breviſſimo coronatis. — *Jacq. auſtr.* t. 131. *Engl. bot.* t. 111.

Hutchinſia petraea *R. Brown.* l. l. p. 82.

In aggeribus lapidoſis viae cavae citra Biebram, qua itur ad Numburgum. — Extra fines ad Steigerthal, citra Auleben am Mittelberge et aliis montibus calcareis Thuring. April.

Caules teretes, ſimplices ramoſique, tenuiter pubeſcentes, 1 — 3-unciales. Folia infima integerrima, reliqua impari-pinnata, pinnis ovatis ſ. ellipticis; utrinque attenuatis, integerrimis. Flores parvi, albi; petala cuneata, emarginata, calycem ſubaequantia, ſtaminibus breviora. Calycis foliola elliptica, obtuſa. Silicula ovata, compreſſa, obſolete emarginata cum ſtigmate ſeſſili interjecto.

Variat in ſolo umbroſo, pinguiore caulibus ramoſiſſimis: in aprico et macro, ſimpliciſſimis, vix uncialibus.

Naſturtium pumilum vernum *Bauh.* quod *Moriſonus* (*hiſt.* III. 301.) deſcribit et (ſ. III. 19. 16.) icone reddit, ob petala calycem ſuperantia, ſpecioſa, a noſtro alienum.

Huc pertinent: Lepidium alpinum *L.* (Hutchinſia *R. Br.*), Thlaſpi ceratocarpon *L.* a *Pallaſio* jam Lepidium vocatum et quaedam alia.

††) *staminibus basi squamula auctis.*

281. LEPIDIUM SCAPIFERUM *Wallr.* foliis lyrato-pinnatifidis integrisve, caule centrali simplici subaphyllo, lateralibus foliosis, *staminibus* basi squamula auctis. — *Schk.* t. 180. Teesdalia nudicaulis *R. Brown.* l. l. 83.

Guepinia nudicaulis *Bast. suppl.* 35.
G. Iberis *DC. gall.* IV. 596.
Iberis nudicaulis *Linn.* et *auct.*

In areis apricis circa Halam, v. c. hortorum der schw. Schürze.

Genera nova, dubia et vix nisi staminum squamula auctorum ratione a Lepidiis nostris diversa. Nomina diversa eodem anno (1812), alterum e Gallia, alterum ex Anglia exiisse, *Candollius* (*gall.* V. 646.) narrat.

XXXIX. ALYSSUM *L. ex emend. n.*

(*Gaertn.* t. 141. *Schk.* t. 181.)

Silicula subrotunda. Valvae umbonatae, dissepimento parallelae, dispermae, membranaceae, margine depressae. Semina marginata sibimet approximata. Funiculi subperpendiculares laterales.

282. ALYSSUM CALYCINUM *L.* caulibus herbaceis diffusis, foliis lineari-lanceolatis pube stellata tectis, calycibus carinatis persistentibus, siliculis orbiculatis subemarginatis pilis stellatis exilissimis parce pubescentibus diaphano-marginatis, stylo conico brevissimo.

Alyss. campestre *Spreng. hal.* 184. et al. *auct.*

Varietates occurrunt:

α. INCANESCENS *W.*, foliis utrinque calycibusque pube confertissima incanescentibus sine ullo virore. — Variat itidem caulibus gracilibus, simplicissimis, erectis sive a basi inde ramosissimis, ramulis subinde elongatis, fructiferis dodrantalibus.

β. VIRESCENS *W.*, robustius, foliis utrinque calycibusque pube rariore adspersis cum virore quodam pallentibus, caule ramosissimo, ramis axillaribus tortuosis divaricatis. — Ad hanc praeter ramorum dispositionem Al. campestre *Schk.* t. 181. spectat.

283. **ALYSSUM MONTANUM** *L.* caulibus subherbaceis diffusis adscendentibus, foliis obovato-oblongis obtusis, calycibus deciduis, siliculis orbiculatis pilis exiguis stellatis tectis immarginatis, stylo silicula duplo breviore.

In montibus calcareis praesertim laetatur. — Variat silicularum magnitudine et figura, quae nonnisi basi leviter producuntur. Specimina majora, in umbrosis vigentia Alyssum Wulffenianum *Bernh.* simillima, quod quidem ex specimine a cl. *Hoppio* dato vix nisi siliculis pube intertexta sine ullo virore incanis differre videtur.

Alyssum campestre *Linn.* verum nec *Spreng.* aliorumque auctorum mihi latet et forsan in agro halensi exsulat.

β. *valvis polyspermis.*

XL. FARSETIA *R. Brown.*

Silicula ovali-oblonga. Valvae planiusculae margine aequales, polyspermae. Semina marginata, coacervata. Funiculi dissepimenti lateribus undique appensi.

284. Farsetia incana *Br.* caule herbaceo erecto, foliis lanceolatis incanis integerrimis, floribus corymbosis, petalis bifidis, filamentis brevioribus basi appendiculatis, siliculis ovatis convexis pedunculatis stylo duplo longioribus.

Farsetia incana *R. Brown.* l. l. 95.
Draba cheiriformis *Lam. gall.* II. 462.
Moenchia incana *Roth. germ.* I. 273. II. 73.
Alyssum incanum *Linn.* et *auct.*

Brownius F. incanae semina immarginata adscribit, nos marginata vidimus. *Flor. dan.* icon t. 1461. siliculrum ratione cum nostris plane non congruit. — Hujus generis sunt: Cheiranthus Farsetia *W.*, Alyssum lunarioides *W.*, Al. clypeatum *L.* (*Moris.* III. 9. 4.) et me judice, Al. linifolium *Steph.*

XLI. COCHLEARIA *L. emend.*

(*Schk.* t. 181.)

Silicula subovata. Valvae ventricosae, dissepimento contrariae, polyspermae, utrinque obtusae. Semina immarginata. Funiculi parietales.

Cochlearia Armoracia *L.* — *Spreng. hal.* 184.

XLII. CAMELINA *Dodon.*

(*Vahl. flor. dan.* 1038.)

Silicula subovata. Valvae nucamentaceae, ventricosae, polyspermae, rostratae, demum in stylum bipartitum fatiscentes. Semina immarginata. Funiculi parietales.

† 285. Camelina sylvestris *Wallr.* siliculis ovato-rotundatis umbonatis in basin attenuatis margine compressiusculis, caule foliisque sagittatis subintegris hirsutis.

Myagrum sativum α. *Linn Sp. pl.* 894.
M. sylvestre *C. Bauh. pin* 109. exclus. syn. *Tabern. Vaill. par.* 11.
Alyssum foliis auriculatis, acutis, capsulis minoribus *Buxb. hal.* 13.
Pseudo-Myagrum II *Camer. epit* 902. f. 1.
Myagrum capitulis minoribus s. sylvestre *Morison. hist.* II. 315. sect. III. 21. 2.
M. turcicum *J. Bauh. hist.* II. 893. *Chabr. stirp.* 283. f. 4.

In tectorum, murorum grumis, collibus apricis vicinisque agris sterilibus ad Bennstaedt, Schmon, Dodersleben, Rossleben et aliis circa urbem locis; im Stadtgraben *Buxb.*

Duplices esse Myagri species, caute distinguendas, alteram sylvestrem, alteram sativam, *J. Bauhinus, Camerarius, Buxbaumius* diu monuerunt, *Vaillantius* et *Morisonus* exacte exposuerunt, *Ruppius* vero et novissimis temporibus *Linnaeus, Smithius, Willdenowius* et omnes reliqui denegarunt. Differt nostra: 1) caule subsimplici. 2) foliis subintegris cauleque inferiore hirsutis. 3) petalis angustioribus, lanceolatis nec obovatis, pallidioribus; maxime vero, 4) seminibus siliculisque triplo minoribus iisque umbone convexis, margine leviter depressis ovato-rotundatis, quae in C. sativa turgidae, magis ovatae sunt, ut in valvis a dissepimento separatis melius observatur.

286. Camelina sativa *Crantz.* siliculis obovatis turgidis margine obtusis, caule foliisque glabriusculis.

α. INTEGRIFOLIA *W.*, foliis subintegris. (*Fl. dan.* t. 1038.) *Engl. bot.* t. 1254.

Myagrum sativum β. *Linn. sp. pl.* 894. *Willd. sp. pl.* 408. excl. syn. *C. Bauh.* M. sylv.
Alyssum sativum *Scop. carn.* n. 794. *Willd. enum.* 670.
Moenchia sativa *Roth. germ.* I. 274. II. 75.
Camelina sativa *Crantz. austr.* 10. *R. Brown.* l. l. 93.
C. sagittata *Moench. meth.* 255.
Myagrum majus s. sativum *Moris. hist.* II. 315. s. III 21. 1.
M. sativum *C. Bauh. pin.* 109. *Tabernaem. hist.* 1252. *Chabr. stirp.* 283. f. 3.
Camelina s. Myagrion *Dodon.* 532. *Thal. herc.* 28.

β. DENTATA *W.*, foliis sinuato-dentatis.

Alyssum dentatum *Willd. enum.* 671.
Myagrum dentatum *Willd. phyt.* I. 9. *sp. pl.* 408
M. sativum β. *DC. gall.* IV. 717.
M. sativum γ. *Linn. sp. pl.* 894.
Alyssum foliis auriculatis glabris profunde dentatis *Hall. helv.* I. 537. *Poll. pal.* n. 602. *Rupp. jen.* 85.
M. foetidum *C Bauh. prodr.* 51. *pin.* 109. *Lind. alsat.* 49. t. 1.

In agris, maxime inter Linum abundat, vix indigena, sed advena.

XLIII. THLASPI *Linn.*

(*Gaertn.* 141. *Schk.* t. 180.)

Silicula compressa, subemarginata. Valvae naviculares, dissepimento contrariae, polyspermae (alatae apteraeve). Funiculi parietales.

†) *siliculis alatis.*

1) Thlaspi arvense. 2) Thl. perfoliatum. 3) Thl. alpestre. — *Spreng. hal.* 185.

††) *siliculis apteris.* (*Capsella Caesalp.*).

4) Thlaspi Bursa *L.* — *Spr. hal.* l. l.

‡ 287. Thlaspi procumbens *Wallr.* siliculis ellipticis obtusis stylo brevissimo coronatis, foliis subcarnosis, inferioribus lyratis, caulinis pinnatifidis laciniisque obtusis integerrimis, superioribus linearibus indivisis, petalis cuneiformibus calycem aequantibus. Tab. nostr. III.

Lepidium procumbens, foliis pinnatifidis, impari majore, scapo nudo, caulibus prostratis racemiferis *Linn. sp. pl.* 898.

L. pusillum α. *Lam. gall* II. 468.

Nasturtium foliis sinuato - pinnatifidis, caulibus ramosis procumbentibus *Gerard. gallopr.* 346.

Lepidium foliis pinnatis impari majore, caule procumbente *Sauvag. meth.* 228.

Nasturtium pumilum supinum vernum *Magn. monsp.* 184. cum icon.

In aggeribus humectis salsis inter Numburg et Auleben, ad fossas salinarum Frankohusanarum viasque vicinas Thuring insigni copia, mecum indagavit Hornungius pharmac. amicissimus. — Fl. Majo.

Radix subfibrosa, simplex, annua, alba. Caules teretes, glaberrimi, graciles, a radice inde ramosi, valde diffusi, erecti, raro declinati, solitarii aut plures ex eadem radice, foliosi, 1 — 2 - digitales s. spithamei. Folia subcarnosa, glaberrima, dilute - viridia: inferiora sublyrata eaque quasi 3 — 5 - loba (ut *Linn.*), lobo impari majore, caulina pinnatifida, laciniis raris, obtusis,

plus minusve patentibus, intermediam ipsius folii partem latitudine aequantibus, superiora lineari-lanceolata, indivisa aut basin versus pinna una alterave lineari incisa. Pedunculi alterni, patentes, silicula longiores. Flores parvi, majores quam Lepid. petraei, minores quam L. alpini, albi; petala cuneiformia, calycem aequantia. Silicula elliptica, utrinque obtusa, stylo sessili, brevissimo, ut ita dicam, punctiformi coronata, si dehiscunt sique comprimuntur, quasi emarginata, fere ut Drabae vernae: valvae carinatae, polyspermae, apterae. Semina ovata, minutissima, flava, in quavis valva 10 — 12 et plura.

Linnaeus scapum Lepidio procumbenti adnumerans, procul dubio specimina manca ex loco sterili ante oculos habuit, qualia et ipse inter magnam speciminum messem passim observavi. Quoad habitum externum, intermedium est inter L. alpinum (*Tabernaem. hist.* 167. *Moris. hist.* s. III. 19. 10.) et L. petraeum, illud vero praeter alias notas ex foliis siliculisque, differt petalis calycem superantibus siliculisque mucronatis: hoc: petalis angustioribus siliculisque ovatis, duplo minoribus. L. procumbens *Gouan. illustr.* 40. mera L. petraei var. esse videtur. Specimen a Doct. *Blume* prope Astracanum lectum mihique a cl. *Rothio* benevole communicatum cum nostris thuring. ad unguem congruit. In aggeribus salitis laetari videtur nec ex illis longe aberrat; an quoque aliis locis? Plantula caeterum rarissima et vix hucdum extra Europam australem observata. Nomen triviale a *Linnaeo* datum vix aptum esse videtur: diffusum s. carnosum potius vocandum.

XLIV. DRABA *L.*

(*Gaertn.* t. 141. *Schk.* t. 179.)

Silicula integra ovalis. Valvae planiusculae cum dissepimento parallelae, polyspermae. Semina immarginata. Funiculi parietales.

1) Draba verna *Linn.* 2) Draba muralis *L.* (Alyssum foliis Veronicae *Rupp. jen.* 85. Thlaspi fol. Veronicae monspel. Bursae pastoriae sublongo loculo affinis planta *Chabr. stirp.* 295. f. 5. Draba minor muralis Dioscoridis *Column.* nec discoidea, ut *Willden.* ex *Linn.* exscripsit.). Indicatur jam a *Ruppio* ad Giebichenstein.

C. SILIQUOSAE.

a. *valvis dissepimentum stylo coronatum subaequantibus.*

XLV. CARDAMINE *L.*

(*Schk.* t. 187.)

Siliqua linearis. Valvae planae, enerviae a dissepimento marginato (in plerisque) spiraliter revolventes.

1) Cardamine impatiens *L.* (C. sylvatica flore albo minore, folio vario *Rupp. jen.* 79. Sium minimum *Prosp. Alpin.* exot. 331.). 2) Card. hirsuta *L.* 3) C. pratensis *L.* 4) C. amara *L.* cujus duplices exstant varietates: altera *caule glabro*, altera *caule pedunculisque hirsutis* (? C. sylvatica *Link. phytogr. Bl.* p. 50. *Pers. ench.* II. 196. C. hirsuta *Weber spicil. fl. gott.* 18 *Oeder fl. dan.* t. 148.). Alia praeter has in herbario meo exstat: foliis subcarnosis, foliolis angulato-dentatis subrotundis, stigmate subsessili capitato insignis, quae foliis praeter consistentiam ad C. amaram, stigmatis proprietate autem ad C. pratensem accedit. Specimen mancum, olim in uliginibus agri hal. lectum interim C. scaturiginosam dixi.

Quaedam Arabides, ut *Arabis hispida Smith.* et *Ar. arenosa Scop* siliquarum enerviarum forma jubente, Cardamines sunt. *)

---

*) Turrita. Generis inter Cardaminen et Arabidem quasi intermedii distinctionem siliquarum

XLVI. ARABIS *L. ex emend. n.*
(*Schk.* t. 183.)

Siliqua linearis. Valvae ex nervo depresso-carinatae, rectae, dissepimentum apice leviter incrassatum styliferum subaequantes. Funiculi marginales, alterni. Calyx connivens, foliolis 2 majoribus, basi gibbis. (Flores albi s. coerulescentes.)

†) *seminibus monostichis.*

Arabis Thaliana *L.* — *Spr. hal.* 188.

788. Arabis Crantziana *Ehrh.* foliis radicalibus ovato-oblongis in petiolum attenuatis subintegris pube bi- trifurcata hirsutis, caulinis sessilibus angustioribus integerrimis caulibusque adscendentibus glaberrimis glaucescentibus, petalis calyce glabro triplo longioribus, siliquis linearibus planis patulis pedicello duplo longioribus latioribusque stigmate subsessili coronatis.

Ar. Thaliana *Crantz. austr.* 39. t. 3. f. 2.
Ar. Crantziana *Ehrh. herb.* 78. *Hoffm. germ.* II. 55.

---

proprietas satis singularis primo jam intuitu suadet et ex praeceptis nostris dictitat eaque priscis jam ex habitu illuxit. His confisus argumentis Turritam genus distinctum restituere illudque ex generis notis sequentibus discernere praecipio.

Turrita. Siliqua lanceolato-linearis (praelonga). Valvae planae, enerviae, margine incrassatae, dissepimentum aequantes.

Turrita major *Wallr.* (Arabis Turrita *Linn.*) et T. pendula *W.* — Utraque in agro halensi exsulat.

in rupibus gypſaceis ad Stempedam comit. Stolberg. Maj.

Radix ſublignoſa, perennis, foliis eorumque rudimentis in caeſpitem junctis munita. Caules teretes, e baſi adſcendente erecti, plurimi ex eadem radice, graciles, glaberrimi cum quodam glaucore dilute-virentes, digitales, ſpithamei, vix altiores. Folia radicalia, caeſpitoſa, quoad figuram et circumſcriptionem perquam varia, jam magis ovata, obtuſa, parva, jam oblonga, modo obtuſiuſcula, jam in baſin attracta, jam in illam ſ. petiolum, folii longitudinem fere aequantem attenuata, apud nos ſaepius integerrima, raro parce-, rariſſime ſinuato-dentata, utrinque et maxime margine petioſoque pilis bi-trifurcatisve hirſuta: caulina conformia, lanceolato-oblonga, baſi attracta ſeſſilia, ſparſa, remota, plerumque glabra aut margine tantum apiceque pilis aliquot ſubſimplicibus, demum evaneſcentibus ciliata, caulis more glauco-viridia. Pedicellus apice incraſſatus, calyce triplo longior. Flores albi, pro planta ſpecioſi, calyce ex foliolis ovatis, glaberrimis, diaphano-marginatis compoſito triplo majores. Siliquae lineares, patentes, pedicello duplo longiores et latiores: valvae planae, leviter toruloſae, cauli concolores, praeter nervum intermedium obſoletum, enerviae, ex apice obtuſo ſtigma ſubſeſſile transmittentes.

Differentiae ab Ar. Thaliana primo jam intuitu patent et in omnium partium ſtatura majore et firmiore, radice perenni, caeſpitoſa, multicauli, caulibus glabris, adſcendentibus, foliis caulinis glaucеſcentibus, petalis ſpecioſioribus, inque ſiliquis latioribus, duplo longioribus, planioribus, marginatis verſantur. Majores autem redeunt difficultates in aliis congeneribus dignoſcendis, v. c. in *Arab. hiſpida* Smith. (*brit* II 713.) ſ. *C. petraea* Oed *fl. dan.* t. 386., quae iconis fide quoad folia aliquam habet ſimilitudinem, calycibus

hirsutis autem discrepat. Praeter hanc *C. feroensis Vahl. fl. dan.* t. 1392. et *C. hastulata Hornem. fl. dan.* t. 1462., ob foliorum radicalium indolem polymorpham ad nostram quidem accedunt, quamvis foliis runcinatis differre videantur. Equidem autem in indigenis nunquam ejusmodi folia, quin rarissime tantum sinuato-dentata vidi, et ob hanc similitudinem utque stirpis nostrae rarioris, nec hucdum succincte descriptae natura aliis melius innotescat, denuo descripsi.

289. Arabis patula *Wallr.* foliis caulinis e basi cordata amplexicaulibus ovatis apice dentatis cauleque ramoso pube 2 — 4-furcata erecta hirsutis, ramis siliquisque patulis, stylo valvulas excedente.

α. *siliquis glabris.*

Arabis auriculata *Lam. dict.* I. 219. *DC. gall.* IV. 673.
Ar. incana *Roth. cat.* I. 79. *Willd. enum.* 685.
Ar. aspera *Allion. ped. auct.* 18. t. 2. f. 2.
Turritis patula, radice annua, caule hirsuto, ramis patentibus, foliis ovatis subcordatis amplexicaulibus serrato-dentatis hirsutis, calyce glabro. *Ehrh Beytr* VII. 59. *Willd. sp. pl.* 544. *Waldst. et Kit. hung.* t. 59.
Arabis recta, caule erecto, foliis rectangulo-dentatis sessilibus, siliquis erecto-patentibus *Vill. delph* III. 319. t. 37.
Brassica sylvestris minor *Thal. herc.* 18.

β. *siliquis hirsutis.*

Var. α. in aggeribus apricis lapicidinae Loderslebensis et aliis agr. thuring. locis: β. in dumetis citra Auleben am Mergelkopfe extra fines.

Radix fibrosa, tenuis, annua. Caules teretes, erectiusculi, simplices vel superne in ramulos patentes divisi, ut folia undique pilis erectis

apice 2 — 4-furcatis hirsuti, florentes digitales, fructiferi dodrantales pedalesve. Folia radicalia ovata, in petiolum brevem attenuata: caulina e basi cordata amplexicaulia, ovata, integra et apicem versus parce dentata, obtusa, subverticalia, remota. Flores albi, minores quam Ar. sagittatae; petala obovato-oblonga, oblonga, foliolis calycinis flavis margine diaphanis duplo longiora. Rhachis in pl. fructifera, flexuosa, elongata, magnitudinem totius plantae aut aequans aut superans, glabra jamque reliquarum partium instar, maxime in var β. pilosa. Pedicelli teretes, fructiferi siliquarum molem subaequantes, ½ centimetr. longi. Siliqua linearis gracilis, tenuiter nervosa, subcompressa, nervo intermedio magis conspicuo, 3 centimetr. longa, in var. α glaberrima, nitida, in β pilis subtilissimis simplicibus dense pubescens. Stigma parvum, stylo brevi, in var. β. vix siliquae dimidiam partem aequante, extra valvas paullulum prominens, glabrum. Semina in quavis valvula 18 — 24; ovata, glabra, remota, fusca margine nigrescente cincta.

Cum Ar hirsuta *L.* commutari nequit. Differt enim nostra: 1) radice annua, quae in *illa*, biennis. 2) foliis radicalibus integerrimis; caulinis ovatis, vix nisi apicem versus parce dentatis, auriculis rotundatis, minus productis. 3) pilis foliorum caulisque 2 — 4-furcatis; qui in illius caule simplices, inque foliis bifurcati esse solent. 4) rhachi fructifera flexuosa. 5) pedicellis teretibus, brevissimis, siliquarum molem aequantibus, qui in illa, teretiusculi siliquisque tenuiores sunt. 6) siliquis linearibus, patentibus, stylo valvas excedente terminatis, quae in illa, longiores, (3 — 4 centim. longae) styloque obsoleto valvulas aequante insignes sunt 7) seminibus ovatis, remotius dispositis rotoque denique habitu tenuiore, patulo, et omnium partium statura minore. Variat caule simplicissimo et ramoso, digitali et pedali.

Plura forsan praeter indicata ad hanc plantam, a me *florae german* primum adscripram, pertinent synonyma, mihi quidem hactenus dubia. Adfinis enim et forsan eadem est Ar. aspera *All.* quam *Persoonius* jam pro Ar rectae varietate proclamavit. Var. β. siliquis pubescentibus insignis, quam, me excepto, nemo forsan observavit, praeter siliquas pedicellosque insigniter, caulis more at pilis tenerioribus et simplicibus, pubescentes et habitum plerumque graciliorem et surrectiorem, a var. α. plane non differt, ad T. pubescentem *Desf.* accedit, quae quidem foliis caulinis sessilibus lanceolatis basi attenuatis siliquisque erectis differt.

290. Arabis hirsuta *Scop.* foliis caulinis oblongis e basi cordata amplexicaulibus subserratis pube bifurcata hirsutis, caule stricto subsimplici, siliquis demum adpressis depresso-quadrangulis pedicello quinquies longioribus.

α. ovata *W.*, foliis radicalibus obovatis obtusis in basin attenuatis subintegris, caulinis erectis, inferioribus ovatis basi exauriculata cauli adnatis, superioribus sublagittatis parce-dentatis

Arabis hirsuta *DC. gall.* V. 592.
Turritis hirsuta *Smith. brit.* II. 716. *Vahl. fl. dan.* t. 1040.

β. sagittata *W.*, foliis radicalibus oblongis remote-dentatis in basin attractis, caulinis lanceolatis basi sagittatis, auriculis liberis plus minusve productis.

Arabis sagittata *DC. gall.* V. 592.
Turritis sagittata *Bertol. pl. gen.* 185.
T. planisiliqua *Pers. ench.* II. 205.
T. hirsuta *Smith. brit.* II. 717. in not. et aliorum auct fl. germ. *Schk.* t. 185.
Arabis hirsuta *Scop. carn.* n. 835. *Wigg. holf.* 50. *Roth. germ.* II. 112.

T. hirſuta montana, flore albo *Buxb. hal.* 317. *Rupp jen.* 79.
Braſſica ſylveſtris virgata Cordi *Hoffm. altd.* 12.
B. ſylveſtris media *Thal. herc.* 18.

γ. INCISA *W.*, foliis radicalibus oblongis ſerratis, caulinis ovato-oblongis erectis membranaceis inciſo-ſerratis apice integerrimis, auriculis ſubſagittatis productis, caule ſtricto rigido.

Var. α. in promontoriis paſſim intercurrit; β. in aggeribus, dumetis abundat; γ. in collibus editioribus, apricis, calcareis laetatur.

Radix ſublignoſa, perennis. Caules teretes, plus minusve folioſi, inferne ſimpliciſſimi, pilis ſimplicibus furcatisque intermixtis hirſuti, ſuperne glabri, ante antheſin nutantes, inter illam erecti, poſt illam ſtricti, ſpithamei, pedales et in vario loco altiores. Folia pilis furcatis utrinque hirſuta varia: radicalia in roſulam expanſa quoad figuram et magnitudinem polymorpha, plerumque obtuſa, baſi attracta attenuatave, remote dentata ſ. integerrima, a figura oblonga leviter modo aberrantia: caulina ovato-oblonga, plus minusve profunde-, in var. γ. inciſo-ſerrata, apice integerrima, plerumque ſagittato-amplexicaulia, auriculis obtuſis, acutis, varie protractis, rarius in var. α. obſoletis et cauli omnino adnatis, jam remota jamque approximata: ſumma ſenſim minora. Racemus in ſtirpe gracili, ſimplex, in robuſta ſaepius compoſitus, ante antheſin cernuus, dein ſurrectus, denique ſtrictus. Petala lanceolato-linearia, obtuſa, erecta, calyce duplo longiora. Siliquae lineares, rigidae, toruloſae, ſaepius coloratae, nervoſae, nervo intermedio conſpicuiore hincque obſolete ſ. depreſſo-quadrangulae, ſtigmate breviſſimo, obtuſo, inter valvas quaſi inſculpta (ea, ex generis notis eſt), coronatae, primum erectae, demum ſtrictae, cauli ramulorum more approximatae, (nec ut *Pollichius*, *Rothius* et

Smithius perhibent; demum nutantes) pedicello quinquies sexiesve longiores (centimetr. 2—3). Semina monosticha, ex ovato subrotunda, margine saturatiore cincta, approximata.

Auctorum descriptiones rimosae sunt ac ambiguae: hinc novam dedi, stirpis indoli polymorphae magis idoneam. Monstrum florum viridium ab hac neque alienum neque rarum est.

Turritim hirsutam *Linn.* dubiam esse et ab indigena diversam, ex cl *Smithii* descriptione conjici potest. Quorsum enim in nostra, siliquae erectae, demum nutantes, quadrangulares, quales auctor cum *Pollichio* (*pal* II. 246.) et *Rothio* (*germ.* II. 112.) T. hirsutae adscribit, quae in nostris per omnem aetatem eriguntur et demum ipsi cauli arcte adprimuntur. His similibusque sine dubio argumentis et foliorum baseos figura deceptus, *Bertolonius*, quem *Candollius*, botanicorum princeps, in fl. gall. persequutus est, aliam distinxit Ar. sagittatam, et a T. *hirsuta Linnaeana*, illo auctore, pilis caulinis simplicibus, foliis caulinis in basin sessilem attractis siliquisque quadrangulis insigni, diversam proclamavit Quae quidem ex foliorum basi differentia, taceam ut alias ex pilorum simplicium furcatorumque proprietate, in eodem caule satis promiscua, Naturae nequaquam tribuenda est sed potius indolem stirpis polymorpham significat, quae tanta est ex nisu naturali variandi et ex loci natalis conditione ut illis jubentibus, foliorum figura, eorum basis, superficies, circumscriptio, inflorescentia totusque habitus nonnisi mire mutari videatur. Parcius igitur agendum et formas, quotquot promiscue et affatim cum aliis intermediis, primarias conjungentibus, in agro nostro intercurrunt, caute varietatum constantium, vix vero specierum titulis Arabidi hirsutae subscribendas esse, testor.

† 291. Arabis longisiliqua *Wallr.* foliis radicalibus ovato-oblongis in basin attenuatis repando-dentatis, caulinis lanceolatis acutis basi auriculato-hastatis subintegerrimis glabriusculis, siliquis strictis compressis pedicello decies longioribus, stigmate subexserto coronatis.

In aggeribus clivosis der Steinklippe et aliis extra fines locis, v. c. in collibus calcareis des Alten-Stolberg's, ad Auleben, inque dumetis collinis des Strausberg's. Varietas racemo composito, multisiliquoso frequens est.

Intermedia quasi est inter illam et Ar. perfoliatam *Lam.*, illi habitu foliisque, huic siliquarum indole et longitudini similis, distincta tamen et notarum ab Ar. hirsuta, polymorpha alienarum concentu facile discernenda: 1) foliis radicalibus repando-dentatis eorumque pube tenuiore tripartita: caulinis lanceolatis, acuminatis, duplo longioribus quam Ar. hirsutae, basi hastatis, auriculis liberis, patulis, longius protractis, glabriusculis. 2) siliquis compressis, quam in Ar hirsuta duplo, pedicellis vero decies longioribus, centimetr. 6 integr. aequantibus. 3) stigmate stylo brevissimo suffulto, tamen exserto nec ut in Ar. hirsuta intra valvas aequaliter longas insculpto.

† 292. Arabis brassicaeformis *Wallr.* glaberrima, foliis radicalibus ovatis in petiolum attenuatis parce remoteque dentatis, caulinis cordato-sagittatis amplexicaulibus integerrimis subtus cauleque stricto glaucescentibus, siliquis erectis obsolete quadrangulis stigmate brevissimo coronatis.

Erysimum alpinum *Roth. germ.* II. 108.
Turritis Brassica *Leers herb.* 150.

Brassica alpina *Linn. mant.* et *auct.*
Turritis pauciflora *Grimm. isen.* in *N. Act. A N. C.* III *app* p. 348.
Brassica alpina perennis *Tournef. Rupp. jen.* 75. *Buxb. hal.* 43. *Hall. gott.* 253.
Brassica sylvestris foliis betae *Thal. herc* 17.

In aggeribus sylvaticis montosis ad Schmon (*Buxbaum.*) et ad Biebram jam rarissima; multo frequentius in faginetis thuringiae, v. c. ad Sondershusam, quo loco a *Thalio* jam laudato hodie etiam laete viget, am Straussberge, supra Haynrodam etc. Fl. Majo — Jul. Aug. siliquas maturat.

Radix perennis, sublignosa. Caulis teres, erectus, simplicissimus, glaberrimus, viridis cum quodam glaucore translucente, inferne plerumque coloratus, 1 f. 1½-pedalis, vix nisi in umbrosis pinguioribus altior. Folia omnia glaberrima: radicalia et innovationum ovata, obtusa, in petiolum longum decurrentia, subcartilaginea, margine parce remoteque crenata, crenis subcallosis, demum subtus hepatico-rubra (plumbea f. fusca *Thal*); caulina reliqua ovato-oblonga, basi cordato-sagittata, integerrima, remota, supra laete-viridia, subtus glaucescentia. Corymbus pauciflorus. Calycis foliola erecta, subconniventia, flavescentia. Petala oblongo-linearia, obtusissima, calyce duplo longiora, alba: ungues recti: lamina erecto-patens. Stamina duo calycem aequantia totidem glandulis: reliqua quatuor illum superantia, nullis exstructa. Germen subtetragonum, stamina subaequans. Siliqua lineari-lanceolata, obsolete-quadrangula, 4 centim. longa: valvae ob nervum intermedium prominulum subcarinatae, cum dissepimento aequales. Stigma sessile, capitatum, brevissimum. Semina obovata, compressa, monosticha, subemarginata.

Planta revera thuringiaca, a *Thalio* primum distincta et optime descripta, a *Ruppio* etiam et *Buxbaumio* indicata, quam haud sine volupta-

se florae hal nunc reddo. *Thalii* synonymon quod *C. Bauh. pin.* 112. ad Eryſimum perfoliatum *Cr.* male transfert, aeque novum ac certum nec incongruum: folia radicalia enim *Pyrolae rotundifoliae* (quam *Thal.* p. 85. Betam ſylveſtrem dixit). Noſtram caeterum a Braſſica genere longe alienam et habitu tantum conformi a *Linnaeo* aliisque rei herb. ſtatoribus illi adſcriptam eſſe, *Ruppius*, *Hallerus*, *Grimmius* et *Leerſius* jam monuerunt et adfinitatem cum Turritide l. Arabi noſtra, quae ſtigmatis fabrica conformi confirmatur, intellexerunt, quamvis etiam a cl. *Rothio* ad Eryſimum rejiciatur.

††) *ſeminibus diſtichis.* (*Turritis R. Brown.*)

293 Arabis perfoliata *Lam.* foliis radicalibus ſinuato-dentatis hirſutis, caulinis ovato-lanceolatis acutis integerrimis baſi ſagittatis cauleque ſtricto glaberrimis, ſiliquis appreſſis obſolete-quadrangulis ſtigmate capitato producto coronatis, ſeminibus diſtichis. (*Schk.* t. 185.)

Arabis perfoliata *Lam. dict.* I. 219. *DC. gall.* IV. 673.
Turritis glabra *Linn.* et *auct.*
T. perfoliata *Necker gall.* 283.
Eryſimum glaſtifolium *Crantz cruc.* 117.
Dentaria glabra *Scopol. carn.* 839.
Braſſica ſylv. folio glaſti *Jungerm. Hoffm. altd.* 13.
Br. ſylv. procera *Thal. herc.* 17.

In aggeribus nemoroſis paſſim v. c. ad Lodersleben et Boſsleben. Circa Stolbergam vidi caulibus orgyalibus et procerioribus.

Cl. *Smithius* (*brit.* II. 716.) ſiliquas planas urget, nos vero maturas ſubcompreſſas, ob nervum prominulum tamen obſolete-quadrangulas obſervamus.

Semina in hac Arab. evidentissime biseriata s. disticha in utroque dissepimenti pariete, ad speciem dignoscendam profecto aptissima, generis notam vero minime largiri videntur. Eodem enim jure, ut rem exemplo illustremus, Nasturtium palustre *Poll.* ob semina coacervata removeri potuisset a reliquis Nasturtiis. Aliena quoque est Brassica arvensis, quae a cl. *R. Brownio* Turritis vocatur. Quod Arab. perfoliata *Lam.* inter Siliquosas, id Farsetia inter Siliculosas!

XLVII. ERYSIMUM *L. emend.*

(*Schk* t. 183.)

Siliqua columnaris tetragona. Semina immarginata. Stigma subsessile capitatum integrum s. mediotenus sulcatum, fere bilobum. Calyx clausus.

†) *stigmatibus capitatis integris.*

294. Erysimum cheiranthoides *L.* foliis lanceolatis subdenticulatis, pube adpressa tripartita hirsutiusculis, siliquis erecto-patentibus pedicello duplo longioribus pilis quadripartitis subtilissimis adspersis, stigmate subsessili obsoleto.

Er. cheiranthoides *L* et *auct.*
Er. parviflorum *Pers. ench.* II. 199.

Stirps vulgatior et variabilis ex varia loci conditione: jam enim caule a basi ramoso, jam simplicissimo, 1 — 4-pedali, superne in ramulos floriferos diviso (? Cheiranthus aquaticus *Lejeun. fl. spad.* II. 68. ad ripas Salae ibque salicetis udis ad Doelnitz;) jam quoque digitali, oligophyllo in agris inundatis occurrit. — Pubes in hoc genere notam optimam et stabiliorem quam in Arabide aliisque largiri videtur. Pili caulis in hoc Erysimo semper bipartiti, extremitatibus sibi oppositis: foliorum

tripartiti: siliquarum quadripartiti, exilissimi, rariter dispersi nec earum colorem mutantes, omnes vero arcte adpressi. Siliquarum longitudo inter centimetr. 2 — 3 vacillat. Stigma integrum omnino et pro siliqua satis exiguum, fere obsoletum. Icon *fl. dan.* t 731. stirpem nimis gracilem: t 923., Er- hieracifolii nomine, vulgarem melius reddit. Keiri sylvestre annuum foliis Myagri *Rupp jen.* 77. et Leucojum sylvestre minutis flosculis *Camer. hort.* 87. synonyma.

††) *stigmatibus capitatis transversim sulcatis.*

295. Erysimum repandum *L.* foliis lanceolatis parce-dentatis, siliquis patulis praelongis torulosis pedicello brevissimo vix crassioribus, valvis obsolete carinatis in stigma sessile sulcatum abeuntibus, pube omnium partium bipartita. *Jacq. austr.* t. 22.

Er. ramosissimum *Crantz. austr.* 29.
Cheiranthus ramosissimus *Lam. dict.* II. 717.

In nemoribus dem Badendorfer Holze, cl. *Wohlleben* et *Spreng.* testibus.

Pubes omnium partium ex pilis bipartitis, extremitatibus sibimet oppositis constat. Siliquae, centimetr 6 — 8 longae, graciles, brevissime pedicellatae, patulae, torulosae abludunt quadantenus, nec exacte tetraëdrae sed ob valvas obsolete carinatas subtetragonae sunt. Variat caule simplici et diffuso.

296. Erysimum pallens *Pers.* foliis lanceolato-linearibus integris remoteque dentatis pube tripartita adpressa utrinque cinereo-canescentibus, petalis obovatis (sulfureis), siliquis erecto-patentibus tetragonis cauleque ramoso pi-

lis bipartitis hirsutis, stigmate exserto capitato transversim sulcato.

Erysimum pallens *Pers. ench.* II. 200.
Cheiranthus pallens *Hall. fil.* teste *Pers.*
Erysim. linearifolium *Moench suppl.* 85.
Ch. helveticus *Jacq vind.* t. 9. *Willd. sp. pl.* III. 515. excl. syn. *Allion. Bocc.*
Er. helveticum *DC. gall.* IV. 658. excl. syn. *Bocc.*
Hesperis foliis linearibus lanceolatis rariter dentatis siliquis erectis tetragonis *Hall. helv.* n. 450
Keiri sylvestre foliis hieracii in vineis *Rupp. jen.* 77. nec *Hall.*

In collibus editioribus arenosis der Steinklippe, rarius. Jun. Aug. fructifer.

* Radix sublignosa, biennis. Caulis inferne teretiusculus, subcoloratus, superne angulatus, simplex, saepius vero a basi inde jam ramosus, ramulis patulis, rigidis, pilis bipartitis adpressis hirsutus. Folia lanceolato-linearia, parce remoteque dentata, plerumque integerrima, inferiora longe petiolata, caulina sessilia, basi attenuata, omnia cinereo-cana, pilis bi-tripartitisve adpressis tecta. Pedicelli breves, 4-anguli, fructiferi patentes. Flores pallide-flavi s. sulfurei: petalorum laminae obovatae, in ungues lineares, calycem superantes desinentes. Calyx foliis concolor. Siliquae erecto-patentes, tetragonae, 6 — 7 centimetr. longae, pilis bipartitis approximatis tectae iisque tenuiter aeque ac anguli incanescentes. Stigma capitatum, transversim sulcatum, stylo brevi omnino pedicelli longitudinem subaequante suffultum.

Er. diffusum *Ehrh.*, ad quod me judice Cheir. Boccone *All.* et Er. canescens *Roth* pertinere videntur, oculis versutioribus profecto a nostro dignoscendum est: colore totius plantae minus incanescente; pedicellis brevioribus; floribus flavis

eorumque petalis obovato-oblongis; siliquis erectis, gracilioribus, stigmate subsessili, bilobo s. profundius emarginato, crassiori coronatis.

Aliud coram est, olim ab amicissimo *Schaerero*, Bernate, in monte Simplon Helvet. lectum mihique Ch. pallentis *Hall. fil.* nomine benevole datum, a nostro et omnibus, mihi hucdum notis diversissimum, quod data occasione fere ita interpretor: *Erysimum Schaererianum*, foliis radicalibus lanceolato-linearibus subintegerrimis cauleque subramoso pube bipartita hirsutiusculis, petalis ovato-subrotundis abrupte angusteque unguiculatis (speciosis sulfureis), siliquis erectis tetragonis pilis subtilissimis confertissimis bipartitis tectis, valvis ex apice dilatato-fornicato stigma capitatum infundibuliforme emittentibus.

Siliquarum proprietas ad Notoceras genus Brownianum accedit et forte Erysimo connectit.

† 297. Erysimum virgatum *Roth.* foliis lanceolatis integris pube tripartita adpressa hirsutis, petalis oblongo-cuneiformibus truncatis, siliquis tetragonis erectis cauli approximatis pilis 4-partitis tenuissimis incanescentibus, stylo pedicellis duplo breviore, caule stricto superne ramosissimo.

Erysimum virgatum *Roth. cat.* I. 75. *Willd. sp. pl.* III. 512.

Hesperis caule erecto, foliis scabris lanceolatis, siliquis tetragonis *Zinn. gott.* 338 ex l. n.

Keiri sylvestre foliis hieracii *Hall.* apud *Rupp. jen.* 77. in not. a. ex loc. natal. nec *Rupp.*

In collibus apricis gypsaceis, calcareis ad Aulében, Sondershusam, Frankohusam, des Alten-Stolberg's (ubi ab *Hallero* et *Zinnio* indicatur), Nordhusam; ex quibus in murorum oppida dicta cingentium gruinos migravit: laete quoque viget in muris Kelbraensibus. Jul. Aug.

Descriptionis loco, quae multa cum prior communia habet, differentias inter utramque sib simillimam addere lubet Differt enim: 1) caule prociore, magis folioso, sublimplici, superne ut plurimum ramosissimo, ramulis fructiferis multi siliquosis virgatis, illis foliisque laete virescentibus in E. pallente plerumque virore excusso incanescentibus. 2) petalorum laminis oblongo-cuneiformibus, veluti truncatis, saturatius flavis, in ungue calycis longitudinem aequantes sensim attenuatis lineas 3 latis, quae in Er. pallente ex figura subrotunda ovataque in ungues calycem longitudine superantes angustantur et producuntur simulac vere sulfuris instar pallide-flavescunt. 3) siliquis stricti s. cauli approximatis, plurimis, pube quadri- multipartita, tenui, adpressa tectis, quasi asperi una cum angulis saepius cum aliquo virore incanescentibus, quae in Er. pallente, in pedunculis erectiusculis patent et pilis bipartitis arcte adpressis rarioribus, cum caule concolores leviter tantum pubescunt Stylus insuper paullo longior, pedicelli partem dimidiam ferme adaequans totusque habitus alienus, primo intuitu, Erysimum cheiranthoides, surrectius et simplicius fere mentiens, a quo quidem, foliis, siliquarum proprietate et dispositione et styli stigmatisque indole affatim differt

Variat pro varia loci conditione: in apricis e maxime in murorum rumis, in quibus valde laetatur, robustiorem, ramosiorem, virgis plurimi onustatam: in umbrosis simpliciorem, graciliorem simulac altiorem stirpem me vidisse recordor.

Patria hujus plantae hucdum neque Rothii amicissimo, qui primum in horto ex seminibus missis coluit neque ulli alio innotuit. Equidem spontaneam multis locis agri hal. et thuring. copiosissimam legi illamque solo calcareo propriam habeo, quamvis etiam passim in arenosa aberrare videatur. Erysimum nostrum cum Rothiano revera idem esse, ipse in literis testatur, quamvis etiam

siliquae plane non laevigatae sint: aliud vero *Candollianum* esse videtur (*synops.* 373.) pilis siliquarum radiato-floccosis insigne. *Halleri* et *Zinnii* synonyma ex loci natalis fide addidi. Ab Hallero l. l. primum bene describitur et a congeneribus distinguitur, a *Willdenowio* autem perperam ad Er. hieracifolium *L.* laudatur, quod quidem mihi dubium est. Quivis enim auctor, aliam stirpem Er. hieracifolii nomine venditat et *Linnaeus* ipse sub illo plures, aliam in *fl. suec.*, aliam in *sp. pl.*, stirpes comprehendere videtur. Idem titulus apud *Willdenowium* ex synonymis suspectus est. *Oederi* planta (*fl. dan.* t. 229.) nitide expressa, nullibi vero laudata, Cheiranthi habitum haud male refert et forsan Er. hieracifolium *Linn. fl. suec.* est idque itidem forte cum Cheirantho alpino *Linn. mant.* concidit, cujus fructus apud *Wahlenbergium* (*lapp.* t. XII. f. 1.) repraesentantur.

† 298. Erysimum cheiriflorum *Wallr.* foliis inferioribus oblongis obtusis remote-sinuatoque dentatis utrinque pube tripartita hirsutis, petalis subrotundis (speciosis) e basi obovata in ungues calycibus longiores abrupte attenuatis, siliquis tetragonis erectis cauleque erecto angulato pube bipartita incanescentibus, valvis demum glaucescentibus exarato-carinatis, stigmate exserto capitato.

In collibus gypsaceis unweit Neustadt infra arcem Hohnstein. Jul.

Radix biennis, congenerum. Caulis angulatus, simpliciusculus, vix nisi in solo pinguiore ramosus, erectus, a radice inde foliosus, inferne sublignosus, pube bipartita adpressa tenuiter scabriusculus, 1 — 2-pedalis. Folia pallide virentia, utrinque pube tripartita sparsa hirsuta: infe-

xiora obtusiuscula, in basin attenuata, remote sinuatoque dentata, approximata, centimetr. 4—5 longa, unum lata, summa subsessilia, subintegra, remotiora, acutiora et duplo breviora. Flores speciosi, Erysimi lanceolati *Brown.* s. Cheiranthi Cheiri fruticulosi mole, lutei, concolores: petala obovato-subrotunda, saepius emarginata, retusa, in ungues graciles calycem superantes abrupte attenuata, ½ s. ⅓ centimetr. lata, cum unguibus 1½ longa. Pedicelli floriferi calycibus duplo breviores. Siliquae erectae, tetragonae, centimetr. 8 s. 6½ longae: valvae angustae faciebus pube bipartita tectae eaque cum quodam glaucore incanescentes, carinis laete-viridibus, penitus denudatis et magis quam in reliquis exaratis instructae. Stylus siliquae latitudinem adaequans. Stigma capitatum, parvum, apice leviter sulcatum s. potius umbilicatum.

Quamvis eandem stirpem ex aliis locis disfitis, v. c. ex agro jenensi et rudolphipolitano habeam, ejus nomen systematicum tamen eruere non valui. Diu pro Er. odorato *Ehrh.* habui, quod quidem, pedicellis longioribus, siliquis ramulisque laxis, patentibus et stigmate bilobo differre videtur. Similiter differt etiam Er. odoratum *Willd.* ad quod Er. hieracifolium *Jacq.* et forsan Er. strictum *fl. wetter.* referendum est. Er. hieracifolium *Ehrh.* (Linnaeanum enim titulum vagum offert,) praeter alias notas, caule tereti, foliis et floribus pallidioribus discrepat. Er. lanceolatum *Brown.* ad quod vexatus ille Cheiranthus erysimoides *Linn.*, synonymis variorum auctorum quasi suspectus pertinet, nostrum quidem aemulatur, foliis longioribus tamen, caulis altitudine stigmate sessili et aliis notis differre videtur. Litem componant alii.

299. Erysimum perfoliatum *Crantz.* glaberrimum, foliis radicalibus obovatis in basin attenuatis, caulinis ovato-ellipticis cordato-am-

plexicaulibus subretusis glaucis, siliquis columnaribus tetraëdris venosis patentibus obtusangulis. (*Schk.* t. 186.)

Erysimum perfoliatum *Crantz. austr.* 27.
Brassica perfoliata *Lam. dict.* I. 748. *DC. gall.* IV. 646.
Erysimum austriacum *Roth. germ.* II. 102.
Br. Turrita *Weig. obs.* 32. *Leyss. hal.* 163.
Br. orientalis *Linn.* et *auct.*
Br. campestris perfoliata flore albo *C. Bauh. pin.* 112. excl. syn. *Thal. Rupp. jen.* 75. *Buxb. hal.* 43. excl. syn. *Thal.*
Perfoliata siliquosa *J. Bauh. hist.* II. 835. *Tabernaem. hist.* t. 1140. *Chabr. stirp.* 272. f. 2.
Br. campestris I. *Clus. hist.* II. 127. *Thal. herc.* 18.

In vineis Koelmensibus, agris Bennstadiensibus et alibi.

Siliquae graciles, quas cl. *Smithius* Er. nostro adscribit, haud vidimus, robustae potius sunt. *Linnaeus* folia radicalia scabra: *Smithius* vero omnia glabra nominat, et *Br.* austriacam *Jacq.* a Linnaeana stirpe vix diversam declarat.

XLVIII. NASTURTIUM *R. Brown.*

(*Vahl. fl. dan.* t. 931. *Schk.* t. 187.)

Siliqua teretiuscula, brevis. Valvae convexae enerviae. Stigma capitatum exsertum. Pedicelli basi incrassati demum deflexi.

300. Nasturtium officinale *Br.* foliolis ovatis subcordatis repando-dentatis, caule basi decumbente ex geniculis radicante, siliquis pedi-

cellum aequantibus stylo brevissimo coronatis. (*Fuchs hist.* 723. *Chabr stirp.* 282 *fl. dan.* t. 690. opt.)

Nasturtium officinale *R. Brown.* l. l. 113.
Cardamine fontana *Lam. gall.* II. 499.
C. Nasturtium *Moench meth.* 262.
Sisymbrium Nasturtium *Linn.* et auct.
Nasturtium aquaticum acre *Thal. herc.* 106.

301. Nasturtium sylvestre *Br.* foliolis lanceolatis serratis incisisve, siliquis patulis lanceolatis plano convexiusculis pedicello brevioribus, stigmate brevissime exserto coronatis.

N. sylvestre *R. Brown.* l. l.
Brachyolobos sylvestris *Allion. ped.* n. 1012. t. 56. f. 2.
Sisymbrium palustre *Roth. germ.* II. 127. ex descript. nec ex synon.
Radicula pinnata *Moench. meth.* 263.
Sisymbrium sylvestre *Linn.* et auct.
Eruca aquatica *Moris. hist.* III. 6. 17.

302. Nasturtium palustre *Wallr.* foliolis ovatis inciso dentatis, caule erecto, petalis calycem aequantibus, siliquis ovato-oblongis turgidis pedicellum deflexum aequantibus stylo exserto coronatis, seminibus coacervatis, radice fusiformi. — *Flor. dan.* t. 931. opt.

Nasturtium terrestre *R. Brown* l. l.
Sisymbrium palustre *Linn. suec* ed I. n. 551. *Leyss. hal.* 166. *Poll. pal.* n. 625. *Willd. sp. pl.* 690. excl. syn. *Vaill. Tournef.* et *Bauh. DC. gall.* IV. 662.
Sis. sylvestre *Roth. germ.* II. 125. excl. syn. pl.
Sis. amphibium β. palustre *Linn. suec.* n. 598.

Siſ. terreſtre *Curt. lond.* t. 49. *Smith. Spreng. hal* 190
Myagrum paluſtre *Lam. dict.* I. 572.
Radicula paluſtris *Moench meth.* 263.
Siſymbr. islandicum *Oeder. fl. dan.* t. 409.
Raphanus luteus minimus, foliis tenuiter diviſis *Moriſ. hiſt.* III. 236. t. 7. f. 1. opt.
Radicula ſylveſtris ſ. paluſtris *Chabr. ſtirp.* p. 287. f. 6.

In inundatis; propter foſſas paſſim.

Qui primum et clarius hanc ſpeciem a N. ſylveſtri et amphibio diſtinxit et erroribus circa radicem repentem exceptis, differentias apprime expoſuit novemque ſine ſynonymis introduxit, *Moriſonus* eſt. Noviſſimis temporibus ab *Oedero* (1770) iterum diſtincta et S. islandici nomine divulgata, dein a *Pollichio* et *Curtiſio* eodem anno (1776) nominibus diverſis deſcripta. *Hudſonus* pro praecedentis, *Linnaeus* pro S. amphibii varietate perperam habuit; alter ex habitu, alter ex ſilicularum figura deceptus. Figura *fl. dan.* t. 931. quam *Willdenowius* ad S. ſylveſtre citat, noſtrum optime reddit. *Leyſſerus* plantam dignoſcit et S. amphibii var. α paluſtri *Linn.* ſynonymam indicat.

† 303. Nasturtium aquaticum *Wallr.* foliis variis, inferioribus ſubmerſis multifidis, emerſis ſerratis lyratisve, ſuperioribus ſeſſilibus conformibus integrisve, ſiliquis ſiliculaeformibus ſubgloboſis ſtylo illis breviore coronatis pedicello multoties longiore ſuffultis; caulibus inflatis ſtoloniferis.

Siſymbrium amphibium aquaticum *Schk. Handb.* II. 254. t. 187. opt. deſcript.
S. amphibium *Smith. brit.* II. 702. ex de-

fcript. excl. fyn. plur. et figur. *fl. dan.* *Roth. germ.* II. 120. excl. fyn. pl. *DC. gall.* IV. 603.

S. amphibium α. *fp. pl.* ed. *Willd.* II. 491. excl. var. et defin.

S. amphibium *Linn.* *fl. fuec.* n. 593.

S. aquaticum *Linn.* in *lit.* *Fernand. herb.* 11. tefte *Ehrh.*

Raphanus aquaticus, foliis in profundas lacinias divifis *C. Bauh. pin.* 97. *Morif. hift.* III. 237. t. 7. f. 3. 4. *Rupp. jen.* 81.

Radicula paluftris *Dill. giff.* 80.

Raphanus aquaticus *Tabernaem. hift.* 797.

In fulcis pratorum inque aquis limpidioribus ftagnantibus circa Halam, Rolsleben et alibi paffim. Jun.

Quoad foliorum figuram mire variat (S. aquaticum foliis variis *Vaill. par.* 185. *Berg. francof.* 119.) et fecundum illam ex veterum rei herbariae ftatorum mente in duplices difpeici poteft formas primarias, aliis intermediis innumeris connexas: *integrifoliam* (R. aquaticus II. *C. Bauh.* R. aq. II. fol. ferratis *Morif.* l. l. f. 4.), et *pinnatifidam* (R. aquat. foliis in profundas lacinias divifis *C. B.* *Morif.* l. l. f. 3.). Reliqua fynonyma, quae affatim apud auctores cujuslibet aetatis enumerantur, utpote ambigua et ad utramque fpeciem fpectantia omifi. Omnes enim fcriptores foliis potius, quam filiquarum figurae fidem habuerunt et fpecies diftinxerunt. Stirpem ob pericarpium fubglobofum ad Siliculofarum tribum rectius referri, *Dillenius* primum contendit, itemque *Rothius* acutiffimus etiam conqueritur, qui num Moenchiae generi melius adfcriberetur, recte ambigit. Quod attinet ad nomen, fuliratius utpote ampliffimum et incongruum omifi et ftirpem minime N. amphibii fed potius N. aquatici titulo, tefte *Ehrharto*, vere Linnaeano et aptiero falutare volui.

† 304. NASTURTIUM RIPARIUM *Wallr.* foliis variis, inferioribus pinnatis integrisve, caulinis superioribus ovato-oblongis inaequaliter serratis in basin cordato-amplexicaulem attenuatis, siliquis ovato-oblongis utrinque attenuatis compressis stylo duplo brevioribus.

Sisymbrium amphibium *Spreng. hal.* 190. fide fig. *fl. dan. Willd sp. pl.* II. 491. ex definit. *Hoffm. germ.* II 48. *Vahl flor. dan.* t. 984. opt.

S. amphibium γ. terrestre *Linn. sp. pl.* II. 917.

S. aquaticum *Buxb. hal.* 304. ex l. nat.

In iisdem aut similibus cum priore locis, lubentius vero in ripas excurrit.

Foliorum figura, more antecedentis, iisdem plane ludit mutationibus et duplices formas primarias promittit: *integrifoliam* (*flor. dan.* l. l.) et *pinnatifidam*.

Sisymbrium amphibium Linnaei, titulus amplissimus profecto, et synonymis et varietatibus nimis promiscue subscriptis ambiguus quasi et suspectus, quem quidem emendandum nobis reliquerunt auctores. Varietatum a *Linnaeo* putatarum et sub S. amphibii titulo generali quasi complexarum triga, totidem praestat species, differentiis idoneis nec aurificis statera sed, ut ita dicam, populari trutina ponderandis dignoscendas. Varietatem α. *palustrem* distinguendam esse, plures jam auctores monuerunt, ut suo loco indicavi et ex illa S. palustre apud *Linnaeum* ipsum, *Pollichium*, *Willdenowium*, *Sprengelium* aliosque illuxit: reliquas binas autem, *aquaticam* et *terrestrem* conjunctas tradiderunt, ex quo errore factum est, ut alii auctores Sisymbrio amphibio siliquas ovato-subrotundas (*Smithius*, *Rothius*, *Candollius*), aterum alii (*Sprengelius*, *Will-*

denowius, Hoffmannus, Wahlius aliique ovato oblongas adſcripſerint. Equidem vero differentias eximias video in ſiliquarum figura et proportione, ab auctoribus per tranſennam adſpecta, et ex hac, aliis ex foliorum figura differentiis omiſſis, utramque diſtinguere praecipio. Differt enim *Naſturtium aquaticum* noſtrum a *N. ripario*, praeter foliorum figuram ſpecialem ut *N. paluſtre* a *N. ſylveſtre*: 1) *caulibus* fiſtuloſis, plerumque craſſioribus magisque inflatis, in fundo longe lateque ſurculorum et radicularum ope direptantibus, nigro virentibus, qui in hoc ſimiles quidem, plerumque tamen minus increſſantur nec ita tument ac inflantur. 2) *foliis* variis quidem et in utroque ſimilibus, rigidioribus tamen, caulinis ſuperioribus baſi exauriculata ſeſſilibus, quae in hoc in baſin amplexicaulem, jam auriculis obtuſis cordatam, jam acutis ſubſagittatam (*flor. dan.* l. 1.) deſinunt. 3) *corollis* croceo flavis, quae in hoc lutei, potius palleſcere videntur. 4) *ſiliquis* ovato-ſubgloboſis, exacte ſiliculaeformibus, turgidis, ſtylo exſerto abrupte coronatis pedicello multoties brevioribus, ſine ſtylo $\frac{1}{3}$ centim. cum illo $\frac{1}{2}$ longis: quae in hoc ovato-oblongae, compreſſae, ſtylo roſtratae, utrinque attenuatae, ſine ſtylo $\frac{1}{2}$ centim., cum ſtylo $\frac{3}{4}$ longae ſunt.

XLIX. SISYMBRIUM *L. ex emend. n.*

(*Schk.* t. 187.)

Siliqua linearis, teretiuſcula. Valvae convexiuſculae, aequales, uninerviae, recte dehiſcentes, diſſepimentum aequantes. Ungues patentes in calyce patulo. (Flores lutei.)

Genus difficile vix niſi ſubtiliter ab Arabide diſtinguendum: Linnaeanum vagum plures ſpecies Naſturtio, Braſſicae, Sinapi et aliis reddit.

305. Sisymbrium Sophia *L.* — *Spr. hal.* 190.

306. Sisymbrium Loeselii *L.* foliis runcinatis utrinque pedunculis cauleque prolixe pilosis, laciniis oblongis sursum dentatis, extrema maxima subintegra sinuatoque dentata.

In aggeribus vor Eisleben, ad Schraplau, Wendelstein et aliis locis.

Pili caulis inferioris subreflexi: petiolorum caulis superioris, pedunculorum ipsarumque siliquarum basin versus patentissimi.

Varietates duplices observavi: 1) foliis utrinque pedunculisque glabris. 2) foliis triangularibus parce-dentatis, basi leviter runcinatis; laciniis linearibus subintegerrimis, caule simplicissimo. (Erysim. foliis pinnatis, extima pinna triangula *Hall. gott.* 248.)

307. Sisymbrium Irio *L.* — *Spr. hal.* 190. Equidem haud legi.

† 308. Sisymbrium multisiliquosum *Hoffm.* foliis runcinatis cauleque simplici erecto glaberrimis, laciniis inferioribus linearibus, mediis ovatis acutis utrinque inciso-dentatis, ramulis parce pubescentibus diffusis, siliquis lineari-filiformibus inflexo-patulis stylo exserto coronatis.

S. multisiliquosum *Hoffm. germ.* II. 50.
S. eckartsbergense *Willd. sp. pl.* II. 502. excl. syn. *Jacq.*

In montosis rupestribus ad Eckartsberge Thuring. inque similibus locis ad Biebram. Maj.

Radix sublignosa, flavescens, nisi perennis, certe biennis nec ut *Willdenowius* indicat,

annua. *Caules* teretes, laeves, glaberrimi, firmi, foliosi, pone radicem plerumque foliis emortuis aucti, simplices, superne in ramulos patentes, parce pubescentes divisi, pedales et altiores. *Folia* caulina inferiora petiolata, runcinata, utrinque glaberrima, pallide viridia, margine subtilissime cartilaginea et scabriuscula: laciniae inferiores lineares, subintegerrimae, intermediae ovatae, acuminatae, inciso-dentatae, dentibus acuminatis, integerrimis, lacinia extrema varia, plerumque sinuato-dentata: suprema oblongo-linearia, pinnatifida, laciniis filiformibus, integerrimis, patentibus, remotis. *Laciniae* calycinae lineares, apice obtuso fimbriatae. *Petala* obovata, obtusa, integerrima, citrina, in ungues pallidos, calyces subaequantes attenuata, fere Erysimi diffusi. *Pedunculi* teretes, inflexo-patuli, glaberrimi, centimetr. $\frac{3}{4}$ longi. *Siliqua* linearis, angustissima, glaberrima, nervosa, 3 — $4\frac{1}{4}$ longa, stylo tereti exserto stigmateque obtuso coronata.

Sisymbrium austriacum *Jacq.*, quod *Willdenowius* dubio S. suo subscripsit, secundum specimen ex horto gottingensi differt: pinnis foliorum radicalium ovato-oblongis basin versus unigrossèque dentatis, caulinorum superiorum integerrimis et maxime, siliquis duplo latioribus et brevioribus cauli appropinquatis.

Nomen triviale a *Willdenowio* datum, nimis specialiter stirpis locum designat, quae aliis etiam vicinis et dissitis minime deest Germaniae locis. Hinc Hoffmannianum, quod aptum satis esse videtur, introduxi.

L. CHAMAEPLIUM *Wallr.*

Siliqua teres, brevis, acuminata (subsessilis). Valvae convexae triplinerviae, basi truncata recte dehiscentes. Stigma subsessile emarginatum.

Genus siliquis brevibus, omnino teretibus, e basi incrassata sensim acuminatis (elongato-pyramidalibus), valvulis triplinerviis, pedunculis brevissimis incrassatis cauli adpressis, stigmate emarginato ipsoque habitu distinctissimum, ad quod denominandum χαμαίπλιον Graecorum (idem quod ἐρύσιμον) in memoriam vocavi.

309. Chamaeplium officinale *Wallr.* foliis runcinato-lyratis, laciniis ovatis sinuato-dentatis, extrema triloba, superioribus sagittatis, pedunculis brevibus siliquisque acuminatis hirsutis appressis. — (*Flor. dan.* 560.).

Sisymbrium officinale *Scop. carn.* n. 824. *Roth germ.* I. 291. *DC. gall.* IV. 672. *R. Brown.* I. I. 114.

Erysimum officinale *Linn.* et *auct.*

In ruderibus, ad vias suburbiorum abundat.

Hujus generis quoque sunt, ab agro halensi aliena:

Chamaeplium polyceratium *Wallr.* foliis repando-dentatis, siliquis sessilibus axillaribus aggregatis, dissepimento contracto cartilagineo marginato.

Chamaeplium supinum *Wallr.* foliis inferioribus oblongis sinuato-dentatis, superioribus lanceolatis subintegris basi attenuatis, siliquis subsessilibus axillaribus cylindricis hirsutis stigmate exserto coronatis.

LI. HESPERIS *L. ex emend. n.*
(*Schk.* t. 184.)

Siliqua linearis, ſtricta, ſubquadrigona. Valvae convexae ſubtrinerviae rectae. Diſſepimentum in ſoſſulas excavatum, marginatum. Stigma ſubſeſſile bilobum integrumve. Semina oblonga, immarginata.

†) *ſtigmatibus integris.*

310. Hesperis Alliaria *Wallr.* foliis cordatis ſinuato dentatis, inferioribus obtuſis, ſuperioribus acuminatis, ſiliquis demum inflexo patulis. (*Schk.* t. 183.)

Eryſimum Alliaria *Linn.* et *auct.*

Rajus jam *Tournefortio* praeeunte Heſperidum genus pariete integerrimo ſecundum longitudinem ſuum in foſſulas monoſpermas excavato diſtinguere praecipue, eaque nota adjunctis ſimul ex diſſepimenti incraſſato marginati, valvarum uninervium ex nervis lateralibus quaſi trinervatarum ſeminumque oblongorum in foſſulis deliteſcentium communione differentiis, mihi quidem gravioris momenti quam ſtigmatis proprietas, in generibus ſingulis (v. c. Eryſimo) ſatis ambigua eſſe videtur. Heſperis matronalis, triſtis aliaeque alteram ſectionem ſtigmatibus conniventi-bilobis inſignem conficiunt. Quaedam Heſperides Linnaeanae a generis notis modo ſtatutis abludunt et aut Malcolmiam *R. Br.* aut nova ineunt genera.

LII. BARBAREA *R. Br.*

Siliqua tetragono-anceps. Cotyledones accumbentes. Semina uniſeriata. (Calyx erectus. Glandula intra filamenta breviora. *R. Br.*

811 Barbarea vulgaris *R. Br* — Erysimum Barbarea *L.* et *auct.* Genus dubium in *R. Brownii* fidem retinui.

DIADELPHIA.

812. Ononis spinosa *L.* caulibus erectis ramulisque spinosis bifariam pubescentibus, foliis oblongis obtusis basi cuneata integerrimis, inferioribus ternatis superioribus simplicibus, floribus solitariis sessilibus, laciniis calycinis ovatis acutis legumine brevioribus. (*Schk* 1. 194. opt.)

α. latifolia *W.*

Ononis spinosa *Willd. sp. pl* 989 et *al. auct.*

O. spinosa β. *Linn. sp. pl.* II. 1006. excl. var. α.

O. arvensis β. spinosa *Smith. brit.* II. 758. excl. var. α et γ *Engl. bot.* t. 682. *Pers. syn.* II 289. *Leyss. hal.* 174. *DC gall.* IV 509.

Anonis spinosa flore purpureo *Bauh. pin.* 389. *Rupp jen.* 265

Ononis I. *Tabernaem. hist.* 913. opt.

β. angustifolia *W.*

Ad vias, in pascuis plurimis et versuris, quibus solum argillaceum subest abundat: β. in dumetis collinis ad Rossleben. Var. floris albis (Anonis II. fl. albo *Tabern.* 913. *Buxb hal.* 21.) passim (v. c. ad Pfitzenburg) occurrit.

Linnaeus sub Ononidis spinosae titulo, et O. nostram et O. hircinam *Jacq.* simul complectitur dataque in *Sp pl* definitione hanc modo nec illam exponit. *Smithii* et *Candollii*, auctorum gravissimorum descriptiones limatae qui-

dem, ob var. adjunctas tamen mixtae videntur nec O. ſpinoſae naturam, qualis hodie interpretanda eſt, rite complectuntur. En aliam.

Radix lignoſa, ſimplex, perpendicularis, nigricans, caules plurimos dumoſos ſurrectos ſuſtinens. Caules lignoſi, a baſi ſubadſcendente erecti, ſaturatius purpuraſcentes, jam parcius jam denſius bifariam pubeſcentes, ramoſiſſimi: ramuli caulis more pubeſcentes, annotini ſubinermes, annoſi omnes ſpineſcentes, folia floresque gerentes, inodori, nunquam hircoſi. Folia inferiora ternata, ſuperiora et ramulorum lateralium ſimplicia: foliola elliptica, apice ſubtruncata, argute denticulato ſerrata, baſi ſubcuneata integerrima, lineata, jam nuda, jam pilis ſimplicibus glanduloſisve adſperſa. Stipulae connatae, foliolis duplo minores, ovato ſubrotundae, apice bifidae, auriculis acutis, margine denticulatae. Flores in ramulis ſpineſcentibus axillares, ſolitarii, raro geminati, ſeſſiles ſ. breviſſime pedicellati. Vexillum ſubrotundum, ſtriatum, roſeum, alis oblongis obtuſis albeſcentibus vexillo carinaque longius. Calyx ſtriatus, ex pilis glanduliferis pubeſcens; laciniae ovatae, acutae, perſiſtentes, primum dilatato patentes, demum reflexae. Legumen rhombeum, lentiforme, glanduloſo piloſum, triſpermum, ſemine tertio aliquando abortivo, calycem ſuperans. Semina punctato-tuberculata, nigro-fuſceſcentia.

Linnaeo, Loeſelio, Hallero et *Candollio* obſervantibus On. ſpinoſa noſtra juventute ſpinis omnino carere, ſeneſcens demum illas acquirere dicitur. De illa *Rajus, Tabernaemontanus, Gouanus, Willdenowius* aliique jam recte dubitarunt: nobis ſaltem planta nunquam, ne annotina quidem, quae ſpinis magis herbaceis et minoribus inhorreſcit, inermis obvia fuit et auctores forſan ſequentem pro On. ſpinoſa habuerunt ſpeciminibus juvenilibus, ſpinis ſaepius deſtitutam.

Foliorum figura multum variat: jam enim exacte elliptica sunt, facile tamen in locis pinguioribus dilatantur et figuram ferme ovatam recuperant: jam apice truncato gaudent cum mucronulo interjecto, neque minus frequenter tamen cum apicis angustati mucronulo recurvo terminantur. Var. angustifolia omnibus partibus angustioribus caulibusque gracilioribus a vulgari haud mediocriter differt.

313. Ononis procurrens *Wallr.* caulibus basi radicante procurrentibus diffusis, ramulis floriferis adscendentibus undique pubescentibus, foliolis ovato-subrotundis utrinque glandulosis, laciniis calycinis lanceolatis acuminatis legumen dispermum superantibus.

Ononis arvensis α. *Smith. brit.* II. 753. excl. var. β. et γ.
On. arvensis *Hudf. angl.* 313. *Leyss. hal.* 174. *Schk. Handb.* II 335. *Roth. germ.* II. 167. nec *Linn.* et *Retz.*
On. hircina *Hoffm. germ.* II. 75. excl. syn. — *Spr. hal* 202. excl. syn.
Anonis *Blackw. herb.* 1. 301. f. II. III. (mediocr.).
?An. non spinosa repens *Moris. hist.* I 169.
An. spinis carens *Rupp. jen.* 265. *Buxb. hal.* 21. excl. syn. *Bauh.*

In campis arenosis herbidis editioribus, ad Nietleben, Eisdorf, Rolsleben, Lodersleben et alibi frequens. Arenam nunquam deserit. In solo macro inermis: in pinguiore et culta spinas, magis tamen herbaceas ac mitiores acquirit, unde varii auctores jam de ramulis inermibus jam de spinescentibus loquuntur.

Radix lignosa, altitudine 1 — 3-pedali terram penetrans, superne in alias radices multicipi-

tes vageque procumbentes diviſa et protenſa. Caules baſi decumbente procumbentes; dein adſcendentes, minus lignoſi, diffuſi, undique piloſi, multo frequentius inermes, rarius tamen generis natura [illegible] ſpineſcentes. Folia ut praecedentis: foliola ovato-ſubrotunda, margine undique denticulata, utrinque ſicut reliquae partes pilis glanduliferis tecta, pallide-viridia. Stipulae connatae, e forma ovata ſubrotundae, denticulatae, majores quam in praecedente. Flores axillares, ſubſeſſiles, ſolitarii. Corollae color ejusque partes ut in priore, plerumque tamen omnes ſpecioſiores. Calyx pilis glanduliferis viſcidus et ſicut ramuli juniores ex illis odorem ſui generis ſ. cimicinum vel ſimilem quemdam redolentes: laciniae calycinae lanceolatae, acuminatae, diu conniventes, demum primum patentes. Legumen ut in praecedente, minus tamen et diſpermum, rarius monoſpermum, ſemine altero nonniſi abortivo, laciniis calycinis duplo brevius. Semina punctato-tuberculata, pallido-fuſceſcentia.

Differentiae, ut melius pateant, ſequentem addere jubet *σχεσιν*. Differt enim noſtra ab On. ſpinoſa *L.*: 1) habitu demiſſo, patulo, triſti: qui in illa, elatus, preſſus, dumoſus ac laetus eſt. 2) herba dilute-vireſcente et pilis glanduloſis quaſi pubeſcente, odore ſui generis (cimicino) jam parciore jam fortiore: quae in illa, laete viret nec, quamvis ſingulae partes glandulas ſimiles induant, unquam foetet. 3) radice fuſiformi in alias longe lateque ſerpentes protenſa, quae in *On.* ſpinoſa et miti *L.* ſimplex in ipſos caules abit. 4) caulibus baſi longe lateque radicante procumbentibus, ramulis adſcendentibus ſubinermibus Thymi Serpylli more undique procurrentibus: qui in illa e radice fruticulos dumoſos erectos emittunt. 5) foliis ovato-ſubrotundis rotundatisve, glandulis pedicellatis plurimis tectis, dilute-viridibus: quae in illa, varia quidem, plerumque tamen elliptica, in baſin cuneiformem attracta, glandulis parcius adſperguntur et

laete virescunt. 6) stipulis ovatis, obtusiusculis: in illa oblongis, acutis. 7) laciniis calycinis lanceolatis, legumine longioribus: quae in hac similes quidem, e basi ovata tamen acutae et legumine breviores sunt. 8) leguminibus dispermis, seminibusque rufescentibus: quae in illa trispermia, semina e nigro variegata includunt.

Duplices exstant in *Systém. plant.* species, cum nostra aut attentius conferendae aut ab auctoribus commutatae. Haec Ononis arvensis *L.* s. *O. hircina Jacq.*, mihi ex specimine ex Silesia misso, ex qua *Clusius* etiam suam Trifolii majoris et foetidi nomine accepit, nota: illa On. repens *Linn.* est minusque ignota. De utraque igitur ad species modo uberius descriptas illustrandas, quae habeo, adjungam.

Ononis repens *L.* mihi dubia est et aliis etiam erit. *Smithius* enim et *Candollius*, quam *Linnaeus* cum *Raji* et *Dillenii* synonymis caute distinxerat et Monae insulae litoribusque anglicis indigenam habuerat, On. arvensi tute subjungunt et pro varietate mera declarant. *Willdenowius* utramque distinctam enumerat et differentias juxta *Linnaeum* obiter exponit; omnes prorsus auctores in eo consentiunt, On. repentem On. spinosae perquam affinem esse et vix nisi caulibus procumbentibus, undique diffusis et statura minore differre. Haec vero descriptio brevis plantaeque cum congeneribus affinitas admonent ut ejus populares hanc dubiam denuo inquirant et a reliquis curiosius definiant meque edoceant an On. repens ex Angliae maritimis, ad quam *Linnaeus* et *Smithius Raji* et *Dillenii* synonyma nec alia referunt, cum On. procurrente mea conjungi sive denuo distingui debeat. Quam ex horto hal. eo nomine tuli a modo descripta vix nisi notis ignobilibus differre videtur.

Alteram, quacum On. procurrens a plurimis flor. german. et nominatim ab *Hoffmanno* et

Sprengelio commutata est, data occasione fere ita interpretor:

314. Ononis arvensis *Linn.* floribus subgeminatis, foliolis oblongo-lanceolatis acutis argute-serratis, caulibus erectis ramulisque inermibus pedunculisque undique villosis subviscidis. — *Flor. dan.* t. 1584. opt.

Ononis hircina *Jacq. Ait. Willd.* nec *Hoffm. Spr.*
On. arvensis *Retz.* obs II. 21. *Ehrh. Beytr.* V. 23. *Linn. suec.* n. 622. *Roth. germ.* II. 108 excl. syn. pl. nec *Lightf. Hoffm.*
On. foetens *All. ped.* 1104. t. 41. f. 1.
On. altissima *Lam. dict.* I. 506. *DC. gall.* IV. 609.
On. spinosa α. mitis *Linn. sp. pl.* 1006.
Anonis purpurea spicata perennis longifolia, siliquis erectis lentiformibus *Volckam. norimb.* 33.
Anonis purpurea spicata erecta perennis longifolia, siliquis erectis lentiformibus *Moris. hist.* I. 169.
An. spinis carens purpurea *C. Bauh. pin.* 389. excl. syn. *Gesn.*
An. non spinosa purp. *J. B. hist.* II. 393. *Chabr. stirp.* 168.
An. III. non spinosa *Tabern. hist.* 913. (bona).
An. mitior I. *Clus. hist.* I. 99. (bona).

In Silesia uberrima: hinc On. vulgaris nomine inde accepi: nec quoque ab aliis Germaniae locis aliena, in agr. hal. autem exsulat.

315. Vicia cassubica *L.* pedunculis multifloris folio multijugo brevioribus, foliolis ovato-oblongis mucronatis pubescentibus supra legumi-

nibusque oligospermis punctatis. — *Flor. dan.* t. 1395.

† 316. ?VICIA MULTIFLORA *Poll.* pedunculis multifloris folio multijugo brevioribus, foliolis oblongo-lanceolatis mucronatis costatis subtus saturatioribus, leguminibus ovatis submonospermis epunctatis. — V. multiflora *Poll. pal.* II. 307. nec *Leyss.*

In dumetis herbidis der Steinklippe.

Dubie propono differentias ex speciminibus fructiferis subtiliter forsan conquisitas, aliis locis et plantis ulterius comprobandas.

† 317. VICIA TENUIFOLIA *Roth.* pedunculis multifloris folia subaequantibus, floribus subimbricatis, foliis linearibus, vexillo alas subaequante, calycibus ventricosis, dentibus posticis obtusis, leguminibus oblongis supra apicem rotundatum abrupte acuminatis.

Differt V. tenuifolia *Roth.* a V. Cracca *L.*: 1) caulibus minoribus, surrectis, qui in hac, exaltati, orgyales sunt; 2) foliolis angustioribus, exacte linearibus, centim. 2 longis, subtus pubescentibus, saepius fere discoloribus, quae in hac lanceolato-linearia, duplo longiora et latiora esse solent laeteque virent; 3) floribus laxe imbricatis, paucioribus, violaceis, saturatioribus, qui in hac e violaceo coerulescunt, longiores et conferitores sunt et ex vexillo alas excedente componuntur; 4) leguminibus oblongis, utrinque extus obtusis s. rotundatis et supra apicem rotundatum stylo residuo terminatis, quae in hac, lanceolata, duplo longiora utrinque sensim angustantur inque stylum producuntur.

† 318. Lathyrus Aphaca *L.* pedunculis unifloris, cirrhis aphyllis, stipulis sagittato-cordatis. *L.*

Inter segetes unweit Biebram, quo itur ad Koesen. Aug.

319. Lathyrus intermedius *Wallr.* pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis oblongo-lanceolatis concoloribus utrinque obtusis internodio membranaceo latioribus subtrinerviis, nervis in mucronulum excurrentibus, stipulis linearibus.

Lathyrus latifolius *Hoffm. germ.* 79. *Leyss. hal.* 177. *Spr. hal.* 203. et fere omn. auct. fl. germ.
L. sylvestris β. platyphyllus *Retz. prodr.* n. 882. *Willden. sp. pl.* II. 1089. *Müll. fl. dan.* t. 785.
L. angustifolius *Schk. Handb.* III. 355.
L. latifolius β. angustifolius *Haller. gott.* 290. *Murr. gott.* 66. *Roth. germ.* II. 178.
L. sylvaticus Riv. *Rupp. jen.* 259. excl. syn.
L. latifolius *Buxb. hal.* 180. excl. syn.
L. sylv. latifolius var. angustifolia *Camer. hort.* 84.
L. maj. sp. fl. rubente et albido minore dumetorum s. germanicus *Raj. syn.* 319.
L. sylv. major s. purpureus *Thal. herc.* 74.

In nemusculo subhumido ad Doellnitz et aliis locis.

Caules orgyales, cirrhis multifidis longis scandentes, internodiis membranaceis foliola subaequantibus intercepti. Foliola bijuga, oblongo-lanceolata, concolora, utrinque obtula, centimetr. 6 — 7 longa, $1\frac{1}{2}$ lata, 3 — 5-nervia, nervis primariis cum aliis venis interjectis anastomis, in

mucronulum parvum excurrentibus. Stipulae lineares, simplices, angustissimae. Flores L. sylvestris majores, Spr. teste rosei. Legumina L. sylvestris, at majora.

Dubie propono et in memoriam revoco stirpem et synonymis et differentiis vexatam, me judice ab antiquissimis rei herbariae statoribus minime praetervisam, et ab his aliisque recentioribus aut pro L. latifolii var. angustifolia, aut ab aliis, ex quorum numero *Ruppius*, *Buxbaumius*, *Leysserus*, *Sprengelius* ex locis natalibus et *C. Bauhinus* et *Smithius* ex synonymis sunt, pro L. latifolio ipso: aut iterum alii, si ut *Retzius*, *Müllerus*, *Willdenowius*, *Rothius* et *Schkuhrius*, pro L. sylvestris habitam varietate. Ex tanta auctorum dissentientium ambiguitate utriusque speciei cum nostra summa elucet adfinitas. Nostrum a Lath. latifolio *Linn.* diversissimum omnium hujus sp. partium ratio declarat. Difficilius autem, qui inter utrumque quasi medius est a L. sylvestri dignoscitur utque differentiae a me ex foliolorum figura et nervorum proprietate, quam in his plantis constantiae parem nec fallacem cognovi, summae denuo explorentur ac curiosius ponderentur, flagitat. Ut differentiae L. latifolii *L.* melius innotescant, definitionem addere lubet.

Lathyrus latifolius *L.* pedunculis multifloris, cirrhis diphyllis, foliolis ovato ellipticis membranaceis subtus subglaucescentibus 3 — 5-nerviis, nervis in mucronulum excurrentibus, stipulis hastatis ovatis acuminatis nervosis petioli alati latitudinem aequantibus.

L. latifolius *Linn. sp. pl.* II 1033. *Willd. sp. pl.* II. 1091: excl. syn. *Mattuschk. Hoffm. Roth.* — *Smith. brit.* II. 767.

excl. syn. *Fl. dan.* et *Camer.* — *DC. gall.* IV. 583 excl. syn. *Camer.*

L. pedunculis multifloris, caule alato, foliis et floribus maximis *Crantz. austr.* 383.

L. latifolius *C. Bauh. pin.* 344. excl. syn. *Thal.* et *Tabern.* — *Moris. hist.* I. 51. II. 2. f. 3.

L. latifolius sylv. *Camer. hort.* 84. *Garid. prov.* 271. t. 108.

L. major latifol. fl. purpureo specioso *J. Bauh.* II. 301. *Chabr. stirp.* 145. f. 2.

In Europae australis sepibus dumetisque.

Differt a Lath. intermedio nostro: foliis ovato-ellipticis, obtusis, centimetr. 4 — 5 longis, 1½ f. 2 latis, glaucescentibus, trinerviis, nervis in mucronulum excurrentibus, stipulis majoribus, internodiorum latitudinem subaequantibus, floribus speciosis, roseis L. annui aemulis, laciniis calycinis ovatis longioribus et aliis notis.

320. Lathyrus palustris *L.* pedunculis multifloris, cirrhis bi- triphyllis, foliolis oblongo-lanceolatis utrinque obtusis internodio membranaceo latioribus venoso-nervosis, nervis in mucronulum excurrentibus, stipulis lanceolato-linearibus acuminatis.

In salicetis inter Doellnitz und dem Dreyerhause.

Bracteae sub pedunculis minutissimae. Folia fere Viciae biennis, oblongo-lanceolata, nec ensiformi-lanceolata, qualia a cl. *Sprengelio* (*hal.* 204.) adscribuntur.

† 321. Lathyrus viciaeformis *Wallr.* pedunculis multifloris, cirrhis polyphyllis, foliolis lineari-lanceolatis obsolete-trinerviis utrinque

acuminatis internodia membranacea subaequantibus, stipulis semisagittatis subconformibus.

Unicum superest specimen, ni fallor in dumetis ad Doellnitz lectum, ex quo sequentem exorbeo descriptionem ut populares dubiam speciem nec satis notam denuo inquirant.

Caulis simplex, debilis, 1 s. $1\frac{1}{2}$-pedalis, Viciae angustifoliae habitum haud male fingens: internodia caulina membranacea foliorum longitudine foliorumque latitudine. Folia sexjuga, cirrho simplici s. 2 — 3-partito: foliola lineari-lanceolata, acuminata, mucronata, obsolete-trinervia, saturate-viridia, $3\frac{3}{4}$ centim. longa, $\frac{1}{4}$ lata. Pedunculi folia superantes, 4 — 6 flori, bracteis linearibus pedicello multoties brevioribus et longioribus quam in L. palustri suffulti. Stipulae semisagittatae, lanceolatae, foliolis subconformes: auriculis posticis illas subaequantibus. Calyx glaberrimus: laciniae calycinae inferiores lineares, margine *parce ciliatae*. Corolla violacea, Orobi tuberosi magnitudine. *Legumen non vidi.*

322. Astragalus exscapus *L.*, qui a *Knauthio* et *Buxbaumio* (*hal.* 32.) primum describitur, omnibus praeter corollam partibus, pilis patentissimis lanatus est. Minime itaque calyces adpresso pilosi, quos *Willdenowius* et *Sprengelius* A. exscapo adscribunt, cum natura congruunt. Nec quoque legumina oblonga sunt sed ovata, acuminata, turgida. Quomodo denique legumina calloso pubescentia, qualia a *Pallasio* (*astrag.* p. 78.) et legumina hirsuta compressa, qualia a *Candollio* (*syn.* 357.) in Astr. exscapo laudantur, quorum pubes a reliquis partibus haud diversa est plane non intelligo. — In collibus apricis der Steinklippe abundat et nuper etiam ab amicissimo *Kaulfufs* ad Seeburg lectus est.

323. Oxytropis montana *DC.* Phaca montana *Crantz.* *Wahlenb.* f. Aftragalus montanus *Linn.*, quem a cl. *Schwaegrichenio* in agro halenfi detectam *Sprengelius* (*hal.* 207.) indicat et tab. VIII. f. 1. icone illuftrat, a me nunquam lecta, mihi dudum jam dubia fuit. Quorfum enim in icone, planta acaulis! quorfum flores laxi et carina mucronata funt, quibus notis Oxytropis vera excellit. Releganda igitur alpium incola ex indigenis: iconi autem Aftr. hypoglottidis nomen fubfcribendum et ad illum citanda.

324. Melilotus officinalis *Willd.* leguminibus racemofis difpermis reticulatis pilofis demum nigricantibus, vexillo fufco-ftriato alisque carinam aequantibus, foliolis lanceolato-oblongis obtufis remote-ferratis, caule erecto ramofo patentiffimo. (*Flor. dan.* t. 934. opt.)

M. officinalis *Willd. enum.* II. 790. *DC. gall.* V. 563.
M. officinalis α. *Linn. fp. pl.* II. 1078. excl. var. β etγ.
M. vulgaris *Park.* *Buxb. hal.* 212.
M. officin. german. *C. Bauh. pin.* 331. excl. fyn. nonnull. et var. fl. albis. — *Rupp. jen.* 256. *Tabern. hift.* 895.
Trifolium odoratum f. M. vulgaris fl. luteo *J. Bauh. hift.* II. 370. *Chabr. ftirp.* 158. f. 5. *Morif. hift.* II. 161. f. III. 16. 2.

Ad ripas Salae, in falicetis bey der Kröllwitzer Papiermühle, im Lettin'schen Werder, in horto nofo omni urbis, in pratis udis ad Paffendorf, ad fylvarum caeduarum oras ad Lodersleben etc. Variat floribus albis prope Heringam Thuring.

Radix vafta, alba, in pl. majore in locis pinguioribus nata, fubnapiformis, biennis. Caulis ftrictus, fubfimplex vel a radice inde in ramulos

multos patentiſſimos diviſus, validus, orgyalis et altior. Foliola infima et primordialia ſubrotunda, baſi ſubcuneiformia, integra: reliqua omnia oblongo-lanceolata, baſi attracta, apice rotundata cum apiculo, margine dentibus plus minusve mucronatis, remotis, regularibus ſerrata, centimetra 3 fere longa, ¾ lata, diametro ſubaequali. Stipulae ſubulatae, integrae. Corolla ſpecioſa, odora: vexillum baſi venis fuſcis pictum alaeque carinam exacte aequantes. Legumina ovalia, marginibus compreſſa, media parte utrinque convexiuscula, ſtylo reſiduo apiculata, plerumque diſperma, obſolete reticulata, pilis ſparſis adpreſſis tecta, Onobrychidis ſativae paullulum minora, ſemper a juventute inde nigricantia. Semen punctis glandulaeformibus leviſſime prominulis undique inſcriptum, hilo-profunde inciſo, ſatis magnum.

Trifolium odoratum *Thal.*, Melilotus officinarum Germaniae *C. Bauh* et Trifolium officinale *Linn.* et *auct.* tituli ambigui ſunt et plures ſpecies acute diſtinguendas complectuntur. Exacte noſtra deſcribitur a *Moriſono*, qui ne legumina nigra quidem ſilet. Indicat etiam, etiamſi haec et M. vulgaris fl. albo poſt ſeminum maturitatem pereant, ſi mitis fuerit hyems, ex eadem denuo pullulare radice. Nos de Melilotorum indigenarum duratione ancipites quidem haeremus, plurimas tamen niſi perennes, biennes habemus. Quid de Meliloto macrorrhiza et paluſtri *Kit.* (*pl. rar. Hung.* t. 26. et t. 256.): quid denique de M. altiſſima *Loiſ.*, quas alibi (*ann. bot.* 88) forſan nimis promiſcue M. offi inali ſubſcripſi, judicandum ſit numque ea ſynonyma ex Meliloti arvenſis noſtrae commutatione proficiſcantur, aliis relinquo.

325. Melilotus arvensis *Wallr.* leguminibus racemoſis ſubdiſpermis ovatis acutis transverſe-rugoſis nudis demum helvolis, alis vexilloque aequalibus carinam excedentibus, fo-

liolis obovatis irregulariter dentatis, caule basi ramosissimo adscendente.

α. floribus citrinis.

?M. lutea minor, floribus et siliculis minoribus spicatis et dense dispositis *Moris. hist.* I. 161. f. II. 16. 5.

M. sylvestris flore luteo *Fuchs. hist.* 104. *Tabern. hist* 893. f. 2.

Lotus urbana *Matth. Kraeuterb.* 252. *Camer. epit.* 893.

β. floribus albis.

M. Petitpierreana *Hayne Willd. enum.* 790.

Lotus sylvestris fl. albo *Tabern. hist.* 893. f. 1.

Inter segetes, in murorum grumis inque suburbiis in solo argillaceo macro minime rara.

Radix fusiformis, perpendicularis, fusca, annua, caules plures sustinens. Caules a basi inde ramosi et foliosi, declinati, adscendentes, pedales sesquipedales, graciliores quam praecedentis. Foliola inferiorum subrotunda: caulinorum obovata, apice emarginata, retusa, margine dentibus brevissimis inaequalibus dentata, centimetr. 1½ longa, unum lata, suprema sensim minora et angustiora. Corolla citrina rarius alba in eodem loco; vexillum concolor alas aequans, carinam superans. Legumen transverse plicatum, indeque fere rugulosum, glaberrimum, monospermon, helvolum demum fuscescens. Semina laevigata, hilo obsoleto notata.

Melilotum nostrum, ut olim, nunc quoque cum M. officinali vera, omnibus partibus distinctissima, commutari et ad usum medicum colligi, vereor. Plures sunt veteres, qui duplices statuant Meliloti citrinae, odorae species, sylvestrem et urbanam, et vernacula, nostram Steinklee, praece-

dentem Honigklee appellent. Complures alii vero utrumque nomen promiscuum habent. De veterum synonymis certus sum et plura forsan a *C. Bauhino* sub M. officinarum Germaniae titulo bicipite allata ad hanc potius quam ad illam pertinent. *Morisoni* plantam ex Delphinatu acceptam ex descriptionis fide subscripsi: caules pedales enim, foliola reliquis minora et ad extremum rotundiora, legumina fusci coloris, minora cum nostra bene congruunt. Simili ratione M. Petitpierreanam *Willd.* huc retuli: in agro nostro flores citrinos frequentius vidi. Nomen mutavi nec plantam germanicam, satis vulgarem, peregrino et nobili designare volui. Quamvis praeter florum colorem et generis communionem, nullam plane sciam cum M. officinali vera similitudinem, differentias tamen addere lubet. Differt enim: 1) caulibus adscendentibus, diffusis, brevioribus: qui in illa, simplices orgyales in ramulos patentes dividuntur. 2) foliis caulinis omnibus obovatis, inaequaliter parciusque dentatis: quae in illa oblonga et serrata sunt. 3) corollis paullulum minoribus, alis vexilloque aequalibus carina majoribus, quarum partium longitudine in priore aequalis est. 4) leguminibus plicato-rugosis, glabris, helvolis: quae in illa majora, magis laevigata semper nigricant et pilis raris adpressis ut Medicaginis sativae legumina obteguntur. 5) seminibus epunctatis, minoribus hiloque minus profundo notatis: quae in illa, punctulis glandulaeformibus, fere oleosis hiloque exciso satis insignia sunt.

†. 326. MELILOTUS VULGARIS *Willd.* leguminibus racemosis monospermis ovatis reticulatis sordide herbaceis demum fuscis, alis carinam subaequantibus vexillo brevioribus, foliis obovatis crenatis, caule erecto.

M. leucantha Koch. *DC. gall.* V. 564.

M. vulgaris *Willd.* enum. II. 790.
M. officinalis β *Linn.* sp. pl. II 1078.
M. 3 flore candido *Dodon. Parkinſ. Buxb.*

In vineis ad Bennſtaedt, Rolsdorf: in ruderibus murorumque grumis. Jul.

Neque ſynonyma, quae minime ex florum colore promiſcue ad hanc referenda ſunt neque totius plantae natura mihi ſatis patet et ulterioris examinis indiget. Caules erecti, pedales, bipedales ſunt. Folia fere M arvenſis. Corolla alba (?ſemper), inodora. Legumina tenuiter reticulata, ſordide-herbacea, demum fulceſcentia. Semina ut in M. arvenſi. De corollae proportione auctores bipartiuntur *Willdenowius* M vulgari alas carina longiores et vexillo breviores: *Kochius* vero, *Candollio* narrante, alas carinam aequantes vexillo breviores M. leucant ae adſcribit eaque proportio in noſtris quoque redit. An igitur noſtra et Willdenowiana eadem aut priorum varietas? Corollae color, cui auctores plenam impertiere fidem, me judice, anceps eſt.

527. MELILOTUS DENTATA *Willd.* leguminibus racemoſis diſpermis ovalibus compreſſis laevigatis nudis demum nigreſcentibus, alis carinam aequantibus vexillo brevioribus, foliolis oblongis argute ſerrulatis, caule e baſi ſubadſcendente erecto.

M. dentata *Willd.* enum. 790.
Trifolium dentatum *Waldſt. et Kit.* I. 41. t. 42.
M procerior majoribus et oblongis foliis, flore luteo *Dill.* app 18 *Buxb.* hal. 212.
Trif odoratum f M lutea ſiliculis longioribus *Dodon. Moriſ.* hiſt. I. 161. et 163. n. 3 ſ. II. 23. 6.

β. ANGUSTIFOLIA *W.*, foliis linearibus.

Circa urbem ad vias inque pratis abundat: in ſalſis ad Wansleben, Roeblingen et aliis innumeris locis: var. β. in pratis ſalſis vor Langenbogen.

Differt a M. officinali, quam *Moriſonus* jam huic ob legumina nigricantia ſimilem habet: 1) caulibus a baſi adſcendente inde ſurrectis. 2) foliis oblongis argute ſerrulatis, ſerraturis approximatis fere mucronatis, quae in illa lanceolata magis et remote ſerrata ſunt. 3) ſtipulis baſi diviſis. 4) racemis brevioribus floribusque multo minoribus, inodoris eorumque alis carinam aequantibus vexillo brevioribus. 5) leguminibus nudis, magis oblongis fere ut Ervi tetraſpermi, quae in illa pilis adpreſſis ſemper pubeſcunt. 6) ſeminibus minoribus epunctatis totoque denique habitu herbaeque colore ſaturatius viridi.

Folia exſiccando rigidiuscula evadunt.

328. TRIFOLII ARVENSIS var. *ſylvaticam* habeo, in nemoroſis ad Lodersleben et aliis locis lectam, caule bipedali, ramoſiſſimo, foliolis lineari-lanceolatis, ſpicis oblongis longe pedunculatis a forma vulgari quodammodo alienam, quae inter plantas Hoppeanas *Trif. collini H. et Hornſch.* nomine triviali redit. Attamen mera Tr. arvenſis varietas eſt ex loco natali eoque nomine nequaquam inſignienda, quo *Baſtardius ſuppl.* 5. et *DC. gall.* V. 560. aliam et diſtinctam intelligunt.

† 329. CORONILLA MONTANA *Rivin.* ſubherbacea, caulibus erectis, foliolis ſeptenis undenisve irregulariter ovatis mucronatis, glauco-viridibus, inferioribus cauli appropinquatis, ſtipulis oppoſitifoliis oblongis emarginatis, umbellis multifloris.

Coronilla montana *Riv. tetr.* 207. *Rupp. jen* 267. *Buxb. hal* 85. utrq. excl. syn. *C. Bauh* — *Scop. carn.* n 912. t. 44. *DC. synops.* 303. *gall* V 583.

C. coronata *omn. fere auct. fl. germ.* nominatim: *Willd. sp. pl.* III. 1151. ex definit. et syn. *Rivin. Hall.* — *Wohll. supp.* 32. excl. syn. *L.* — *Roth. germ.* II. 212 excl. syn. *L. Hoffm. germ.* 86. *Spr. hal.* 212 excl. syn. *J. Bauh. Schk. Handb.* III. 378 ex loco nat. — *Ehrh. Beytr.* III. 63. *Hoppe pl. exs. cent.* aliorumque.

In collibus apricis ad Schmon, Biebra: extra fines ad Steigerthal, Sondershausen, am Strausberg ubertim, omnibus scilicet locis, quibus solum calcareum subest.

Herba glauco-virens. Radix sublignosa, flavescens, caules plures sustinens. Caules inferne sublignosi, herbacei, teretes, estriati, *laevissimi*, rore subtilissimo tenuiter caesii, erecti, in apricis maris spithamei, in *umbrosis dumetisque* vero 1 — 2 pedales et altiores. Folia multijuga: foliola 7 — 11, *irregulariter* ovata i. e. plus minusve obliquata, brevissime petiolata, basi obtusa, apice plus minusve ovato cum mucronulo superinjecto, *tenera*, glaberrima, ut tota planta glauco-viridia, centimetr. 2 longa, $1\frac{3}{4}$ lata: extremum impar exacte obovatum, majus, inferiora duo cauli appropinquata. Stipula oppositifolia, oblongata, semiamplexicaulis, apice truncata, leviter emarginata, submembranacea, albo-viridescens, in pl. florifera jam fere semper caduca. Pedunculi caulis instar teretes, tenuiores tamen, folia superantes. Umbella multi-(20 — 25-) flora. Flores belle citrini, pedicellati, inodori, Loti corniculati magnitudine. Calyx semiovatus, brevissimus: laciniae calycinae superiores emarginatae, obtusae: inferiores acutae, omnes brevissimae. Legumina lineari-lanceolata, compresso-tereiuscula, 3 — 4-articulata: articuli ovales, utrin-

que leviter angustati et margine elevati, monospermi: ultimus stylo acuto terminatus, saepius abortivus. Semina oblonga, utrinque obtusissima, glaberrima, aeneo-virescentia.

Stirps pulcherrima in agro halensi jam rarescere incipit, quoniam vetulae medicastrae, *Buxbaumio* jam narrante, studio irreparabili herbam persequuntur eaque foliorum Sennae loco utuntur. Nostram a *Rivino*, *Ruppio* et *Buxbaumio* jam caute distinctam, a *Willdenowio*, *Sprengelio* et omnibus fl. germ auctoribus cum C. coronata *Linn.*, ad quam Coluteam scorpioidem II. *Clus. hist.* I. 98. citavit, commutatam esse, miror. Auctores modo laudati neque id neque C. *Bauhini* synonymon allegant, nostram vero simili errore cum C. scorpioide humiliore *Clus.* et C. siliquosa minore commutant, quae secundum *Clusii* iconem a *Tabernaemontano* (*hist.* 1504.) mutuatam et descriptionem a nostra toto coelo, a C. Emero autem plane non aliena differt.

Quatenus C. coronata *Linn.* vera a nostra differat non solum ex *Linnaei* definitione et synonymis sed quoque ex adnotatione addita et a *Willdenowio* fideliter exscripta elucet: foliola obovata, distantia, infima cauli approximata ut in Vicia pisiformi, tamen stipulas non esse sed foliola. — En meam C. coronatae definitionem:

Coronilla coronata *L.* suffruticosa, foliolis 7—9nis obovato-ellipticis mucronulatis crassiusculis, inferioribus cauli appressis, stipulis oppositifoliis minimis emarginatis, umbellis 5—10-floris.

In collibus lapidosis Austriae Galliaeque australis: circa Moguntiam etiam Koelero observante.

Synonymis, quae ex supra dictis facile patent et addiscuntur, addantur: C. montana *Schk.*

Handb. III. 378., Colut. Polygala Enneaphyllos *Moris. hist.* I. II. 10 6., Colut. scorpioides Corrusi Polygalae similis *Chabr. stirp* 81. f 3 — Cf. descriptio in *DC gall.* IV. 608.

Similis error in *Coronilla minima Linn* a fl. germ. auctoribus indicata redit, quae for an in flora patrua exsulat. Alia enim eaque multo rarior nec a *Willdenowio* quidem visa et pro Italiae indigena habita, in agro thuringiaco prope Arnstadium rarius occurrit:

CORONILLA VAGINALIS *Lam.* suffruticosa, foliolis subundenis obovatis cartilagineo-marginatis, stipulis membranaceis ochreato-vaginantibus emarginatis foliolorum magnitudinem subaequantibus, umbella pauciflora.

De hac hactenus modo obiter: fusius in thuringiacis! —

330. MEDICAGO FALCATA *L.* racemo ovato, foliolis linearibus retusis apice dentatis in basin integerrimam angustatis, leguminibus falcatis adpresso-pilosis; caule prostrato diffuso: (*Schk.* t. 212. a. opt.).

β. VERSICOLOR *Wallr.*, floribus pallide-coeruleis demum flavescentibus.

Medicago media *Pers. syn.* II. 356
M. sativae var. fl. pallide coeruleis demum flavescentibus *Willd. sp. pl.* III. 1405.
M. falcatae var. fl. e colore violaceo cum flavo conjuncto *Smith. brit.* II. 796.

In coemeteriis, in aggeribus ad Trotha, Bottendorf et alibi.

Var. β. *Willdenowius* pro M. sativae: *Smithius* pro M. falcatae varietate; *Persoo-*

nius autem pro ſpecie diſtincta declarat: equidem pro progenie hybrida ex M. ſativa patre, et M. falcata matre habeo. — Similem ſulum in M. ſativa rariſſime obſervavi, floribus flavis variante, ex M. falcata patre et M. ſativa matre genita.

331. Lotus corniculatus *L.* capitulis depreſſis, caulibus ramoſis e baſi ſuffruticoſa decumbente ſurrectis, leguminibus cylindricis teretibus.

α. campestris *Wallr.*, foliolis ſtipulisque oblique-ovatis margine ciliatis.

†) glaber, foliolis utrinque calycibusque glaberrimis. *Flor. dan.* t. 991.

L. arvenſis *Schk. Handb.* II 211. — *Roth. germ.* II. 227.. *Perſ.* in *Uſter. N. Ann.* VIII. 38.
L. corniculatus *Linn.* et *auct.*
L. pentaphyllos minor glabra *C. B. pin.* 332. *Buxb. hal.* 197.
L. corniculata glabra minor *J. B. hiſt.* II. 356. *Chabr. ſtirp.* 157.

††) hirsutus, foliolis utrinque calycibusque hirſutis.

L. villoſus *Thuill. par.* II. 387.
L. corniculatus γ. *DC. gall.* IV. 555.
L. pentaphyllos minor hirſuta *C. B. pin.* 332.
L. Rivin. var. fol. hirſutis *Rupp. jen.* 267.
L. corniculata minor, foliis ſubtus incanis *Dill.* in *Raj. ſyn.* 334.

†††) crassifolius, piloſus, foliolis ovatis carnoſulis, caulibus proſtratis, radice craſſa fibroſa. *Perſ. ench.* II. 354.

β. uliginosus, caulibus erectis proceris glaberrimis fiſtuloſis, ſtipulis ſubcordatis foliola ſubaequantibus.

L. uliginosus *Schk. Handb.* II. 412. t. 212. *Hoffm. germ.* II. 105. *Perf. ench* II. 354. *Hornem. fl. dan.* t. 1521. opt.
L. riparius *Perf.* in *Ufter. N. Annal.* VIII. 39.
L. major *Scop. carn.* n. 936.
L. corniculatus β. major *DC. gall.* IV. 555.
L. corniculatus β. *Linn. fp. pl.* — α. *Spreng. hal.* 213.
L. pentaphyllos flore majore luteo fplendente *C. B. pin.* 332. *Buxb. hal.* 197. *Rupp. jen.* 267. *Leyss. hal.* 186. *Poll. pal.* n. 711.
L. corniculata major fpecies *J. Bauh.* II. 350. *Chabr. ftirp.* 157. f. 3.

γ. TENUIFOLIUS, caulibus gracilibus elongatis diffufis, foliolis oblongo-lanceolatis acuminatis ftipulisque conformibus.

L. tenuifolius *Poll. pal.* n. 711. *Schreb. fpicil.* 27.
L. corniculatus γ. *Linn. fp. pl.* II. 1092. *Willd. fp. pl.* III. 1395. — var ε *DC. gall.* IV. 556. — β *Perf. ench.* II. 354 — *Roth. germ.* II. 228.
L. pentaphyllos frutefcens, tenuiffimis foliis glabris *C. B. pin.* 332.
L. pentaphyllos minor, anguftioribus foliis fruticofior *Raj. fyn.* 334.

Var. α. in campeftribus ubertim; β. in uliginofis et pratis irriguis (Roitfch, Seeben); γ. in pratis inque fepibus pinguioribus (Rolsleben, Koelme, Schoenewerda, Steinklebe).

En! novum mutabilitatis fummae, plane non exponendae, qua plantae nonnullae quafi reliquis praecellunt, exemplum. Formae funt in iisdem locis fideliter redeuntes nec fpecies diftinctae, quas quidem ob veterum fynonyma et ad totius ftirpis hiftoriam illuftrandam nominibus fuis diftinguere volui. Vidi in campis editioribus inque locis gra-

minosis, L. corniculatum campestrem glabrum; in aggeribus macris conterminis, hirsutum; in salsis, crassifolium; in fossis vicinis uliginosum inque vepretis haud longe dissitis, tenuifolium.

POLYADELPHIA.

‡ 332. Hypericum dubium *Leers.* floribus trigynis striatis, caule erecto simplici obsolete-quadrangulo, foliis ovatis obtusis retusis epunctatis, foliis calyciniis ellipticis obtusis pellucido-nigroque punctatis.

H. dubium *Leers. herb.* 169. *Smith brit.* II. 802. *Engl. bot.* t. 296. *Willd. sp. pl.* III. 1460. *Roth. germ.* II. 230.
H. quadrangulum *Poll. pal.* II. 356.
H. maculatum *All. ped.* n. 1433. t. 83. f. 1.

In pratis sylvaticis eorumque marginibus nemoris Lodersleben sis cum Hieracio Lactucella, in similibus ad Neuhaeusel ante plures annos jam a me repertum Jul. Aug.

Intermedium quasi inter H. quadrangulare et H. perforatum, ab utroque tamen praeter alias differentias, quas cl. *Rothius* solita solertia exposuit, caule simpliciore, graciliore, foliis inferioribus epunctatis et maxime, foliolis calycinis obtusis, primo intuitu recognoscendum. Hinc neque dubium neque fallax esse videtur.

333. Hypericum Kohlianum *Spr.* glabrum, floribus trigynis, foliolis calycinis lanceolatis dentato-glandulosis, foliis oblongis amplexicauli-sessilibus obtusis pellucido-punctatis, caulibus fruticosis teretibus simplicibus.

H. Kohlianum *Spr. hal.* 214. t. 9.

H. minus erectum *Buxb. hal.* 163. excl. ſyn. — ex l. n.

In vineis Bennſtadienſibus et Koelmenſibus calcareis. Jul. Aug.

Radix lignoſa, multiceps, pro planta robuſta, terram longe penetrans et caules plurimos ſuſtinens. Caules inferne ſublignoſi, teretes, ſuperne linea, a foliorum nervo intermedio excurrente, nigro-punctata notati, graciles, ſuperne in pedunculos paniculato-corymboſos diviſi, ſimplices, rarius ramulo uno alterove aucti. Folia oblonga, obtuſiuscula, oppoſita, amplexicauli-ſeſſilia, fere ut H. perforati folia in ramulis, dilute-viridia, concolora, margine revoluta, pellucido-punctata. Infloreſcentia paniculato-racemoſa: pedunculi oppoſiti, divaricati, 1—3-flori, ſubtrifidos mentientes: extremo intermedio, unifloro, ſubſeſſili. Foliola calycina oblongo-lanceolata, acuta, baſi nervoſa, margine dentibus nigro-glanduloſis, capitatis inciſa. Flores trigyni, flavi: petala obovata, obtuſa, crenulata, praeter puncta oleoſa, marginem verſus glandulis ſeſſilibus nigris inſcripta. Antherae ſubrotundae, apice nigro-punctatae. Capſula ovata, acuminata, fuſceſcens, ſtriis deauratis, pellucido-ſplendentibus belle picturata. Semina parva, cylindrica, utrinque obtuſiſſima, reticulata.

Cum indigenis commutari nequit et ab H. pulchro *L.* longe alienum, habitu externo H. perforatum potius mentitur, a quo quidem attentius adſpectum ſine opera dignoſcitur. H. elegans *Stephan.* apud *Willd. ſp. pl.* III. 1469., niſi idem, proximum. *Buxbaumius* noſtrum primum detexit; *Kohlius* beatus in memoriam vocavit, cl. *Sprengelius* definivit iconeque nitida illuſtravit, et equidem, quod diu latuit, in loco denuo inveſtigavi utque aliis melius innoteſceret, deſcripſi.

SYNGENESIA.

Omnia propemodum genera, quotquot olim ſub Planipetalorum lacteſcentium papposorum familia Raji aut nunc ſub Syngeneſia polygamia aequali ſ. ſemifloſculoſorum familia *Linnaei* comprehenduntur, mere artificialia et quoad generum diſtinctiones difficillima eſſe, omnes ſciunt auctores et ipſe *Linnaeus* jam (*praelect. in ord. natur.* 548.) profeſſus eſt. Omnia typi naturalis communione inter ſe ſimillima arctiſſimo affinitatis vinculo connectuntur et vix ſine ſubtilitatis ſtudio generis notis idoneis dignoſcuntur. Quot genera, tot redeunt difficultates, et in his profecto Natura artis ſuperat dexteritatem et ingenii humani acumen antecellit. Veteres rei herbariae ſtatores, omnia genera nuperis temporibus curioſius diſtincta, ad paucula modo reduxerunt et *Thalius* v. c. plurimas ſpecies ſub Chondrillacearum et Lotybaceorum ordine ampliſſimo recenſet. *Rajus*, *Tournefortius*, *Moriſonus*, *Vaillantius* aliique veteres ſyſtematici illis quidem manum impoſuerunt et ex binis generibus Lacturam, Sonchum, Chondrillen, Hieracium, Piloſellam, Pulmonariam et Auriculam muris genera habitus ratione potius quam ex notarum idonearum communione ſtatuerunt et totidem, Prenanthe Crepideque generibus additis et Pulmonaria et Auricula muris ad Hieracia rejectis, apud *Linnaeum* et ſyſtematicos poſteros redeunt ſimilibusque at curioſius inveſtigatis differentiis discernuntur. His vero difficultatibus generum et ſpecierum vinculo naturali nexarum notas denuo interpretari inſtitui.

a. *Semina apice nuda truncata.*

LIII. LAPSANA.

(*Gaertn.* t. 157.)

Calyx ſimplex erectus ex foliolis planis aequalibus compoſitus, baſi calyculatus. Semina apice ineffigurata pappo deſtituta.

LIV. ARNOSERIS *Gaertn.*

(*Gaertn.* t. 157. *Schk.* t. 224.)

Calyx ovatus ex foliolis dorſo gibboſis compoſitus, ecalyculatus, demum toruloſus, globoſo-connivens. Semina columnaria, apice effigurato calloſa, pappo deſtituta.

334. Arnoseris pusilla *Gaertn.* — Lapſana puſilla *Willd. Spr.* Hyoſeris *Linn. Smith.* — Variat foliis integris et pedunculis proliferis.

b. *Semina paleis pappiformibus coronata.*

LV. CICHORIUM *L.*

Calyx duplex: externus brevior calyculatus, internus polyphyllus, foliolis baſi coalitis. Receptaculum nudiusculum. Semina columnaria paleis rigidis pectiniformibus coronata.

335. Cichorium Intybus *L.* — Variat: 1) foliis oblongis integris, in pratis pinguioribus paſſim; 2) floribus albis (Cich. fl. lacteo *Mentz. pug.* 5. *Rupp. jen.* 208. *Buxb. hal.* 73.) pro-

pe Wendelſtein; 3) floribus dilute purpureis (Cich. fl. dilute-purpureis *Mentz.* Dg. l. l.) ad Zoerbig.

c. *Semina apice ineffigurata obtuſa.*

†) *pappo ſeſſili piloſo coronata.*

LVI. HIERACIUM *L.*

(*Gaertn.* t. 158. *Schk.* t. 221.)

Calyx ovatus, polyphyllus, e foliolis oblongo-linearibus planis, inaequalibus imbricatus. Receptaculum punctatum, nudum. Pappus ſimplex, ſeſſilis, denticulatus, rigidiusculus.

I. PILOSELLAE.

Radices praemorſae. Caules ſcapiformes, oligophylli, ſtolonibus aucti. Folia radicalia, integra, parce, remoteque denticulata. Inflorescentia corymboſo-umbellata. *Flores parvi.* Pubes obſolete-ſtellata, furfuracea fugax, detergibilis, aliis pilis ſtrigoſis interſperſis.

NB. Omnes Piloſellae arctiſſimo profecto connectuntur affinitatis vinculo et ſive ex mutua communione ſive ex formarum hybridarum, in variis locis fideliter redeuntium ortu differentias, quarum ope inter ſe discernerentur, implicant aut penitus abscondunt. Hinc potiſſimum tanta apud varios auctores diſſenſio: hinc, dico, difficultas ſpecies ſingulas ex deſcriptionibus ſolum recognoſcendi, quam rata omnium ſpecierum cognitio et obſervatio in loco natali diligenter inſtituta optime emendat.

336. Hieracium Pilosella *L.* ſtoloniferum, foliis ellipticis in baſin attractis integerrimis ſu-

pra margineque strigoso-hispidis, subtus scapoque unifloro pube stellata tomentosis.

β. PILOSISSIMUM *W.*, foliis ovato-ellipticis in basin pilosissimam attenuatis, scapo sesquipedali unifloro, calycibus sericeo-pilosis.

H. Peleterianum *Merat. par.* 305. excl. syn. *DC. gall.* V. 437.

H. Pilosella β. foliis utrinque cum calyce pilis longis obsessis *Poll. pal.* II. 386.

Duplices exstant apud veteres scientiae fundatores figurae H. Pilosellae varietates illustrantes et totidem synonyma. Ad primam, stolonibus et innovationibus folia in rosulam expansa gerentibus et pedunculis axillaribus brevioribus insignem, revocandae sunt figurae *Tabernaem. hist.* 506. *Camer. epit.* 708. et *Moris. hist.* I. VII. 8. 1. cum Pilosellae majoris repentis hirsutae synonymo: ad alteram, caule unifloro, majore, minus repente insignem pertinent figurae *J. Bauh. hist.* II. 1039. *Chabr. stirp.* 323. f. 5. *Camer. epit.* 709. *Morisonii* l. l. f. 3., *Blackw.* aliorumque. Var. pilosissima nostra, pilis longioribus et solito copiosioribus solum differre videtur et ad montium latera passim occurrit.

† 837. HIERACIUM PEDUNCULATUM *Wallr.* foliis ovato-oblongis in basin attenuatis supra margineque strigoso-hispidis subtus cauleque scapiformi pube stellata parce pubescentibus, pedunculis unifloris dichotomis strictis caule longioribus.

?H. hybridum *Chaix* in *Vill. delph.* III. 100. *DC. gall.* V. 442.

?H. Pilosella var. pedunculis bi-trifloris *Poll. pal.* II. 387.

In dumetis depressis vinearum derelictarum bey der

Stainklippe inque similibus locis circa Heringen in den Weinbergen, in H. Pilosellae et H. fallacis consortio. Maj. Jun.

Radix horizontaliter protensa, apice truncata, infra foliorum ortum fibris pluribus longis concoloribus aucta earumque rudimentis inscripta, fusca. Caulis scapiformis, strictus, simplicissimus, teres, pennam columbinam crassus, sesquipedalis et altior, plerumque coloratus, praeter pilos strigosos, parce dispersos undique pube tenuissima stellulata, arachnoidea, more congenerum tenuiter adspersus, superne in pedunculos uniflorors, longissimos, dodrantales pedalesve, caulis partem inferiorem utplurimum superantes aut subaequantes, simpliciter aut duplicato-dichotomos, rectos, in angulum acutum patentes, cauli conformes divisus. Stolones ut in H. Pilosella. Folia ovato-oblonga, acuta, in basin leniter attenuata, supra viridia margineque strigoso-hispida, subtus ex tomento detrito concolora aut obsolete pubentia: innovationum duplo plerumque majora: caulinum inferius lanceolatum, amplexicaule, basi aequale nec ut reliqua, attenuatum. Flores nondum vidi. Calyces Pilosellae at majores. Semina fusco-nigra, striata, exasperata.

Stirps aeque pulchra ac rara, nec tamen oculis in Pilosellarum historia interpretanda exercitatis injucunda, in variis locis a me reperta, a *Pollichio* forsan jam observata mihique nuper H. alpini nomine ex alpibus austriacis missa, habitu, crescendi inque variis locis fideliter redeundi proprietate, speciei valorem omnino acquirit atque defendit, quae, quamvis hybrida ex H. Pilosella, matre et H. fallace, patre, progenies esse possit, pedunculis longissimis, strictis, caulem superantibus foliorumque magnitudine differre videtur, et catenam naturalem H. Pilosellae cum reliquis optime connectit. H. hybridum *Chaix*, nisi idem, certe affine est. H. brachiatum *Willd.* in *posth.*

cujus ſpecimen in horto halenſi cultum coram eſt, a noſtro discrepat.

538. HIERACIUM LACTUCELLA *Wallr.* ſtoloniferum, foliis radicalibus lanceolatis acutis integris glabris glauco-viridibus, ſtolonum ſubſpathulatis adſcendentibus baſi margineque parce piloſis pedicellis calyces ſubaequantibus, caule ſcapiformi inferne foliolo lineari aucto 1 — 4-floro.

H. dubium *Linn. ſp. pl.* 1125. ex ſynonym. nec ex herb. et deſcript. — *Willd. ſp. pl.* III. 1563. *Spr. hal.* 222. ex loco nat. nec ex deſcript. et alior. auct. fl. germ. — *Roth. germ.* II. 263.
H. Auricula *Linn. ſuec.* n. 699. *lapp.* n. 282. *Vahl fl. dan.* t. 1111. *DC. gall.* IV. 24. excl. ſyn.
H. caule nudo paucifloro, ſtolonibus reptantibus, foliis longe piloſis lanceolatis *Hall. helv.* n. 53.
Dens leonis, qui Piloſella foliis minus villoſis *Tournef. inſt.* 469.
Piloſella major repens minus hirſuta *C. Bauh. pin.* 262. *Rupp. jen.* 203 excl. ſyn. *Camerar. epit.* *Vaill. par.* 101.
P. minor fol. anguſtiore minus piloſo repens *J. Bauh. hiſt.*
H. piloſelloides vulgare *Vaill.* in *Mém. Act. Reg.* 1721. n. 1.
Lactucella ſylveſtris repens *Camer. hort. med.* 82.

In humectis paſcuorum et pratorum editiorum v. c. ad Lodersleben haud longe ab ipſo pago, cum Hyperico dubio, ad Ziegelrode.

Radix praemorſa, fibris ſimplicibus, longis,

pluribus aucta. Caulis ſcapiformis *) erectus, inferne pilis raris adſperſus ibique foliolo unico vaginato plerumque auctus, pauciflorus, digitalis, rarius quoque pedalis. Stolones ſaepius arrhizi, procumbentes, pilis longis exſtructi. Folia radicalia oblongo-lanceolata, in baſin vaginantem aut modo amplexicaulem attenuata, acutiuscula, tenera, utrinque omnino glabra, circa baſin margine piloſa, integerrima ſ. dentibus obſoletis notata, glaucescenti-viridia: ſtolonum adſcendentia, fere conformia niſi baſin verſus magis attenuata et apice magis dilatata, obtuſa indeque fere ſpathulata. Pedunculi ſimplices, pube ſtellata glandulis fuſcis intermixta tomentoſi. Flores ſubumbellati, 1 — 4, utrinque lutei, minores quam H. Piloſellae, majores quam ſequentis. Semina fuſco-rubra.

Stirpem a veteribus rei herbariae ſtatoribus caute jam diſtinctam et a *Camerario* et *Ruppio* ſeduło deſcriptam, Natura minime voluit dubiam: talis tamen ex auctorum erroribus et diſſentientium ambiguitate facta eſt. De veterum ſynonymis certus ſum: incertus vero de Linnaeano et Smithiano. Plantam in *Linnaei* herbario deficere, *Smithius* (*brit.* II. 829.) conqueritur ideoque potiſſimum varii, qui inter auctores circumferuntur, orti ſunt errores. *Smithius* ſaltem, plantam H. dubii titulo deſcripſit a noſtra et a veterum ſynonymis diverſiſſimam et foliis utrinque hiſpidis, ſubtus lanatis haud parum alienam. Ad hanc ſcilicet nec ad plantam florae germanicae indigenam, cl. *Sprengelii* (*fl. hal.* 222.) et *Hoffmanni* (*germ.* II. 115.) deſcriptio ſpectat, ſi, neſcio, quo errore, H. noſtro „*folia elliptica utrin-*

---

*) Huic et aliis congeneribus *Willdenowius* et complures alii ſcapos adſcribunt: equidem vero, ne ſcapi notione promiſcua abutar, caules ſcapiformes ſcribere ſoleo.

que hiſpida ſubtus lanata adſcribuntur, quae in indigenis ſaltem utrinque glaberrima ſunt. Similem plantam *Linnaeum* quoque ante oculos habuiſſe, veroſimile eſſe videtur ex verbis in *ſyſtemate pl.* additis et a *Willdenowio* etiam repetitis, caulem H. dubii aeque ac folia, praeſertim ſubtus, hirta eſſe. Cum hac alia obſervatio in *fl. ſuec.* (p. 273) congruit, ubi H dubium, *majus quam H. Auricula et forte hybridum vel alia qualiscunque varietas omnibus partibus major* nec repens vocatur et Suecia ſolum pro patria indicatur, ex quibus ſcilicet omnibus equidem conjicere audeo, H. dubium *Linn. fl. ſuec.* a noſtro reapſe diverſum eſſe verumque Linnaeanum, quamvis etiam a *Willdenowio, Sprengelio* et aliis auctoribus ad H. Auriculam *L.* laudetur, icone *florae dan.* t. 1044. repraeſentari. Quamvis haec ita ſint et aliam plantam indicare videantur, plurimos et nominatim flor. german. auctores H. dubii nomine ambiguo noſtram intellexiſſe, certum eſt. Iterum alii, *Vahlius* v. c. et *Pollichius* noſtrum pro H. Auricula *Linn* recte habuerunt et cl. *Candollius* denique H. Auriculae var. γ. involucro glabro inſignem pro H. dubio *L.* habendam eſſe, perhibet. — Hac prorſus nominis apud varios auctores ambiguitate totque aliis dubiis de planta in herbario Linnaeano deficiente et a *Smithio* ex *Hudſonii* teſtimonio allato et ab ipſo *Linnaeo* aliter deſcripta admonitus, Linnaeanum nomen utpote ambiguum omiſi vetuſtiſſimumque *Camerarii*, a quo primum luculenter deſcribitur, reſtitui, ut plantae diſtinctiſſimae cognitio ſuccincte quaſi cuivis botanico iterum innoteſceret.

H. dubium *Linn. fl. dan.* t. 1044. in flora halenſi et forſan germanica exſulat.

† 339. Hieracium piloselloides *Vill.* foliis oblongo-linearibus utrinque (ſaturatius)

glauco-viridibus cauleque ſcapiformi oligophyllo parce hiſpidis, pedunculis patentibus elongatis laxe-corymboſis, pedicellis inaequalibus divaricatis calyces multo ſuperantibus inflorefcentiam ſubſpicato-proliferam mentientibus.

H. piloſelloides *Vill. delph.* III. 100. t. 27. (rudis quidem, at habitum bene reddens). *D C. gall.* V. 441. nec IV. 25.

H. cymoſum β. piloſelloides *Perſ. ench.* II. 371.

H. florentinum *All. pedem.* n. 775. nec *Willd.* teſte *D C.*

In lapicidinis derelictis hinter Biebra inque vineis Heringenſibus paſſim intercurrit. Floret Jun., praecocius quam H. fallax.

Radix ut in congeneribus. Caulis ſcapiformis, erectus, ſimpliciſſimus, teres, penna corvina craſſior, praeter pilos patentes, pube parca ſtellata arachnoidea, congenerum more adſperſus, plerumque bipedalis, ſaepius altior. Folia oblongo-linearia, acuta, plana, in baſin carinatam attenuata, pro caulis proceritate parva, centimetra 6 — 8 longa, unum lata, utrinque ſaturate glauco-viridia, congenerum more cum caule parce ſtrigoſo-hiſpida: innovationum conformia aut paullulum majora: caulinum inferius lineari-lanceolatum. Stolones ut in congeneribus, hiſpidi tamen potius quam tomentoſi. Pedunculi elongati, laxe corymboſi, patentes: pedicelli inaequales, divaricati, calycibus bis ſ. quinquies longiores, (in noſtris ſaltem) purpuraſcentes et praeter pubem arachnoideam pilosque rariter diſperſos, glandulis ſtipitatis concoloribus inſtructi, inflorescentiam irregularem, ſaepius ſubſpicato-proliferam mentientes. Flores flavi, majores quam H. praealti, cum calycibus pedicellisque exacte ut H. Lactucellae. Semina fuſco-nigra, ut congenerum, at longiora.

Stirps ob inflorescentiam irregularem ex pedicellis alternatim dispositis quasi subspicato-proliferam singularis, vexata autem et quamvis *Villarsio* acutissimo optime innotuerit et ab illo icone data proposita sit, plurimis tamen auctoribus latuit simulac *Willdenowium* decepit, ut *Villarsii* figuram, quae nobis rudis quidem at habitui idonea esse videtur, malam dixerit et plantam ad H. florentinum suum traxerit.

340. Hieracium praealtum *Vill.* caule scapiformi stricto oligophyllo glabriusculo, pedunculis bi-trifloris abbreviatis, pedicellis calyces subaequantibus tenuiter pubescentibus in corymbum-paniculatum pauciflorum digestis, folio caulino radicalibusque lanceolatis acutis parce pilosis utrinque glauco-viridibus.

H. praealtum *Vill. voyag.* 62. t. 2. f. 1. *Gochn. diss.* 17. – *DC. gall.* V. 441.
H. piloselloides *DC. gall.* IV. 25. excl. syn. *Vill.*
H. florentinum *Willd. sp. pl.* III. 1565. excl. syn. *All. Vill.* et *fl. dan.* icon. — *Spreng. hal.* 222. t. 10. f. 1. opt.
Pilosella major erecta alia calyce incano, flore parvo *Haller.* in *Rupp. jen.* 204. ex l. nat.
P. minor, folio angustiore minus piloso *Chabr. stirp.* 323. f. 6.

β. stoloniferum *W.*

In collibus apricis, praeprimis quibus solum calcareum subest ad Koelme, Biebram et alibi.

Radix praemorsa, fibris aliquot aucta. Folia utrinque glauco-viridia, glabra margineve pilis, longis, raris, albis adspersa, infima saepe obtusiuscula, in basin amplexicaulem attracta, reli-

qua lanceolata, angusta, acuminata. **Caulis** scapiformis, strictus, simplicissimus, plerumque stolonibus destitutus, rarissime tamen stoloniferus in locis pinguioribus, glaber, aut rarius basin versus pilis raris adspersus, infra mediam partem foliolo lanceolato, acuminato instructus, 1 — 2-pedalis. **Panicula** corymbosa, pauciflora. **Pedunculi** pedicellique tomento stellato, glandulis rariter interspersis albo-pubescentes; illi bi-triflori: hi uniflori calyces subaequantes. **Flores** parvi, plerumque minores quam reliquorum hujus sectionis. **Calyx** ex pube arachnoidea albens, setis aliquot nigris, brevibus simul instructus, pilis destitutus. **Corolla** et **semina** ut congenerum.

Glabrities partium differentiam ambiguam largitur; quae in apricis crescunt, caule foliisque glaberrimis excellunt et stolonibus etiam carent; in dumetis vicinis autem et pilos aliquot et stolones acquirunt, qui, quamvis etiam a *Candollio* summo denegentur, revera tamen, ex familiae nisu illos producendi, passim adsunt.

† 341. HIERACIUM COLLINUM *Gochn.* foliis oblongo-lanceolatis acutis in basin attenuatis utrinque cauleque scapiformi oligophyllo, pedicellis calycibusque pilis rufescentibus hispidis, pedunculis congestis umbellato-corymbosis, pedicellis calyces subaequantibus glomeratis.

α. LATIFOLIUM *Wallr.*, foliis ovato-oblongis parce-denticulatis.

H. collinum *Gochn. dissert.* 17. t. 1. *DC. gall.* 440. excl. syn. *Spreng.*
H. Auricula *Willd.* ex spec. dato et al. auct. nec *Linn.*
H. murorum angustifolium non sinuatum *C. B. pin.* 129. *Prodr.* 67. bona.

β. ANGUSTIFOLIUM *Wallr.*, foliis lineari-lanceolatis.

H. cymofum *Willd. fp. pl.* III. 1566. excl. fyn. omnibus *Roth. germ.* II. 264. excl. fyn *Linn.*

H. foliis longe lingulatis, pilofis, caule imo foliofo erecto multifloro *Hall. gott.* 408. *Boehm. lipf.* 210. *Zinn. gott.* 427.

Pilofella montana hifpida *Rupp. jen.* 202.

In nemoribus editioribus macris ad Biebram, Rofsleben, Lodersleben et alibi, in folo limofo. Jul.

Radix congenerum. Caulis fcapiformis, erectus, fubflexuofus, teres, penna corvina craffior, femper pilis ftrigofis i. e. e bulbillo atro-purpurafcente enafcentibus hifpidus, 1 — 2-pedalis. Folia utrinque margineque caulis more ftrigofo-hifpida, varia, in var. latifolia e figura lanceolata magis oblongata, parce denticulata, centimetr. 12 longa, 2 — 3 lata, caulinum illis conforme nec tamen bafi attenuatum fed aequale et amplexicaule, in var. β. lanceolato-linearia, caulina (1 — 3) conformia at duplo anguftiora et acutiora. Stolones ut congenerum praeter pilos rufefcentes. Pedunculi umbellato-corymbofi, congefti; pedicelli breves, calyces fubaequantes, fere glomerati, pedunculorum, ftolonum calycumque more pilis dilute rufefcentibus hifpidi.

† 342. HIERACIUM FALLAX *DC.* foliis oblongo-lanceolatis in bafin attractis, caule fcapiformi oligophyllo, pedicellis calycibusque (pilis albis) ftrigofo-hifpidis, pedunculis umbellato-corymbofis laxis, pedicellis bi-trifidis calyce longioribus incano-tomentofis.

H. fallax? *Willd. enum.* II. 822. *DC. gall.* V. 442.

H. cymofum *Poll. pal.* II. 390. et *al. auct.*

β. STOLONIFERUM, caulibus ſurrectis e radice ſtolones illos ſubaequantes polyphyllos undique patentes floriferos trudentibus.

H. fallax β. ſtoloniferum *Koch.* in *lit.* *DC. gall.* V. 442.

In vineis praeruptis citra Biebram, ad ſiniſtram, qua vehitur ad Numburgum: in ſimilibus locis ad Heringen extra fines.

Multa communia habet cum H. collino noſtro et acutius profecto dignoſcendum eſt, differre tamen videtur: caulis altitudine, pilis, quibus caulis, innovationes, ſtolones, pedicelli calycesque pubent, albis; pedicellis bi-trifidis, liberis, longioribus, incano-tomentoſis. Varietates plures conſervo: aliam, caule ſtolonibus omnino deſtituto, qualem *Willdenowius* deſcribere videtur; aliam, umbella multiradiata, multiflora inſignem, quam in lapicidinis des Kyffhaeuſer's legi; aliam, floribus umbellato-cymoſis, umbella ramoſa multiflora, quam circa Heringen legi; aliam denique cum illa promiſcue obviam at magis ſerotinam, ſtolonibus 1 — 2-pedalibus, polyphyllis, foliis oblongo-lanceolatis ſtolonum partem inferiorem obſidentibus inſignem et auctumni tempore florum umbella exſtructam, qualem *Candollius* ſummus jam obſervavit et optime deſcripſit, a me in vineis Heringenſibus lectam.

† 343. HIERACIUM CYMOSUM *L.* foliis utrinque cauleque ſcapiformi oligophyllo ſtrigoſo-hiſpidis parce-denticulatis pallide-virentibus, inferioribus oblongo-obovatis obtuſis, reliquis oblongo-lanceolatis acutis, pedunculis umbellato-corymboſis pedicellisque trifidis calyces piloſos glanduloſos ſuperantibus incano-tomentoſis.

H. cymoſum *Linn.* *ſp. pl.* II. 1126. *Vill.*

delph. III. 101. *Voyag.* 62. t. 4. f. 2. *Gochn. diss.* 18. *DC gall.* V. 440.

H. praemorsum *All. ped.* n. 777. nec *Linn.* teste *DC.*

H. Pilosella major erecta *Moris. hist.* V. 8. 10.

H. piloselloides longifolium, floribus luteis fere umbellatis *Vaill. act.* 706.

In colle gypsaceo prope Wendelstein legi unicum et ob loci inopiam imperfectum specimen; in similibus collibus ad Auleben, Frankenhausen, Steigerthal, des Kousteins etc. ubique tamen et extra fines rarius. Jul.

Radix praemorsa, fibris aliquot congenerum more aucta. Caulis scapiformis, ut congenerum, major tamen et robustior, saepe 2 *l.* 2½-pedalis, penna anserina crassior, plerumque stolonibus destitutus aut rarissime eorum rudimentis obsoletis auctus, basi undique pilis strigosis densis hispidus. Folia utrinque caulis more strigoso-hispida, pallide-virentia, parce-denticulata; infima oblongo-obovata, obtusa, reliqua oblongo-lanceolata, in hac sectione ex natura longa (longifolium *Vaill. Linn.*), spithamea et ultra, decimetr. 2 l. 2½ lata, acuminata, in basin attracta: caulina lanceolata, acuminata. Pedunculi umbellato-corymbosi, effusi, praeter tomentum densum, quo calyces pedicellique incanescunt, pilis albis e tuberculis purpurascentibus oriundis et glandulis stipitatis coloratis parce adspersi: pedicelli calyces majusculos superantes, trifidi. Corolla belle lutea, majuscula.

H. cymosum *Linn.*, ab ipso optime descriptum apud plurimos scriptores titulum offert vagum et apud quemvis propemodum auctorem aliud significat. H. cymosum *Willd.* v. c. H. collinum *Gochn.* est; H. cymosum *Spr.* est H. Rothianum nostrum; H. cymosum *Schleich.* est H. angustifolium *Hoppe*; H. cymosum *Lam.* est H. prae-

altum *Vill.*; H. cymosum *Poll.* est H. fallax *DC.*

Differt ab H. collino et fallace: caulis altitudine ejusque in parte inferiore pilis confertioribus; foliis longioribus (*Vaill. Linn.*), pallide virentibus, remote parceque denticulatis; florum magnitudine, figura et colore belle luteo (ut H. Pilosellae nec tamen subtus vittato) et ab affinibus alieno: loco denique natali in collibus gypsaceis, quos nunquam deserit.

Varietatem pulchram at fortuitam in colle umbroso ad Auleben legi, caule foliisque pilis longis densisque hispidis, calycibus sericeo villosis insignem, quae alio anno in eodem colle ex fruticibus olim umbram facientibus, recisis, solitum habitum nacta est, quo in collibus apricis excellit.

† 344. Hieracium Rothianum *Wallr.* foliis lanceolatis in basin attenuatis utrinque cauleque ramoso paucifloro pilis confertis rufescentibus hispidis, pedicellis unifloris repetito-dichotomis patentibus calyces pilosos illis multoties longiores elevantibus.

?H. bifurcum *Bess. cat. hort. cremn.* 1816, p. 69.
?H. collinum *Bess. gall.* II. 937.
?H. brachiatum *Bertol.* apud *DC. gall.* V. 442. in nota.
H. cymosum *Spreng. hal.* 222. t. X. f. 2. ex icone nec ex descript. et excl. syn. *Moris.*
H. murorum var. *Roth. germ.* II. 267. observ. 1.
Pilosella major erecta *Buxb. hal.* 260. excl. syn. *Bauh.*

In pineto halensi vicinisque locis, in rupibus ad Kröllwitz, passim.

Radix praemorſa, brevis at robuſtior quam in praecedentibus, fibris multis longisque aucta, fuſco-nigricans. Caules a baſi inde ramoſi, ſubflexuoſi, folioſi raro ſimplices (ut icon *Sprengelii* l.), inferne ſquamis fuſcis muniti, undique aeque ac folia pilis ſtrigoſis, patentibus, conſertiſſimis, longis, rufeſcentibus hiſpidi, 1 — 2-pedales: ramuli laterales, conformes, folioſi. Folia lanceolata, acuminata, in baſin amplexicaulem, ſenſim anguſtiorem vaginantem attenuata, utrinque caulis more, pilis ſtrigoſis, rufeſcentibus denſe hiſpida, ſpithamea: ramea conformia at minora et baſi aequalia. Pedunculi floriferi erecti, baſi plerumque foliolo breviſſimo ſuffulti, elongati, furcatim diviſi, reliquarum partium inſtar pilis patentiſſimis hiſpidi: pedicelli 1 — 2-unciales, iterum et ſimiliter diviſi, patentes, uniflori. Calyces H. collini magnitudine: ſquamae calycinae aequales, pilis fuſcis patentibus glandulis nigris ſimul interſperſis hiſpidae. Semina nigra, ſulcata, ſcabriuſcula. Pappus ſcaber, albidus calycem ſubaequans.

Tranſitum exhibet haec ſpecies a Piloſellis veterum ad Hieracia; habitu et foliorum forma ad illas, caule folioſo et ramoſo ad haec accedit. Plantam ab omnibus indigenis, mihi quidem notis, diverſiſſimam eſſe, primus docet intuitus, nec ullam aliam ſcio H. ſpeciem, quae cum hac poſſit commutari, niſi forſan Hierac. bifurcum *Beſſ.* l. H. brachiatum *Bert.* cum noſtro concidant. — Icon a cl. *Sprengelio* data, laudabilis, quam *Candollius* ad H. collinum *Gochn.* refert, plantam ſimplicem repraeſentat: noſtra ſpecimina ramoſiſſima ſunt. Quomodo autem praeceptor hoc cum H. cymoſo commutare potuit, mihi quidem latet. Quorſum enim pedunculi proprii glomerati, quales H. cymoſo in fl. hal. adſcribuntur, ſpectant, qui in planta dichotomi, uniflori ſunt nec aliter in icone data proponuntur! — *Rothius* celeberrimus plantam primum bene deſcripſit l. l., minus

bene tamen pro H. murorum varietate habuit, a quo diversissima est.

345. Hieracium praemorsum *L.* scapo racemoso multifloro, foliis ovato-oblongis obtusis basi attenuatis parce dentatis, calycibus calyculatis glaberrimis aëneo-coloratis, floribus supremis primoribus. — *Vahl. fl. dan.* t. 942. opt. *Chabr. stirp.* 322. f. 3. bona.

Variat foliis scapoque pubescentibus (H. foliis ovatis tomentosis, floribus spicatis *Hall. helv.* 744.) et scapo foliisque glabris (*DC. gall.* IV. 18.); pedunculis in hac specie semper bracteatis, jam simplicibus, jam ramosis. Utraque var. in saltu Ziegelrodensi haud rara est. — Calycis indoles seminum pappique, a reliquis Hieraciis quadantenus abludit. Scapo gaudet vero: hinc Intybus ἀφυλλόκαυλος *Thal. herc.* 66. vocatur.

---

346. Hieracium paludosum *L.* caule simplici, pedunculis foliisque glabris, inferioribus oblongis runcinato-dentatis basi attenuatis, caulinis sagittato-amplexicaulibus, floribus paniculatis (citrinis), calycibus nigro-hispidis. — *Fl. dan.* 928. *Schk.* t. 221. opt.

In umbrosis ad Seeben, Gutenberg et alibi.

Folia, caulis et pedunculi glaberrimi. Calyces pilis nigrescentibus hispidi. Folia caulina sagittata: hamis acutis, brevibus, porrectis. Corolla citrina. — H. latifolium montanum minus *Tabern. hist.* 495. f. 1. H. latifolium glabrum *Chabr. stirp.* 322. f. 2. *Rupp. jen.* 200. H. latifolium mont. majus *C. Bauh.* (*Tabern. hist.* 494. f. 3. *Chabr.* l. l. f. 1. l. Intybus uliginibus familiaris *Thal. herc.* 67.) mera varietas esse videtur.

† 347. Hieracium molle *Jacq.* foliis ſinuato-dentatis cauleque tenuiter pubeſcentibus, inferioribus oblongis obtuſis in petiolum decurrentibus, caulinis ovato-lanceolatis baſi cordata amplexicaulibus, pedunculis calycibusque pilis patentibus ſubglanduloſis denigratis, floribus paniculatis (aureis).

H. molle *Jacq. auſtr.* t. 119. *Smith. brit.* II. 832. *Willd. ſp. pl.* III 1577.
H. foliis laevibus integerrimis mollibus, radicalibus longe petiolatis ellipticis, caulinis amplexicaulibus, hamis obtuſis *Hall. helv.* n. 47.

In pratis nemoroſis Ziegelrodenſibus rarius: in thuring. et hercyn. multo frequentius. In pratis montanis Stolbergam cingentibus abundat. Jun. Jul.

Radix perpendicularis, fibris multis exſtructa. Caulis erectus, ſimpliciſſimus, fiſtuloſus, ſubangulatus, baſin plerumque purpuraſcentem verſus pilis raris, brevibus pubeſcens, 1 ſ. 1½-pedalis, fragilis. Folia inferiora oblonga, obtuſa, in petiolum longum decurrentia, ſinuato dentata ſ. integra, pilis brevibus, raris, adpreſſis ſcabriuscula (in indigenis ſaltem haud mollia); caulina ovato-lanceolata, baſi leniter attracta, amplexicaulia, auriculis brevibus rotundatis; ſumma ſenſim minora. Pedunculi bi trichotomi, 1—2-unciales, in paniculae formam diſpoſiti, ut calyces aëneo-denigrati et pilis concoloribus apice nudis glanduloſisve tecti. Corolla ſaturate aurea etiam in exſiccatis. Calyces pilis nudis glandulisque multis hiſpidi. Semina ſtriata, glaberrima, dilute-fuſceſcentia, pappo niveo, molli coronata.

Summam profecto H. molle *Jacq.* mentitur cum H. paludoſo affinitatem et ſimilitudinem et attentiori oculo commendatum velim hunc Auſtriae

Angliaeque incolam, qui me obſervante agro halenſi et thuringiaco indigenus indicatus, fere ſequentibus notis cognoſcitur et ab H. paludoſo dignoſcitur: 1) foliis cauleque inferiore hirſutiuſculis, radicalibus obſolete ſinuato-dentatis: quae in H. paludoſo, glaberrima, runcinato-dentata ſunt. 2) foliis caulinis amplexicaulibus, auriculis rotundatis, obtuſis brevibus: quae in illo, ſagittata, hamis acutis porriguntur. 3) pedunculis denigratis, pube patente concolore hiſpidis: qui in illo glaberrimi ſunt. 4) corolla ſaturate-aurea: quae in illo citrina eſt.

Flores paniculati, calyces totusque habitus utriusque plantae idem. — Pili, quibus calyces et pedunculi pubeſcunt, ſatis ſingulares ſunt, fiſtuloſi, aëneo-vireſcentes, dum exſiccantur, hinc Conſervarum inſtar contrahuntur, hinc applanantur et oculis armatis adſpecti tanquam articulis intercepti ſunt.

Aliud huic perſimile, foliis caulinis latioribus tamen et corollis citrinis alienum, ex nemoribus Loebejunenſibus retuli, quod dubium aliis inquirendum commendo.

548. Hieracium murorum *L.* caule *erecto* ſimplici paniculato foliisque pubeſcentibus, inferioribus petiolatis ovatis baſi cordata dilatata profunde ſinuato-dentatis, caulino ſeſſili conformi minore, pedunculis calycibusque pilis glandulisque nigreſcentibus.

Caulis ſimplex fiſtuloſus paniculatus et folia dilute viridia petiolata baſi plus minusve cordata, ſemper vero ſinu a baſi latiore inde ad folii apicem excurrente, notas offerunt eſſentiales. Pubes aeque ac ſerraturae miro modo variant hincque duplices in veterum monumentis exſtant icones, et totidem ſynonyma: foliis baſi cordata ſubintegris (Pul-

mon. gallica mas *Tabern. hist.* 504. f. 1. *Chabr. stirp.* 324. f. 3.) et foliis basi inciso-dentatis (P. gall. foemina *Tabern.* l. l. f. 2. *Chabr.* l. l. f. 4.).

Aliud adest Hieracio murorum simillimum, quod quum pluribus mihi obvium fuit locis, nisi nomine proprio, quadam tamen attentione omnino dignum, varietatem saltem memorabilem constituere videtur. Caule excellit scapiformi, aut aphyllo aut media parte foliolo lineari, angustissimo, nonnisi obsoleto aucto, 1 — 4-floro, tenuissime pubescente; foliis omnibus radicalibus: aliis ovato-oblongis, obtusis, ut serraturae, cum mucronulo parvo terminantibus, sinuato-dentatis, basi ovatis ibique jam integris jam inciso-dentatis, dentibus ad petiolos decurrentibus; aliis iridem iisque paucissimis et cauli infimo adfixis, basi attenuatis, oblongo-lanceolatis, in apicem longum, acutum, integerrimum productis; pedunculis infra calyces et iis ipsis pilis tenuissimis, stellatis farinaceis pubescentibus. — Legi ejusmodi specimina in lapicidina Koelmensi inque similibus locis calcareis prope Stockhausen, auf dem Strausberge extra fines.

† 349. Hieracium sylvaticum *Gouan.* caule erecto folioso calycibus foliisque pubescentibus, inferioribus ovato-oblongis dentatis utrinque acuminatis in petiolum decurrentibus, superioribus sessilibus inciso-dentatis, floribus paniculato-corymbosis. — *Engl. bot.* XXIX. t. 2031.

α. latifolium *W.*, foliis ovato-oblongis.

H. sylvaticum *Gouan. obs.* 56. *Vill. delph.* III. 125. *Smith. brit.* II. 831. *DC. gall.* III. 125. *Wahlenb. lapp.* 197.

H. murorum β. sylvaticum *Willd. sp. pl.* III. 1578. *Vahl. fl. dan.* t. 1113. opt.

H. murorum *All. ped.* n. 785. t. 25. f. 1. *Ehrh. herb.* 147.

H. murorum altiſſimum multiflorum *Rupp. jen.* ed. I. 150. *Moriſ. hiſt.* ſ. VII. 5. t. 54.

β. ANGUSTIFOLIUM *W.*, foliis lanceolatis.

H. murorum laciniatum, folio anguſtiore minus piloſum *C. Bauh. pin.* 129. *Rupp. jen.* 201. excl. ſyn. *Buxb. hal.* 159.

Pulmonaria gallica tenuifolia *Tabern. hiſt.* 505. *icon.* 195. *Chabr. ſtirp.* 325. f. 1.

In nemoribus Loderslebenſibus, Ziegelrodenſibus aliisque cum priore locis paſſim; β. in collibus editioribus inque pineto halenſi. Jul. Aug.

Duplices H. ſylvatici *Gouan.* eſſe varietates, *C. Bauhinus* jam ſtatuit eaeque itidem aliis quoad pubem et foliorum integritatem ludunt formis et ab H. ſabaudo, ſatis polymorpho caute diſtinguendae ſunt. — Pube totoque habitu externo H. murorum fere refert, quo *Allionius* et alii decepti hoc cum illo commutarunt. Var. latifolia noſtra ad H. ſabaudum propius accedit et *Wahlenbergius* jam majorem ſimilitudinem cum H. umbellato quam cum H. murorum divinatus eſt. Differentias inter hoc et H. murorum et H. ſabaudum ſigillatim exponere, ſuperfluum foret: primo enim intuitu patent et in loco natali facile addiſcuntur. Noſtrum praecocius floret quam H. ſabaudum eoque tempore, quo id flores expandere incipit, jam defloruit: ubi noſtrum floret, H. murorum jam defloruit.

Aliam H. ſylvatici titulo *Willdenowius* (*ſp. pl.* III. 1578.), qui noſtrum pro mera H. murorum declarat varietate, intelligit ſpeciem, ut ex ſpecimine manco ex h. berol. allato auguror diverſiſſimam, quam *H. Pulmonariam* voco et cum Piloſellae majoris ſ. Pulmonariae ſp. anguſtifoliae ſynonymo *J. Bauh. hiſt.* II. 1034. *Chabr. ſtirp.* 324. f. 6. aliis deſcribendam relinquo.

550. Hieracium sabaudum *L.* caule erecto polyphyllo, foliis sessilibus semiamplexicaulibus ovato-oblongis acutis remote-dentatis glabriusculis, floribus corymbosis, calycibus glaberrimis adpressis.

α. oblongifolium *W.*, foliis oblongo-lanceolatis.

H. sabaudum *auct.*
H. sabaudum β. lanceolatum *Vill. DC. gall.* V. 444.

β. ovatifolium *W.*, foliis ovatis abbreviatis approximatis sinuato-dentatis apice subobliquatis.

H. sabaudi var. *J. Bauh. hist.* II. 1030. *Chabr. stirp* 321. t. 4.
?H. sabaudum altissimum, foliis latis brevibus, crebrius nascentibus *Moris. hist.* III. 71. Intybi VIII. spec. 1. *Thal. herc.* 65.

γ. brevifolium *W.*, foliis sessilibus, inferioribus in basin attenuatis, intermediis confertis verticillatis, caulinis reliquis minimis alternis caulem longe productum parce obsidentibus, floribus racemosis.

H. sabaudi permultae quidem quoad caulis proceritatem foliorum formam et pubem existant varietates, quae nostro agro indigenae ad duplices comprehenduntur, foliorum forma dignoscendae. Planta ut folia permulta trudat, innititur et ex natura ad eorum formam ovatam inclinat. Var. β. H foliosó *Kit.* similis et ob eam rem *Morisoni* synonymon dubie citatum ad alterutrum spectare videtur. Var. γ. perquam singularis est: gerit enim in caule intermedio folia sessilia ovato-oblonga conferta et quasi in verticillum disposita et exinde in caulem praelongum (1 — 2-pedalem) foliolis multoties minoribus, remotis auctum et racemo paucifloro terminatum producitur. Ejusmodi

ſpecimina innumera vidi in fagiveto nemoris Ziegelrodenſis, ad viam illam den Klapperbornsweg dictam.

351. HIERACIUM UMBELLATUM *L.* foliis oblongo-lanceolatis, floribus corymboſo-umbellatis, ſquamis calycinis glabris ſquarroſis.

α. MACROCAULON *W.*, foliis oblongo-lanceolatis ſinuato-dentatis, caule orgyali

H. umbellatum α. giganteum *Wallr. ann. bot.* 100.

β. ORTHOCAULON *W.*, foliis lineari-lanceolatis remote-dentatis.

H. umbellatum β. medium *Ann. bot.* l. l.
H. III. genus alterum anguſtifolium *Cluſ. hiſt.* II. 140.

γ. LEPTOCAULON *W.*, foliis linearibus integerrimis inciſoque dentatis, caule debili decumbente.

H. umbellatum γ. linariaefolium *Wallr.* l. l.
H. foliis linearibus ſubdentatis, caule humili ramoſo multifloro *Leyſs. hal.* 197.
H. foliis anguſtiſſimis dentatis, caule fruticoſo ſtriato multifloro *Reyg. gedan.* 193.
H. minus ramoſum foliis anguſtiſſimis *C. Schwenkſ.* 14. *Buxb. hal.* 157.

Var. α. in ſalicetis ad Doellnitz; β. in rupibus ad Kröllwitz, Giebichenſtein et alibi frequentiſſ.; γ. in ericetis arenoſis hinter Nietleben.

Varietates, quibus formarum nominibus propriis diſtinctarum triga connectitur, innumerae ſane ſunt. Var. β. et γ. in eodem loco foliis latioribus et anguſtioribus iisque jam parce obſoleteque, jam profunde dentatis ludunt.

LVII. CREPIS *L.*

(*Gaertn.* t. 158. *Schk.* t. 222.)

Calyx ovatus e foliolis aequalibus dorſo convexis polyphyllus, baſi calyculatus, effoetus demum coſtatus. Receptaculum ſcrobiculatum nudiusculum. Pappus ſimplex ſeſſilis piloſus mollis perſiſtens. Semina utrinque aequalia.

† 352. Crepis polymorpha *Wallr.* calycibus ovatis demum ſubventricoſis coſtatis pappum aequantibus calyculoque obſoleto adpreſſo muricato-pubeſcentibus, corollis ſubtus vittatis, foliis lanceolatis pinnatifidis baſi ſagittatis glabris, ſeminibus oblongis ſtriatis utrinque aequalibus glabris pappo brevioribus.

α. stricta *W.*, foliis inferioribus runcinatis, caulinis ſeſſilibus ſubperpendicularibus pectinato-pinnatifidis integrisve, caule ſtricto pedunculisque glabriusculis.

Cr. pinnatifida *Willd. ſp. pl.* III. 1604. *Spr. hal.* 225.
Cr. virens *Hoffm. germ.* II. 281. *Allion. ped.* n. 805.
Cr. ſtricta *Scop. carn.* II. 49. *DC. cat. hort. monsp.* 99. *Flor. gall.* V. 447.
Hieracium luteum hirſutum *Chabr. ſtirp.* 319. f. 3.
H. chondrillae folio glabro, radice ſucciſa majus et minus *C. Bauh. pin.* 127. et 128. *Vaill. par.* 102.

β. virens *W.*, foliis inferioribus runcinatis flaccidis, caulinis ſinuato-dentatis integerrimisve baſi ſagittata amplexicaulibus, auriculis patentibus porrectis, caule a baſi inde ramoſo patulo.

Cr. virens *Linn. ſp. pl.* II. 1134. *DC. gall.* V. 447.

Cr. tectorum *Lam. dict.* II. 180. *Poll. pal.* II 751.

Cr. foliis glabris integris et varie inciſis, caule ramoſiſſimo, floribus minimis *Zinn. gott.* 428.

H. minus praemorſa radice ſ. Fuchſii *J. Bauh. hiſt.* II. 131. *Raj. hiſt.* I. 230. *Chabr. ſtirp.* 321. *Rupp. jen.* 198. *Buxb. hal.* 156.

H. minus lactuca leporina *Tabern. icon.* 182.

H. minus *Fuchſ. icon.* 320.

H. chondrill. folio glabro *C. Bauh. pin.* 127. *Moriſ. hiſt.* ſ. VII. 7. 29.

H. chondr. fol. gl. radice ſucc. minus *C. B.* 128.

H. chondrilloides *Tabern. hiſt.* 494.

γ. DIFFUSA *W.*, foliis interioribus caulinisque amplexicaulibus lanceolato-linearibus parce-dentatis, caule decumbente ramoſiſſimo diffuſo, pedunculis filiformibus.

Cr. diffuſa *DC. cat. hort. monsp.* 98. *fl. gall.* V. 448.

Cr. virens *Willd. ſp. pl.* III. 1604. *DC. gall.* IV. 39.

Cr. Dioscoridis *Roth. germ.* II. 255.

Lapſana capillaris *Linn. ſp. pl.* ed. I. 812.

C. caule ramoſiſſimo, foliis glaberrimis teneris integris et dentatis *Hall helv.* n. 33.

H. minus glabrum foliis eleganter virentibus *C. B. pin.* 127.

H. minus Dioscoridis *Tabern. ic.* 181.

H. arvenſe foliis linariae aureae ſimilibus *Schwenkf. hal.* 27. *Buxb. hal.* 157.

Var. α. inter ſegetes vor der Heide, in arvis editioribus, apricis requietis (Trifolio ſ. Onobrychide conſitis) ad Lodersleben; β. in arvis et occatis inter oleraceas in pratis glareoſis; γ. in arenoſis hinter Nietleben cum Jaſione montana et H. umbellato leptocaulo noſtro.

En! novum summae mutabilitatis plantarum quarumdam exemplum cum Scorzonerae hispanicae, Leontodontis auctumnalis, Hieracii umbellati aliorumque semiflosculosorum comparandum. Sua profecto! in hac quoque stirpe loci natalis indoles flagitat jura sibique singulares omnino parat formas, primo intuitu plane alienas tamque diversas ut in illis redigendis omnes cujuslibet aevi botanici insolita mutabilitate decepti deprehendantur. Caulis directio, foliorum forma, habitus externus notas modo mentiuntur, nec ullas profecto scio nisi in florum magnitudine ejusque colore, pappo semiplumoso calycisque adpresso-calyculati forma differentias. Summam stirpis mutabilitatem veterum synonyma jam declarant, quae, quamvis speciem certius designent, sine figuris tamen ad formas triplices, quas statuimus, modo promiscue citari possunt. *C. Bauhinum*, qui Crepidem nostram nominibus quatuor indicavit, *Vaillantius* jam carpit. Quid vero? nonne similis ambiguitas in scriptis hodiernis denuo redit, in quibus quivis propemodum auctor, Cr. virentis nomine *Linn.*, aliam intelligit et in quibus totidem species distinctae enumerantur? — At tenęamus, habitus externi fallaciis relictis, notas meliores: intueamur magnum specierum in variis locis lectarum numerum et ex concentu divite notas addiscamus certas, quae in calycis, seminum, pappi et quodammodo etiam in floris parvi communione exstant, inconcussas. Reliquae, quas caulis directio, foliorum figura, color et aliae quoad locum proprietates mentiuntur, in hac ut in quamplurimis aliis fallaciae plenae sunt et erroribus viam muniunt atque patefaciunt.

Radix fusiformis, annua. Caules angulato-striati, pube tenui farinacea adspersi, virides saepius tamen aeque ac folia inferiora purpurascentes, in var. α. stricti, superne in ramulos floriferos divisi, 1 — 2-pedales, in var. β. a basi inde ra-

mosi, ramis patentibus, 1 s. $1\frac{1}{2}$-pedales, in var. γ. decumbentes, graciles et maxime in arenosis apricis laete virescentes, rarius soboliferi et radicantes (in aggeribus glareosis), in caespites densos juncti, digitales s. spithamei. Folia glabra aut carina modo pube farinacea subtilissima adspersa, forma, latitudine, longitudine et colore perquam varia: radicalia quasi petiolata, runcinata, lobis patentibus jam integerrimis jam extus dentatis, plus minusve acutis, extimo ovato, oblongo, latiore, obtuso (var. α. apud *Cand.*), aut acuto (var. β. *DC.*), in planta florifera emarcida: caulina inferiora et media in var. α. lanceolata s. linearia eaque iisdem jam pectinato-pinnatifida (Cr. pinnatifida *W.*) apice integerrima, laciniis linearibus integerrimis patentissimis, jam in var. β. lanceolato-linearia, integerrima, acuminata aut in hac quoque ut in var. α. pinnatifida, omnia basi sagittata, auriculis quoad figuram, latitudinem et longitudinem variis, jam abbreviatis, jam longe porrectis, integris s. in lacinias lineares cauli approximatas divisis, in var. γ. omnia minora, angustiora, plerumque conformia, linearia, integerrima s. parce vel sinuato-dentata vel profundius dentata (H. nigrum *Tabern.* s. H. foliis coronopi *C. Bauh. pin.* 128.), plerumque laete-virescentia. Pedunculi in var. α. et β. bi-trichotomi, exterioribus duobus unciam longis, intermedio duplo breviori: in var. γ. longiores et graciliores, simpliciores, fere filiformes (Lapsana capillaris *L.*) Calyces congenerum more angulati, parvi H. florentini magnitudine, nubiles ovales, peracta florescentia, ovato-ventricosi, apice attenuati pappum aequalem continentes, calyculo ex foliolis perpaucis linearibus, brevissimis, adpressis composito cincti: foliola calycina oblongo-lanceolata, acuminata, dorso convexo glandulis basi nigrescentibus, apice capitato virescentibus tanquam muricata et ex pube farinacea interspersa plus minusve pubescentia, utrinque et apice membranacea, diaphana, glabra,

post florescentiam conniventia, dum semina dejiciuntur, patentia, illis elapsis iterum coëuntia et demum reversa. Flores parvi, extus vittati, purpurascentes. Styli ex antheris egressi e flavo livescunt. Semina oblonga, striata, utrinque aequalia, obtusa, pappo breviora, 3 millimetr. longa, glabra, dilute-fuscescentia. Pappus niveus, villoso-pilosus, mollis. Receptaculum nudum.

Crepis parviflora *Desf. cat.* 88. *Pers. ench.* II. 376. quam eo nomine ex horto hal. tuli, perquam adfinis vix nisi foliis caulinis integerrimis magisque glaucis et habitu alieno a nostra differre videtur.

353. Crepis tectorum *L.* calycibus ovatis pappum aequantibus ramulisque incano-tomentosis, corollis utrinque concoloribus, foliis radicalibus runcinatis, caulinis inferioribus lanceolato-linearibus sagittatis, superioribus linearibus integerrimis, seminibus *linearibus apice* attenuatis asperis pappum subaequantibus.

α. ruderalis *W.*, foliis caulinis inferioribus pinnatifidis, panicula multiflora densa, caule subramoso. — Hierac. II. *Tabernaem. hist.* p. 492. f. 2.

β. segetalis *W.*, foliis caulinis inferioribus parce dentatis, panicula pauciflora laxa, caule simplicissimo. — Cr. tectorum β. segetalis *Roth. germ.* II. 254. Cr. stricta *Schultz. suppl.* 41. *Flor. dan.* t. 501.

γ. gracilis *W.*, foliis caulinis omnibus subintegerrimis linearibus, caule gracili 3 — 4-floro. — Cr. Lachenalii *DC. gall.* V. 449.

Var. α. in ruderibus, tectorum grumis; β. inter segetes; γ. ibidem plerumque tamen in solo calcareo s. argillaceo sterili.

354. CREPIS BIENNIS *L.* calycibus ovato-oblongis coſtatis muricatis pappo brevioribus calyculo glabro patulo cinctis, caule foliisque runcinato-pinnatifidis utrinque hiſpidis, ſeminibus oblongo-linearibus apice attractis exaſperatis pappum aequantibus.

α. PLATYPHYLLA *W.*, foliorum laciniis ovatis, extrema latiore.

Cr. biennis *L.* et *auct.*

β. LEPTOPHYLLA *W.*, foliorum laciniis linearibus omnibus conformibus.

Var. α. omnibus partibus vehementer ludit, var. β. ſatis memorabilis in pratis Loderslebenſibus obvia.

Praeter varietates innumeras ſpecimina monſtroſa etiam conſervo in vineis Bennſtadienſibus lecta, pedunculis elongatis e puncto communi proliferis umbellatis, floſculis monſtroſis ovatis coronatis. Ejusmodi monſtra, quorum multa ad vias publicas, quae a Rosla ad Sangerhuſam ducunt, vidi, umbelliferam fere aequant: in iisdem caulibus 18 umbellulas, quarum plures ex pedunculis 55 — 65 conſtabant, numeravi.

Haec vero obiter ad *philoſ. bot.* §. 124. monui.

LVIII. SONCHUS *L.*

(*Gaertn.* t. 158. *Schk.* t. 217.)

Calyx ſubventricoſus e foliolis inaequalibus imbricatus. Receptaculum nudum. Semina utrinque aequalia. Pappus ſimplex, ſeſſilis, piloſus, baſi in annulum obſoletum deciduum conſtipatus.

355. SONCHUS OLERACEUS *L.* pedunculis calycibusque glabriusculis, foliis ovato-oblongis

ſagittatis, auriculis acuminatis liberis porrectis, ſeminibus ſulcatis margine dorſoque transverſim corrugatis.

S. oleraceus α. laevis *Linn. ſp. pl.* II. 1117. et *auct.*

α. INTEGRIFOLIUS *W.*, foliis ſubintegris parce-dentatis ſinuatisve.

β. TRIANGULARIS *W.*, foliis runcinato-lyratis, lacinia extrema latiſſima triangulari.

S. oleraceus *fl. dan.* t. 682.
S. aſper *Blackw.* t. 30. *Gaertn. fruct.* II. 360. t. 158. a. b.
S. laevis III. *Tabernaem. hiſt.* p. 499.

γ. LACERUS *W.*, foliis pinnatifidis, laciniis lanceolatis acuminatis omnibus conformibus.

S. lacerus *Willd. ſp pl.* V. 1513.
S. laevis IV. V. *Tabernaem. hiſt.* 499. *Chabr. ſtirp.* 310. t. 3.

Inter oleraceas domeſticas. — Variat foliorum figura et magnitudine, floribus albis (Sonch. laevis fl. albo *Tabernaem.* l. l.).

† 356. SONCHUS FALLAX *Wallr.* pedunculis calycibusque glabriusculis, foliis oblongo-lanceolatis integris dentatisque, auriculis rotundatis amplexicaulibus, ſeminibus laevibus utrinque triſtriatis.

S. fallax *Wallr. ann. bot.* 98.

α. LAEVIS *W.*, foliis ovato-oblongis integris auriculisque parce-ſpinoſis ſubamplexicaulibus.

β. ASPER *W.*, foliis oblongo-lanceolatis runcinato-dentatis, pinnis confertis divaricatis bi-tripartitisve ſpinoſo-horridis, auriculis cochleatim-tornatis caulem adpreſſo-vaginantibus.

S. aſper *Hoffm. germ.* II. 109. *Fl. dan.* t. 893 opt. *Schultz. ſtarg. ſuppl.* 40. *Tabernaem. hiſt.* 498. f. 1. *Chabr. ſtirp.* 310. f. 4. bonae.
S. oleraceus γ. *Linn. ſp. pl.* II. 1117. ed. *Willd.* V. 1515. excl. ſyn. *Blackw.*

In arvis reſtibilibus, promontoriis occatis, β. in aggeribus ſiccis maxime laetatur inque illis caulis magnitudine variat.

Stirps decantata, a nemine autem rite deſcripta, priſcis rei herbariae ſtatoribus, ipſi forſan *Plinio* (Sonchus lactucae ſimilis, niſi ſpinoſus, caule cubitali, anguloſo, intus cavo. *Hiſt. N.* XXII. 24.), ex habitu jam innotuit, quam S. fallacis nomine in memoriam vocavi et ex ſeminum fabrica foliorumque proprietate diligentius diſtinxi. S. aſperi nomen uſitatum var. α. noſtra et *Blackwellii*, *Gaertneri* aliorumque ſynonyma perſuadare videntur.

d. *Semina apice effigurata in ſtipitem pappophorum attenuata.*

†) *pappo piloſo.*

LIX. CICERBITA *Wallr.*

(*Schk.* t. 217. 218)

Calyx oblongus e foliolis inaequalibus. Receptaculum nudum. Semina in ſtipitem pappophorum rigidum attenuata. Pappus ſimplex ſeſſilis piloſus perſiſtens diſco inſertus.

Genus novum, medium quaſi inter Sonchum et Lactucam, a *Marcello Empirico* *) pri

*) Cicerbita idem ac Sonchus Graecorum. Dentium dolores lenire radicem Cicerbitae *Mar-*

mum dictum, quod in hac femiflosculoforum familia naturali eo rectius ftatuitur eoque magis neceffarium eft, quo gravius quaedam fpecies inter utrumque vacillant et ab his auctoribus ad Sonchos, ab aliis ad Lactucas aequo jure relatae funt. Et calycis indoles et feminum pappique difco ftipitato inferti proprietas, in his plantis graviffimi momenti, diftinctionem fuadent atque vindicant. Quod Barkhaufia inter Crepidem et Hieracium: id Cicerbita noftra inter Sonchum et Lactucam. Omnes fpecies quadam habitus naturalis communione congregantur.

Hujus generis funt: 1) CICERBITA MACROPHYLLA *Wallr.* (Sonchus *Willd.*). — 2) CIC. BOREALIS *W.* (Sonchus lapponicus *Froehl.*). — 3) CIC. LEUCOPHAEA *W.* (Sonchus *W.*). — 4) CIC. FLORIDANA *W.* (Sonchus *L.* Lactuca *Boerh.*). — 5) CIC. ACUMINATA *W.* (Sonchus *W.* Lact. villofa *Jacq.*). — 6) CIC. CANADENSIS *W.* (S. pallidus *W.* Lact. canad. *L.*). — 7) CIC. INTYBACEA *W.* (Lactuca *Jacq.*). — 8) CIC. ELONGATA *W.* (Lactuca *Mühlenb.*).

Hae et quaedam aliae exoticae: ex indigenis funt:

357. CICERBITA ALPINA *Wallr.* f. Sonchus alpinus *Hudf.* *Spr. hal.* 224. fynonym. add. Hieracium coeruleum *Scopol. carn.* n. 976. S. laevior auftralis III. coeruleo flore *Cluf. hift.* II. 147. f. 1. S. coeruleus latifolius *Chabr. ftirp.* 316. f. 6. Intybus platyphyllos hercyn. *Thal. herc.* 62. — Rariffime occurrit inter Schmon et Wendelftein: frequentius in hercynicis.

358. CICERBITA CORYMBOSA *Wallr.* foliis inferioribus lyrato-runcinatis bafi amplexicauli

---

cell. Empir. c. 8. adfeverat. Cf. *Reinef. ad Petron. Fragm.* p. 95.

attenuatis, caulinis runcinato-pinnatifidis basi foliacea sagittatis, summis linearibus sensim minoribus, corymbo ramosissimo.

Lactuca stricta *Waldst. et Kit. hung.* I. 47. t. 48. opt.

L. quercina *Spr hal.* 225. et *al. auct. fl. germ nec Linn.*

In dumetis der Steinklippe, in nemoribus caeduis ad Rossleben satis vulgaris.

Radix biennis, napiformis, fibras aliquot emittens, fusca. Caulis solitarius ex eadem radice, simplicissimus, strictus, teres, striatus, laevis, foliosus, 2 — 4 pedalis. Folia utrinque glaberrima, tenera, venosa, pallide viridia, subtus pallidiora: radicalia petiolata, obtusa, varia; caulina inferiora lyrato-runcinata, laciniis oblongis subdistormibus sinuato-dentatis, extima majori irregulariter triangulari in petiolum laciniis sensim minoribus exstructum, amplexicaulem attenuata, caulina superiora pinnatifido-laciniata, laciniis omnibus sublanceolatis acuminatis sinuato-argute dentatis, aliis minoribus simul interjectis, basin sagittatam versus amplius dilatata (petiolus foliaceus), auriculis denticulatis porrectis: summa e basi dilatata linearia, integerrima. Flores corymbosi, fastigiati: ramuli floriferi, teretes, infra calyces aliquot foliolis brevissimis tecti, demum patentissimi. Calyces oblongi, basi ovati, foliolis inaequalibus, exterioribus minoribus, dorso purpureo-maculatis. Corolla flava utrinque concolor. Semina oblonga, compressa, striata, atra, in stipitem pappophorum rigidum, concolorem attenuata, apicem versus aspera. Pappus disco insertus, seminibus brevior.

Variat foliis caulinis basi latioribus laciniisque angustioribus.

Lactuca quercina *L.* (Cicerbita) ex insula Carolina maris baltici, a nostra, radice perenni,

floribus paniculatis, strictis, foliis basi dilatatis et aliis notis differt. Nullas video differentias inter Cicerb. nostram et Lactucam strictam *Kit.*: nomen triviale tamen retinere nolui, quoniam plurimis Cicerbitis caules erecti communes sunt.

359. Cicerbita muralis *Wallr.* foliis lyrato-runcinatis, laciniis lateralibus in basin obliquatis terminalique majore basi cordata subtriangularibus sinuato-dentatis, calycibus cylindricis calyculatis quinquefloris, panicula patentissima.

Prenanthes muralis L. et *auct.*

Veteres Cicerbitam nostram Soncho: *Gaertnerus, Lamarckius* et *Candollius* Chondrillae: *Linnaeus* Prenanthi, generi fulo et denuo inquirendo adscripsit, omnibus tamen locis hanc a reliquis speciebus, pappo stipitato alienam esse, admonuit. Hinc *Gaertnerus*, qui omnia genera accuratissime indagavit, in iconibus Lactucam dixit. Equidem seminum pappique indolem pro generis nota habeo essentiali. Florum numerus enim aeque ac calycis forma ambiguitatem produnt, ut ex Artemisiae monogynae *Kit.* et Art. palmatae *Lam.* aliarumque exemplis patet. Quod Hieracium praemorsum inter reliqua Hieracia: id Prenanthes muralis inter Cicerbitas, quae ex Corollistarum systemate in nostrum transiit. Habitus denique occulte consulendus isque usu neque institutione neque disciplina addiscitur! —

LX. BARKHAUSIA *Moench.*

(*Gaertn.* t. 158.)

Calyx ovalis e foliolis aequalibus dorso gibbosis polyphyllus, basi calyculatus, effoetus demum costato-torulosus. Receptaculum nullum. Semina in

ſtipitem pappophorum capillarem attenuata. Pappus ſeſſilis piloſus mollis.

360. Barkhausia foetida *DC.*, Crepis foetida *L.* — *Spr. hal.* 224. In arvis ſterilibus ad Roſsleben an den Schachtbergen inque vineis ad lacum ſalſum abundat.

LXI. TARAXACUM *Hall.*

(*Gaertn.* t. 158. f. 7. *Schk.* t. 219.)

Calyx oblongus ex foliolis aequalibus polyphyllus, baſi foliolis plurimis calyculatus. Receptaculum excavato-punctatum. Semina ineffigurata apice muricata. Pappus piloſus ſtipite conformi capillari ſuffultus.

Taraxacum genus antiquius cum *Hall. Juſſ. Lam. Roth. Deſf. Vill.* et *DC.* reſtituendum eſſe, canon Linnaeanus admonet.

361. Taraxacum officinale *Vill. delph.* III. 72. *Roth.* Leontodon Taraxacum *Linn.* — Tarax. Dens leonis *Deſf. DC.* — Leont. officinalis *With.* — Leont. vulgare *Lam.*

Varietates exſtant innumerae: memorabilem et foliorum anguſtiſſimorum laciniis linearibus inſignem, ab *Hoppio* cl. proprio *Leontodontis taraxacoides* nomine datam et in collibus graminoſis Tergeſti lectam, paſſim in noſtris quoque vidi v. c. ad Roſsleben, in collibus calcareis ad Steigerthal et alibi. Huc forſan revocandus eſt: Dens leonis tenuiſſimo folio *Buxb. hal.* 96.

362. Taraxacum palustre *DC.* — Leontodon lividus *Kit. Willd Spr. hal.* 226. *Ann. bot.* 99.

LXII. CHONDRILLA L.

(*Gaertn.* t. 158. f. 6. *Schk* t. 218.)

Calyx cylindricus decaphyllus, bafi foliolis paucis breviffimis calyculatus. Receptaculum excavato-punctatum. Semina fubeffigurata, appendicibus paleatis pappum pilofum longe ftipitatum transmittentibus coronata.

Calyx Prenanthis: femina Taraxaci, a quo aegre et forfan invita natura difpefcitur.

363. CHONDRILLA JUNCEA *Linn.* — *Spr. hal.* 225

Chondr. juncea vifcofa arvenfis f. prima Diofcoridis *C. Bauh. pin.* 130. f. Chondrilla juncea *Linn.*, ob fynonyma citata titulos ancipites offerre videntur. Dubiis autem, dum haec fcribo, haud par fum. Neque enim omnibus operibus, neque fpeciminum diviti collectione uti licet. Chondrilla viminea *J. Bauh.* II. 1021. *Chabr. ftirp.* 317. f. 6. quae a *Linnaeo* citatur, et Chond. viminalibus virgis *Cluf. hift.* II. 144 f. 2. *Morif. hift.* VII. 6. 21., quam *Candollius* ad Ch. junceam refert, icones fibi fimillimae ab indigenis vehementer recedunt. Melior eft et cum noftris circa Halam lectis congruit *Tabernaemontani* figura in *hift.* 487. Chondrillae junceae titulo exhibita.

Aliam habeo aut varietatem memorabilem aut fpeciem diftinctam, in arvis Heringenfibus lectam, caule inferiore hifpido, ramofo, ramis patentibus unifloris, foliofis, parce hifpidis, foliis viridibus, radicalibus finuato-dentatis, caulinis petiolatis lanceolato-oblongis, carina margineque fpinulofis, fummis feffilibus anguftioribus totoque habitu diverfam et alio anno denuo conferendam. Ad hanc *Schkuhrii* icon optima melius quam ad halenfem quadrat.

LXIII. LACTUCA *Linn.*

(*Gaertn.* t. 158. *Schk.* t. 217.)

Calyx oblongo-cylindricus, polyphyllus, e foliolis inaequalibus imbricatus. Semina inefigurata, acuta. Pappus pilosus stipite conformi capillari suffultus.

364. LACTUCA VIROSA *L.* vera Europae australiori indigena exsulat procul dubio in flora halensi et quae in illa indicatur mera L. Scariolae est varietas, qualem *Schkuhr.* t. 217. icone exhibuit. Veram *Morisoni* icon nitida s. VII. 2. 17. reddit.

365. LACTUCA SALIGNA *L.*, foliis subverticalibus, radicalibus lanceolatis pinnatifidis, caulinis linearibus integerrimis sagittatis.

Duplices haud immerito statui possunt varietates, nominibus propriis describendae:

α. RUPPIANA, foliis caulinis lanceolatis carina aculeatis, caule erecto 2 — 4-pedali.

L. sylvestris II. angusto saligno folio, costa albicante *Rupp. jen.* 207. t. 4 opt.

β. WALLROTHIANA, foliis caulinis linearibus inermibus, caule adscendente a radice inde ramosissimo pedali.

Lactuca Wallrothii *Spreng. pug.* I. 53.
Lact. salign. var *Ann. bot.* 99.

Var. α. in pascuis citra stagnum Koelmense et aliis locis vicinis: β. in lapicidina inter Giebichenstein et cauponam die schwarze Schürze vulgo dictam, in ipsius horti vicinia, in aggeribus, ad vias quibus itur a Rolsdorf ad Wansleben et aliis locis

† 366. LACTUCA PERENNIS *L.* foliis omnibus pinnatifidis laciniis linearibus integris ſurſumque dentatis, inferioribus ſeſſilibus, ſupremis baſi rotundato-amplexicaulibus, floribus corymboſo-paniculatis.

α. LATIFOLIA *W.*, laciniis foliorum oblongo-lanceolatis, extremo ovato-deltoideo dentato.

Chondrilla coerulea latifolia laciniata *C. Bauh. pin.* 130. *Tabernaem. hiſt.* 486. f. 2. 3.

β. ANGUSTIFOLIA *W.*, laciniis foliorum omnibus linearibus conformibus.

Ch. coerulea II. cichoreofol. ſylv. *Bauh.* l. l. *Tabern.* l. l.

Chondrille *J. Bauh. hiſt.* II. 1019. *Chabr. ſtirp.* 317. f. 4.

In montis jugo meridionali der Steinklippe rariſſ. multo frequentius infra arcem vetuſtam Rothenburg prope Kelbram inque vineis agri Sondershuſani prope Jechaburg extra fin. A *Buxbaumio* in locis apricis des Mittelholzes indicatur, quo quidem loco vix ſupereſſe videtur.

Variat foliorum forma et latitudine, hinc duplices icones et totidem ſynonyma apud veteres botanicos. Var. flor. albis in agro Sondersh. ſemel vidi (Chondr. II. *Tabernaem.* 486. f. 2.). Complures alias varietates *Lapeyrouſius* (*ſuppl. pl. pyr.* p. 121.) enumerat.

e. pappo plumoſo.

LXIV. PICRIS *L.*

(*Gaertn.* t. 159. *Schk.* t. 216.)

Calyx ovatus aequalis polyphyllus, baſi calyculatus. Receptaculum excavato-punctatum. Semina ineffi-

gurata. Pappus sessilis plumosus, radiis omnibus filiformibus conformibus.

367. Picris hieracioides *L.* calycibus ovatis scabriusculis calyculo patulo cinctis, foliis oblongo-lanceolatis dentatis amplexicaulibus asperis, floribus umbellato corymbosis.

α. latifolia, foliis caulinis ovato-oblongis undulatis.

β. angustifolia, foliis caulinis lanceolatis planis.

In pratis inque vineis abundat.

LXV. LEONTODON *L.*

(*Gaertn.* t. 159. *Schk.* t. 220.)

Calyx aequalis polyphyllus, basi foliis minoribus adpressis calyculaeformibus cinctus. Receptaculum scrobiculatum nudiusculum. Semina ineffigurata subaequalia. Pappus subsessilis: radii difformes basi paleaceo-dilatati, plumosi.

LXVI. THRINCIA *Roth.*

(*Catal.* I. 98. *Schk.* t. 220.)

† 368. Thrincia Leysseri *Wallr.* scapo unifloro, foliis oblongo-lanceolatis utrinque pilis bifurcatis hispidis, seminibus centralibus oblongis scabris apice attracto pappo sessili coronatis.

Thrincia hirta *Roth. cat. bot.* I. 98. *Spreng. hal.* 228. excl. syn. *Curt. Willd. sp. pl.* IV. 1554. excl. syn. plurim. et loc. nat. austral.

Apargia hirta *Schk.* III. 25. t. 220. opt.
Leontodon hirtum *Roth. germ.* II. 145. *Leers herb.* 172. *Leyss. hal.* 191. — nec *Linn.*
L. hispidum *Poll. pal.* II. 382.
H. minus dentis leonis folio subaspero *Buxb. hal.* 157. excl. syn. *Bauh.* et *Chabr.*

In pascuis pratisque udis ad Koelme, unweit Barth's Weinberg, Kröllwitz, Wensleben et aliis locis.

Buxbaumius Thrinciam nostram primum detexit, *Leysserus* denuo introduxit et succincte definivit: *Leersius* et *Pollichius* optime descripserunt: *Schkuhrius* icone vivida expressit; *Rothius* denique differentias a *Leyssero* et *Leersio* traditas agnovit et ad genus novum adhibuit, — a qua stirps Linnaeana (Leontodon hirtum *sp. pl.* II. 1123. H. parvum hirtum, caule aphyllo, crispum ubi siccatum *J. Bauh.* II. 1038. *Chabr. stirp.* 323. f. 1.) et alia australis, a cl. *Candollio* descripta (Thrincia hirta *DC. gall.* IV. 51. excl. syn. *Roth* et *Gaertn.*), hucdum cum nostra commutatae diversae sunt, et illa quidem, ipso *Linnaeo* teste, pilis simplicissimis, foliis dentatis hirtis, disco (dum exsiccantur) valde flexuosis, radio corollae utrinque concolore nec subtus virescente: haec, (H. narbonense *Chabr. stirp.* p. 323. f. 6.) praeter omnium partium magnitudinem, seminibus centralibus in stipitem pappophorum conformem attenuatis. — Nostra variat partium glabritie et foliorum figura, *Leyssero* jam observante.

LXVII. HYPOCHOERIS *L.*

(*Gaertn.* t. 159. *Schk.* t. 225.)

Calyx oblongus ex foliolis inaequalibus polyphyllus. Receptaculum paleis caducis obsitum. Semina uniformia in stipitem pappophorum attenuata. Pappus plumosus: radii conformes filiformes.

LXVIII. SCORZONERA *L.*

Calyx oblongus ex foliolis inaequalibus subimbricatis polyphyllus. Receptaculum nudum. Semina columnaria utrinque aequalia ineffigurata. Pappus sessilis plumosus persistens, radii basi dilatati in annulum constipati.

Cl. *Sprengel* (*hal.* 216.) Scorzonerae pappum stipitatum computat, qui in indigenis omnino sessilis est.

369. Scorzonera hispanica *L.* — Cf. *Ann. bot.* 94.

Egregie jam *Thalius* (*herc.* 117.) Scorzonerae hispanicae naturam polymorpham (errore circa Sc. purpuream commisso excepto) exponit plantamque hispanicam vocari ob usum contra viperarum morsus, qui Hispanis primum innotuit, plurimis tamen Germaniae locis indigenam esse, asserit. Locum classicum igitur observationibus meis in *Anno botanico* fusius expositis ita allegandum praecipio ut ad Sc. hisp. *var.* α. *sinuatam nostram Lonicer. stirp.* 562. *Tabernaem. hist.* 995. f. 1. 996. f. 3. *Rupp. jen.* 207. et Scorz. hispan. latifolia *Thal. herc.* 117.; ad Sc. hisp. *var.* β. *glastifoliam nostram* Sc. latifol. II. *C. Bauh.* 275. *Tabern. hist.* 996. f. 2. et 4. Sc. humilis *Leyss. hal.* 192; ad Sc. hisp. *var.* γ. *asphodeloiden* Scorz. hisp. tenuifolia foliis longioribus et strictioribus *Thal. herc.* 119. *Rupp. jen.* 207. *Tabern. hist.* 996. f. 1. adscribantur. — Praeter has formas in variis locis fideliter redeuntes et nominibus propriis dignoscendas, aliam habeo satis singularem, in *Ann. bot.* obiter modo indicatam:

Scorz. hisp. δ. dentata *W.*, foliis lineari-lanceolatis dentatis, dentibus remotis elongatis divergentibus.

Crescit haec var. cum reliquis in depressis collis Bibraensis et in pratis udis circa Bremam, pagum Dudenstadio vicinum fl. gott. — Tantam igitur Sc. hispanicae voluit Natura mutabilitatem, ut ne folii integritatem pro nota stabili concederet.

370. Scorzonera purpurea *L.* — Sc. hisp. foliis multo tenuioribus et angustioribus flore ex rubro subcaesio *Thal. herc.* 119. — Hujus quoque Sc. varietatem foliis lacinia una alteraque unciali fissis insignem in collibus nostris rariss. vidi.

LXIX. PODOSPERMUM *Cand.*

(*Gaertn.* t. 159. *Schk.* t. 215.)

Calyx Scorzonerae. Receptaculum tuberculato-muricatum. Semina columnaria basi in pedicellum cavum incrassata. Pappus Scorzonerae.

An seminis fabrica peculiaris proprio generi sufficiat, *Gaertnerus* jam sciscitatur: novum recte statuit *Candollius*.

371. Podospermum laciniatum *DC.* — Scorzonera laciniata *L. Spr. hal.* 227.

LXX. TRAGOPOGON *L.*

(*Gaertn.* t. 159 *Schk.* t. 214.)

Calyx pyramidatus simplex 8 — 10-phyllus. Receptaculum nudum. Semina in stipitem pappophorum fistulosum attenuata. Pappus Scorzonerae.

LXXI. CIRSIUM *Tournef.*

Calyx subventricosus e squamis spinescentibus imbricatis polyphyllus. Receptaculum paleatum. Pap-

pus plumosus basi in annulum caducum conferruminatus.

Cnicos Linnaeanos et Willdenowianos Cirsii nomine antiquiore ex variis caussis aptius salutari, in eo omnes nunc hodierni consentiunt auctores.

572. Cirsium bulbosum *DC.* foliis semiamplexicaulibus pinnatifidis ciliato-spinosis, laciniis oblongo-lanceolatis bi-trilobisve basi sursum dentatis, caule subunifloro, squamis calycinis lanceolatis mucronatis patulis, radicibus in bulbos oblongos incrassatis.

Cirsium bulbosum *DC. gall.* IV. 118. *synops.* 276.
Cnicus tuberosus *Willd. sp. pl.* excl. syn. *L.* var. α *Spreng. hal.* 231.
Cnicus spurius *Hoffm. germ.* 128.
Cirsium tuberosum *Allion. ped.* n. 551.
Carduus bulbosus *Lam. dict.* I. 705.
Card. tuberosus β. *Linn. sp. pl.* 1154. *Leyss. hal.* 201.
Cirsium pratense Asphodeli radice latifolium *Rupp. jen.* 187. *Buxb. hal.* 75. excl. syn. *Tourn.* et *Bauh.*
C. pratensis Asphodeli radice foliis profunde et tenuiter laciniatis *C. Bauh. pin.* 377.
Jacea IV. *Tabernaem. hist.* p. 436.

β. pallens *W.*, laciniis foliorum oblongis bitrilobisve, corollis pallentibus.

In pratis Nietlebensibus, Seebensibus et Benndorfensibus abundat; var. β inter Roitsch et Brehna, et cum priore promiscue.

Cirsium nostrum C. tuberosus β. Linn. est, ex pratis Lipsiensibus. C. pratensis Asphodeli radice latifolius *C. Bauh.* (Carduus tuberosus α. *Linn.* (Cirsium pratense *DC. gall.* 113.), Gallias au-

ſtrali et Auſtriae indigenus, foliis decurrentibus ſinuato-pinnatis utrinque glabris margine ciliato-ſpinoſis, pedunculis tomentoſis unifloris diſcrepat, Cnico cano *Willd* ſimilis et forſan idem. Card. tuberoſus *Jacq. vind.* 280., qui a *Linnaeo* C. tuberoſi var. α., a *Willdenowio* autem Cn. cano perperam adſcribitur, rem probabilem reddunt. Var. β., floribus flaveſcentibus laciniisque foliorum oblongis, latioribus a var. α quoad foliorum figuram ſatis polymorpha parum differt et hybrida progenies eſſe videtur ex C. oleraceo vicino et C. bulboſo, ut C. hybridum *Koch.* apud *DC. gall.* V. 463. ex illo et C. paluſtri.

† 373. ?Cirsium rigens *Wallr.* foliis ſemiamplexicaulibus baſi aequalibus oblongo-lanceolatis ciliato-ſpinoſis dentato-pinnatis, pinnis ovatis ſubbilobis planis, pedunculis unifloris exſertis, calycibus foliolis oblongo-lanceolatis (ternis) ſuffultis, ſquamis calycinis interioribus lanceolatis exteriores ovatas ſuperantibus.

Cirſium tataricum *All. ped.* n. 550. *DC. gall.* IV. 114. excl. ſyn. *Linn.* — *Syn.* 274. *Hoffm. germ.* 129 excl. ſyn.
Cnicus rigens *Willd. ſp. pl.* III. 1675. *Perſ. ench.* II. 388.
Carduus rigens, foliis lanceolatis amplexicaulibus, ſerraturis ſpinoſo-ſetaceis, capitulis triphyllis. *La Chenal* in *Act. helv.* IV. 294. t. 16. *Gmel. ſyſt.* 1188.
Cirſium foliis ciliatis ſemipinnatis, pinnis angulosis ſpinoſis, ſuperioribus amplexicaulibus *Hall. helv.* n. 176.
Cirſium variabile β. *Moench. meth.* 558.
Cnicus pratenſis humilior flore purpuraſcente *Rupp. jen.* 190.
Cn. pratenſis acanthifolio fl. purpuraſcente *Tournef. inſt.* teſte *Rupp.*

In pratis editioribus ad Rofsleben et aliis agri thuring. locis paſſim. Septembr.

Radix fuſiformis nigricans. Caulis ſimpliciusculus, erectus, ſuperne in pedunculos diviſus, ſtriatus, pube tenui ſubarachnoidea adſperſus, 1—2-pedalis. Folia ſupra nuda, viridia, ſubtus nervis caulis more parce pubeſcentia: radicalia ovato-oblonga, dentato-pinnata, margine ſpinis ſetaceis majoribus et minoribus obſita, pinnis ovatis, bi-trilobisve, fere anguloſis, brevibus, pinnulis acuminatis cum ſpina ſetacea: caulina ſemiamplexicaulia, baſi rotundata et aequalia, oblonga, cum radicalibus conformia, ſenſim tamen anguſtiora et minus pinnatifida: ſumma calyces ipſos pedunculatos ſuffulcientia linearia, integerrima, ſpinulis aequalibus armata, plana, concolora. Pedunculi nudi, exſerti, digitales, folio uno alterove aucti, uniflori, rariſſime biflori. Calyx ovato-oblongus, magnitudine Cirſii acaulis, involucro triphyllo ſuffultus. Squamae calycinae inaequales, adpreſſae, imbricatae enerviae, nudae, mucrones patentiſſimi, exteriores ovatae, mediae oblongae, interiores lineares in acumen innocuum finientes, concolores. Flosculi palleſcentes; ſtyli bifidi, exſerti, recti, demum purpuraſcentes.

Stirpem noſtram ab omnibus indigenis diſtinctiſſimam eſſe, perſuaſus ſum. De ſynonymis allatis quaedam quidem ſuperſunt dubia, hoc tempore ob operum defectum haud ſolvenda: omnia tamen deſcriptionum fide huc pertinent. Reliqua Cirſia adfinia differunt et a noſtro fere ſequentibus dignoſcuntur:

1) *Cirſium oleraceum:* floribus ſubracemoſis bracteatis, bracteis latioribus, coloratis; foliis latioribus baſi dilatata amplexicaulibus in auriculas protractis, pinnatifidis, pinnis ovato-oblongis integris (nec bilobis) ſpinoſo-dentatis, caulibus vaſtioribus, ſimplicioribus et altioribus totoque habitu.

2) *Cirsium bulbosum:* caule subunifloro, pedunculis infra calyces ebracteatos tomentosis, pinnis foliorum longioribus, angustioribus, sursum dentatis.

3) *Cirsium acaulon* (C. acaulon fl. purpureo *Tournef. inst.* 448. *Rupp. jen.* 188. Carlina minor, purpureo flore *Clus. hist.* II. 156. (opt.)) ejusque var. caulescens (Cn. dubius *Willd.*) foliorum forma generali haud dissimilis: foliis basi attenuata sessilibus, pinnis brevioribus, squamis calycinis brevissime et fere innocuo-spinulosis et floribus involucro triphyllo destitutis.

4) *Cirsium tataricum*, verum e Sibiria nondum vidi, quod ex hortis eodem nomine habeo, primo jam intuitu praeter alias notas differt.

374. Cirsium eriophorum *Scop.* foliis sessilibus pinnatifidis supra margineque reflexo obtexto-hispidis, laciniis geminatis divaricatis nervosis, nervis spinescentibus, calycibus globosis subaggregatis, squamis mucronato-spinosis patulis arachnoideo-lanatis.

Carduus eriophorus *Linn.* Cnicus *Willd.* et *auct.*

α. platyonychinum *W.*, foliis subtus arachnoideo-lanatis glaucescentibus, calycibus maximis subsolitariis, squamis calycinis elongatis ex apice unguiculato spinescentibus.

β. oxyonychinum *W.*, foliis subtus tomentosis candicantibus, calycibus minoribus, squamis calycinis ex apice subaequali spinescentibus.

Var. α. prope ovilia Seebensia legi: β. in collibus supra Bottendorf et aliis Thuring. locis. — Var. calycibus lana destitutis passim intercurrunt.

Praeter squamas calycinas, quae in α. infra spinulam unguis s. spathulae instar dilatantur, in β.

vero ſine dilatatione manifeſtiore anguſtantur, nullas equidem video differentias. Var. platyonychinam noſtram *Smithium* et *Rothium* (*germ.* II. 286.) ante oculos habuiſſe, ex ſquamis apice foliaceis, quas Cn. eriophoro ad cribit, elucet. Oxyonychinam *Willdenowius* deſcribere videtur, dum Cn. eriophoro ſquamas calycinas oblongas apice lineares mucronatas adſcribit. Hac, prorſus, ſquamarum calycinarum indole nec calycibus aggregatis, qui ſaepenumero ſolitarii cernuntur, noſtrum pulcherrimum a C. lanceolato conſimili dignoſcitur.

LXXII. LAPPA *Tournef.*

(*Tournef.* t. 256. *Gaertn.* t. 162.)

Calyx ſphaericus e ſquamis in ſpinam cartilagineam hamatam deſinentibus imbricatus. Flosculi omnes hermaphroditi. Receptaculum paleatum. Semina columnaria. Pappus piloſus, brevis, rigidus.

† 375. Lappa officinalis *All.* calycibus ſubgloboſis paniculato-racemoſis pedicellisque nudis, ſquamis calycinis infimis in diſcum carnoſum coalitis, exterioribus ſquarroſis aequalibus interiores lineari-lanceolatas in mucronulum attractas concolores ſuperantibus.

Arctium majus *Schk. Handb.* III. 49. t. 227. *Hoffm. germ.* II. 121.
Lappa major *DC. gall.* IV. 77. excl. ſyn. *Gaertn.*
L. glabra β *Lam. dict.* I. 377. *illuſtr.* t. 665.
L. officinalis *Allion. ped.* 2. 528.
L. major capite maximo glabro *Vaill. par.* 114.
Perſonaria *Fuchſ. ic.* 72.

β. FOLIOSA *W.*, calycibus basi foliosis.

In salicetis et alnetis pinguioribus, in aggeribus et arvis vicinis ad Gutenberg, Boelberg, Doellnitz etc. passim.

376. LAPPA TOMENTOSA *All.* calycibus ovatis in umbellam dispositis pedunculisque arachnoideo-lanatis, squamis calycinis infimis basi distinctis, exterioribus rectis interiores oblongo-lanceolatas supra apicem dilatatum scariosum coloratum retusum abrupte apiculatum superantibus.

Lappa tomentosa *All. ped* n. 527. *DC. gall.* IV. 77.

Arctium tomentosum *Schk.* l. l. *Hoffm.* l. l.

A. Bardana *Willd. Spr.*

L. major montana capitulis tomentosis *C. Bauh. pin.* 198.

In ruderibus, juxta vias ubertim.

† 377. LAPPA MINOR *DC.* calycibus subrotundo-depressis axillaribus subracemosis, squamis calycinis infimis minoribus, exterioribus rectis interiores lineares in mucronem attenuatas aequantibus.

Lappa minor *DC. gall.* l. l. excl. syn. *Camer.*

Arctium minus *Schk.* et *Hoffm.* l. l.

In aggeribus suburbiorum inque hortis passim.

Hanc Lapparum trigam, quam veteres rei herbariae fautores ex habitu ambigue, *Schkuhrius* et *Hoffmannus* ex squamarum calycinarum serraturis nimis vage et subtiliter distinxerunt, equidem primus praeter alias notas ex inflorescentia et squamarum calycinarum exteriorum et interiorum

figura et proportione distinguere praecipio. Foliorum figura in alteraquaqua eadem, nec sufficit, *Willdenowio* aliisque auctoribus praeeuntibus in Arctio Lappa et Bardana distinguenda, ad lanam arachnoideam squamis calycinis intertextam et foliorum integritatem solum respicere: illa generis notam complectitur, quamvis etiam in Lappa tomentosa praecellat: haec ludicra omnino est et alterutri communis. — Ex alterutrius stirpis consortio hybridae facile nascuntur, ex signis essentialibus nec vero ex lana calycibus intertexta nec ex magnitudine recognoscendae.

LXXIII. SERRATULA *L.*

Calyx ovato-cylindricus e squamis inermibus imbricatis polyphyllus. Receptaculum paleatum. Pappus setosus pilosus rigidus persistens.

378 SERRATULA TINCTORIA, foliis argute serratis integris pinnatifidisque, squamis calycinis adpressis ovatis acutis, interioribus linearibus duplo longioribus coloratis, floribus corymbosis.

Serr. tinctoria *L. C Bauh Tabern.*
S. sylvatica *Rupp jen.* 188.
Centauroides s Centaurium majus sylvestre germanicum *Thal. herc.* 26.

α. INTEGRIFOLIA *W.*, foliis omnibus integris.

C. sylv. I. foliis latis serratis integris omni incisura carentibus *Thal. herc.* l. l. — *Tabern. hist.* 439. f. 1.

β HETEROPHYLLA *W.*, foliis radicalibus subintegris, reliquis incisis laciniatisve.

C. sylv. II et III., foliis diversis, radicalibus integris, reliquis caulinis incisis *Thal.* l. l. *Tabern.* l. l. f. 2. et 3.
Serratula Matthioli *Clus. hist.* II. 8.

γ. DISSECTA *W.*, foliis omnibus conformibus in lacinias oblongas argute ferratas decuſſive decurrentes diſſectis. (*Flor. dan.* t. 281.)

S. coronata *All. ped.* 538. *DC. gall.* IV. 85. excl. ſyn. *L.* et deſcript.
S. alpina *Zanon. nov.* t. 94.
Cent. ſylv. IV. foliis ab utroque latere profundis ſimilibusque divulſis diviſionibus *Thal. herc.* I. t. 27.
Serr. Tabernaem. *Chabr. ſtirp.* 541. f. 4. *Moriſ.* ſ. VII. 13. 7.

Var. α. pratis noſtris propria: in nemusculo ad Baeren-Naumburg altitudine orgyali: in paſcuis irriguis inter Lettin et Kröllwitz altitudine triunciali ludit: etiam floribus albis, qualem *Ruppius, Thalius* et *Tabernaemontanus* habent. Var. β. in quercetis editioribus frequens; var. γ. in pomariis ſylvaticis, nemorum oris vineisque ad Lodersleben et per totam Thuring. et Hercyniam abundat.

Planta polymorpha ex vetuſtiſſimis rei herbariae ſtatorum teſtimoniis. Formas, quibus ludere ſolet, a *Dalechampio* ad magnitudinem diviſas, *Thalius* noſter ſolita diſtinxit ſolertia, *C. Bauhinus* divulgavit, *Ruppius* denuo comprobavit et *Tabernaemontanus* figuris idoneis illuſtravit. Equidem *Thalii* obſervationes digniſſimas et Naturam ſequuturus, triplices ſtatuo formas primarias, quarum quaevis aliis formis intermediis connectitur.

379. SERRATULA MOLLIS *Wallr.* foliis ſeſſilibus decuſſive interrupteque pinnatifidis ſupra pellucido-glandulosis margine revolutis ſubtus tomentoſis nervoſis, ſuperioribus ſubſimplicibus, ſquamis calycinis exterioribus lanceolato-linearibus ſquarroſis tomentoſis, interioribus membranaceis coloratis glabris.

α. Clusiana W., foliis interrupte pinnatifidis, pinnis margine subundulatis niveo-tomentosis, caule subunifloro.

Cirsium molle *Scop. carn.* I. n. 1000.
Carduus mollis *Linn. sp. pl.* II. 1150. *Jacq. vind.* 276. *austr.* t. 18. *Willd. sp. pl.* III. 1660.
C. mollis laciniato folio *C. B. pin.* 377. *Chabr. stirp.* 308.
C. mollior I. *Clus. hist.* II. 150. — *Moris.* I. VII. 29. 19.

β. Pollichiana W., foliis decussive pinnatifidis tomentosis margine revolutis, caule subramoso.

Serr. Pollichii *DC.* — S. cyanoides *Gaertn. carp.* II. 379.
Carduus cyanoides *Willd. sp. pl.* III. 1655. excl. syn. *Gm.*
Cnicus mollis *Roth. germ.* II. 287.
C. mollis *Poll. pal.* 769. *Wohll.* 36. *Spr. hal.* 229. t. XI. 1.

γ. Sprengeliana W., foliis lineari-lanceolatis subintegerrimis, caule subunifloro.

C. mollis var. fol. omnibus integerrimis lanceolatis *Jacq. vind.* 277.

Var. α. in pratis subalpinis Austriae: β et γ. suo loco in colle herbido Lettinensi.

Radix digitum fere crassa, fusca, fibris aliquot aucta, circa foliorum insertionem tomento albo dense intertexto vestita. Caulis teres, obsolete striatus, erectus, undique, maxime tamen infra calyces tomentosus, 1 — 4-florus, 1 s. 1½-pedalis. Folia supra dilute-viridia, nuda, juventute pube tenui, tandem pro maxima parte evanescente tecta et glandulis sessilibus viridibus pellucidis inscripta, infra argenteo-tomentosa in var. β. candicantia, nervo valido et lato notata, margine revoluta in var. α. undulata: radicalia et caulina

inferiora sessilia, amplexicaulia, decursive interrupteque pinnata, pinnis patentibus longitudine et latitudine variis, plerumque tamen linearibus, integerrimis: summa simplicia, sensim minora, spinulae singulae figuram adaequantia, in var. γ. omnia subsimplicia, subintegerrima fere ut in Cirsio stellato *All.* (*Moris. hist.* f. VII. 32. 3.). Calyx ovatus: squamae exteriores lineari-lanceolatae, acuminatae, patentes, tomentosae: interiores basi latiores, membranaceae, coloratae, in speciminibus majoribus subcarinatae. Flores purpurei, moschum redolentes. Semina 4-angula, nuda, striata. Pappus setosus, scaber, seminibus longior, persistens.

Et de genere et de specie auctores multum disceptarunt. Alii stirpem nostram Carduo: alii Cnico, alii itidem, ad quam ob pappum sessilem revera pertinet, Serratulae adscripserunt. Quod ad speciem agro halensi indigenam attinet, alii nostram pro C. cyanoide *L.*, alii pro C. molli habuerunt et *Willdenowius*, plantam a *Pollichio*, *Rothio*, *Wohllebenio* C. mollis nomine descriptam, primum ad Cn. cyanoidem retulit. Attamen C. cyanoidem L. verum, *Linnaeus* ipse a nostro diversissimum declarat. Quorsum enim in nostro, folia decurrentia: quorsum similitudo cum Sorbi foliis, quam *Linnaeus* in adnotatione (*sp. pl.* II. 1152.) a *Willdenowio* omissa, adfert, spectat? *Gmelini* figuras dijudicare nequeo. — Quod ad C. mollem attinet, *Clusii* et *Jacquini* descriptiones limatas legi relegique, cum nostris agro halensi indigenis sedulo contuli, utramque tamen ad amussim vidi congruere. Caulem uniflorum, *Linnaeus* et *Willdenowius* Cn. molli quidem computant: *Clusius* autem aeque ac *Jacquinus* caules extremos in aliquot ramos dividi, afferunt. *M. Bieberſteinius* (*taur. cauc.* II. 273.) etiam ambigit, num Card. mollis *L.* foliorum laciniis an-

gustioribus, caule saepissime unifloro et calycis magis lanato squamis acuminatissimis a C. cyanoide dignosci debeat numque potius ad numerosas ejus varietates pertineat. Similiter de iconibus judicandum et de specimine exsiccato a cl. *Hoppeo* in pratis subalpinis Tergesti lecto, quod, me judice, nullas praeter magnitudinem, foliorum lacinias subundulatas et squamas calycinas interiores subcarinatas, offert differentias. Hanc vero foliorum aeque ac squamarum interiorum indolem, ex loco natali proficisci, satis probabile esse videtur: vidi saltem in speciminibus majoribus nostris, squamas obsolete-striatas, in aliis congeneribus autem, v. c. in Cirsio acauli eandem squamarum interiorum proprietatem ambiguam observavi et in majoribus jam manifesto carinatas, in aliis minoribus omnino planas reperi. Quae quum ita sint quumque praeter foliorum lacinias subundulatas, nullas sciam differentias, quum porro glandulae, nondum observatae, quibus omnium varietatum folia inscripta sunt et pellucida redduntur, a genere alienae, speciei autem propriae esse essentiamque indicare videantur, dubius plane non haereo, utramque stirpem conjungere, formas climatis ratione mutatas nominibus propriis distinguere et novam simulac addere foliis subsimplicibus insignem, quae seorsim adspecta a var. β. tantum differt, quantum haec a var. α. Nomen triviale denique sanctum retinui: illa enim Serratula a *Cavanillesio* eodem nomine descripta, ob pappum plumosum Cirsium genus intrat.

LXXIV. ARTEMISIA *L.*

Calyx polyphyllus ex squamis inaequalibus, margine scariosis imbricatus, multiflorus. Flores flosculosi, omnes fertiles: foeminei stylo bipartito coronati, hermaphroditis mixti et corollulis obsoletis

instructi. Semina obovata, tunicata, nuda. Receptaculum nudum s. pilosum. *)

580. Artemisia campestris *L.* caulibus caespitosis virgatis, e basi declinata surrectis, foliis pinnatis, radicalibus petiolatis conformibus adpresso-pilosis demum glabris alutaceo-punctatis, caulinis sessilibus, pinnis ultimis circa caulem approximatis, floribus ovatis demum apice contractis.

α. laxa *W.*, caulibus ramosis, ramis floriferis patentibus ramulosis gracilibus, floribus effusis pedunculatis laxis. — *Hornem. fl dan* 1 1175.

β. bracteolata *W.*, caulibus ramosis, ramis patentibus protractis in ramulos floriferos breves divisis, floribus subsessilibus basi bracteolatis. — *Tabernaem hist.* I 51. f. 1.

γ. subspicata *W.*, caulibus subramosis, ramis floriferis brevibus obtusis, floribus sessilibus axillaribus subspicatis approximatis bractea brevioribus. — *Schk* 1 240.

δ brevifolia *W.*, caulibus simplicissimis virgatis, ramulis floriferis brevibus laxis, floribus pedunculatis subsecundis remotis, pedunculis nudis

---

*) *NB* A generis notis modo statutis deflectit novumque sponte intrat *Artemisia tenuifolia Willd.* s. A. capillifolia *Lam.*

Tragantheѕ. Receptaculum contractum nudum. Calyx hexaphyllus, oblongus, simplex, aequalis, 6-florus. Flosculi hermaphroditi. Pistillum breve. Pappus sessilis, scaber, flosculos aequans. Habitus Artemisiae. *Wallr.* Ad Eupatorinearum familiam pertinet.

bracteam ſuperantibus, pinnis foliorum apice leviter dilatatis, brevibus, circa caulem congeſtis.

ε. LONGIFOLIA *W.*, caulibus ramoſis, ramis floriferis laxis, floribus ſubpedunculatis ſubſecundis remotis maſculis majuſculis bractea brevioribus, pinnis foliorum linearibus elongatis.

Var. α. et β. in collibus calcareis; γ. et ε. in arenoſis citra Langenbogen ad viam publicam; δ. in gypſaceis noſtris paſſim.

Formas extremas, ob habitum, quem mentiuntur, alienum, nominibus propriis inſcriptas, ex loco eſſe, inque illo huc illucve fideliter redire et propagari, aliis intermediis autem connecti, partium nobiliorum communio teſtatur.

381. ARTEMISIA VULGARIS *L.* foliis ſubtus cano-tomentoſis, caulinis pinnatifidis, laciniis lanceolatis ſubdentatis acutis, floralibus indiviſis lanceolato-linearibus, floribus erectis ſubſeſſilibus tomentoſis, radio 5-floro.

α. SYLVESTRIS *W.*, calycibus oblongis pedunculatis in racemos multifloros acutos digeſtis. — A. vulgaris *Willd.* et *al. auct.* *Tabern. hiſt.* I. 27. f. 1. 2.

β. FOLIOSA *W.*, calycibus oblongis parvis in racemos axillares depauperatos folio multoties breviores digeſtis.

γ. SATIVA *W.*, calycibus ovato-ſubgloboſis ſeſſilibus in racemos paucifloros obtutos congeſtis.

Var. α. in promontoriis limoſis fluviorumque ripis, β. l. l. paſſim intercurrit; γ. ex ſativis eſt et ad uſum domeſticum praeſtat.

Praeter formas extremas indicatas, aliae innumerae ſunt ex caulis colore, in quibus veteres multi ſunt, florum et foliorum colore, qui in illis ob floſculorum maſculorum numerum raro flaveſcit, in his vero variegatur. Var. α. calycibus oblongis,

angustis, paucifloscuIosis, in basin pedicellatam attractis et seminibus longioribus et angustioribus a var. γ. calycibus ovato-subglobosis multiflosculosis, crassis et seminibus brevioribus, oblongis insigni diversissima profecto videtur, aliis tamen varietatibus intermediis amice connectitur. Ex tam varia calycum figura factum est, ut alii calyces ovatos, alii oblongos A. vulgari adscripserint. Similis lusus in A. maritima etiam observandus, cujus varietas anomala var. γ., var. obligantha var. α. aequat.

582. Artemisia Seriphium *Wallr.* arachnoideo-tomentosa, foliis pinnatis, pinnis tripartitis linearibus obtusis subtus costatis, floribus ovato oblongis, squamis calycinis interioribus scariosis exteriores incano-tomentosas superantibus, flosculis basi bulbosis glandulosis semini arillato oblique affixis, foemineorum stylis divaricatis apice penicillatis.

A. Seriphium germanicum et belgicum *C. Bauh. pin.* 139.

A. decumbens *W.*, caulibus decumbentibus in alios adscendentes pyramidato-foliosos innovantibus, pinnis foliorum patentibus confertis folia multipartita mentientibus, floribus ovatis subtrigynis sessilibus, ramulis floriferis brevibus in paniculam terminalem simplicem congestis.

α. marina, niveo-tomentosa, pinnis foliorum subdivaricatis brevibus confertis.

a. latifolia, pinnis linearibus obtusis.

† floribus ramulisque cernuis. — A. maritima *Linn. Willd. Smith. DC. Retz. Hudf. Hornem. fl. dan.* tab. 1655. A. Seriphium belgicum *C. Bauh. Tabern. hist.* I. 22. f. 1. bona.

†† floribus ramulisque erectis,

b. ANGUSTIFOLIA, pinnis lineari-filiformibus acutiusculis.

† floribus ramulisque cernuis.

†† floribus ramulisque erectis.

β. SALINA, incano-tomentosa, pinnis foliorum patentibus productioribus, caulibus basi ramosis nodosis, ramulis floriferis abbreviatis, summis contiguis paniculatis.

a. floribus ramulisque cernuis.

b. floribus ramulisque erectis.

c. flosculis rubentibus. — A. maritima rubra *Mentz. pug. 3.*

B. ANOMALA *W.*, caulibus erectis, pinnis foliorum inferiorum lineari-filiformibus acutiusculis obsolete incanescentibus laxis, superiorum sensim latioribus, ramis in paniculam aequalem congestis, floribus ovatis sessilibus confertis trigynis.

α. COARCTATA, caulibus simplicissimis, ramulis floriferis axillaribus reversis brevissimis multifloris folia subaequantibus, floribus conglomeratis.

β RACEMOSA, caulibus superne ramosis, ramis floriferis patentibus apice cernuis, ramulis deflexis multifloris e floribus conglomeratis subracemosis, ultimis contiguis.

γ. AXILLARIS, caulibus simplicibus, foliis tomento arachnoideo floccoso niveis, pinnis divaricato-patentibus, floribus axillaribus subsolitariis folio brevioribus, summis in paniculam terminalem depauperatam congestis.

δ. PANICULATA, caulibus superne ramosis, ramis floribusque axillaribus (solitariis aggregatisve) erectis cauli approximatis in paniculam surrectam congestis.

C. PATULA *W.*, caulibus erectis, pinnis foliorum obtusis incanis, ramis inferioribus elongatis, summis sensim minoribus simplicissimis in racemum

terminalem attenuatis, floribus ovatis laxis subtrigynis.

α. SIMPLEX, pinnis foliorum ramisque floriferis abbreviatis simplicibus.

a. SESSILIFLORA, floribus sessilibus.

† ramulis cernuis (A. salina *auct.*).

†† ramulis erectis (A. gallica *auct.*).

b. PEDUNCULATA, ramis inferioribus patentibus pinnisque elongatis, summis brevissimis, pedunculis remotis unifloris sublecundis bracteatis.

a. GERMANICA, ramis simplicissimis apice cernuis, summis deflexis, pedunculis pendulis — A. salina *Willd. sp. pl.* III. 1834. *Spreng. hal.* 233. t. 12. excl. syn. *Buxb.* A. Seriphium germanicum *C. Bauh. pin.* 139.

b. GALLICA, ramis elongatis strictis, calycibus in pedunculum attenuatis axillaribus alternis erectis paucifloscuLosis bracteas subaequantibus. — A. gallica *Willd. sp. pl.* III. 1834. *DC. gall.* IV. 197.

† ROBUSTA, caulibus superne ramosis.

†† GRACILIS, caule simplicissimo monostachyo, floribus solitariis axillaribus.

c. OLIGANTHA, calycibus oblongis 4 — 5-floris submonogynis.

a. ramulis pedunculisque cernuis (A. saline var. maritima *auct.*).

b. ramulis pedunculisque erectis (A. gallica *Angl.*).

β. EFFUSA, ramis inferioribus patentibus elongatis compositis, pedunculis multifloris, caulibus proceris ramosissimis.

a. TENUIFOLIA, pinnis foliorum lineari-filiformibus.

α. ramis inferioribus apice cernuis, pedunculis secundis retractis, caule erecto.

β. ramis inferioribus virgatis pedunculisque erectis, caule declinato.

b. ROSMARINIFOLIA, foliis linearibus elongatis margine revolutis.

† ramulis deflexis.

†† ramulis erectis.

Varietatum series modo proposita ad salinas thuringiacas, praesertim vero ad Arterenses, ubi maxima stirpis luxuries, viget et non solum ad aquaeductus ripas sed quoque in aggeribus juxta fontes muro munitos eorumque vicinia abundat. Octbr.,

Radix lignosa, fusca, intus flavescens, aromatica, caules plurimos sustinens, quoad aetatem et locum plus minusve valida. Herba aromatica, graveolens, in maritimis niveo-tomentosa, in salinis plerumque incanescens inque aliis vicinis locis non salitis, tomento subobsoleto sordide virescens. Innovationes quoad caulis proceritatem foliorumque figuram cum stirpe annotina congruae, undique tamen et ad serum auctumnum usque foliis, in fastigio in orbem dispositis iisque jam albentibus, jam flavescentibus jamque modo incanescentibus exstructae, raro ramulos floriferos axillares imperfectos, ex vario stirpis nisu jam deflexos jam surrectos emittentes. Caules plurimi ex eadem radice, basi sublignosa teretes, epidermide cinereo-fusca tecti, subsimplices, superne angulati, magis minusve tomentosi, ad aquaeductuum ripas graminosas plerumque decumbentes, diffusi, alibi in aggeribus clivosis, erecti, stricti, superne in ramulos simplices compositosve, refractos surrectosve divisi, spithamei bipedalesve. Folia inferiora, petiolata, caulinis conformia, in stirpe nubili decidua: caulina reliqua pinnata, quoad circumscriptionem subrotunda ovataque, pinnis circa caulem congestis aucta, amplexicaulia: pinnae

1 — 2-trifidae, angustius latiusve lineares, in stirpibus procerioribus strictioribusque magis elongatae (centimetr. 2 longae), in minoribus breviores (centim. $\frac{1}{2}$) simulac confertiores, magis patentes, saepius divaricatae indeque folia multipartita haud male mentientes, et in universum eo obtusiores quo latiores eoque acutiores quo angustiores, subtus costa elevata inscriptae, secundum loci indolem coelique temperiem jam omni virore excusso tomento niveo dealbatae, jam aliquantulum flavescentes, jam incanescentes jamque sordide sive fusco-virescentes. Inflorescentia paniculata eaque stirpis generisque totius natura jubente jam retracta jam surrecta, ex ramis floriferis abbreviatis simplicissimis (tales vero in omnibus penitus varietatibus, terminales esse consuescunt), flores sessiles, conglomeratos gerentibus jam contracta, jam ex ramis simplicibus, patentibus patula, jam denique ex ramis elongatis, compositis effula. Calyces secundum stirpis magnitudinem et ramorum dispositionem varii, sessiles nimirum et conferti, magis ovati: pedicellati vero et remoti, in basin attracti, magis oblongati, pauciflosculosi. Squamae calycinae exteriores lineares, breves, in calycibus ovatis basique dilatatis laxae, in oblongis basique attenuatis, contractae, aequales, subimbricatae, magis minusve incano-tomentosae; *interiores* oblongae, obtusae, dorso coloratae, tomento tenui corpusculisque exilissimis adspersae, apice margineque membranaceo-scariosae, diaphanae, dilutius saturatiusve flavescentes et exsertae, exterioribus duplo longiores. Flosculi hermaphroditi 5 fidi, glabri, basi virides, bulbosi, glandulosi, masculi plerumque flavi, foeminei rubri, marginales graciliores, stigma in crura divergentia, apice penicillata divisa exserentes, fertiles semini oblique adfixi. Receptaculum conico subrotundum, glabrum, foveolatum. Semina obovata, arillo hyalino obducta, subtilissime striata, apice oblique-rotundata, hinc (latere exteriore) leviter producto, hinc leniter et oblique depressa.

Apſinthium Seriphium ſ. marinum, quod *C. Bauhinus* (*pin.* 139.), ſecundum patriam, germanicum, belgicum et gallicum dixit, *Linnaeus* vero ad Artemiſiae maritimae titulum, noſtris demum temporibus ſpeciebus aliquot novis auctum et *Willdenowii* ſtudio acutius circumſcriptum retulit, non ſolum ad maris litora ſed quoque ad ſalinas campeſtres thuringiacas admodum varias jactare formas, habitu alieno omnino inter ſe inſignes ac in vario loco ex niſu naturali fideliter redeuntes, ob tam miram autem omnium partium mutabilitatem niſi dubiis par, examini attentiori ſaltem dignum eſſe, rei herbariae ſtatoribus hodiernis parum innotuiſſe videtur. Omnes enim florae germanicae ſcriptores aut A. maritimam *L.*, aut, qui *Willdenowii* opinioni, illam litoribus marinis propriam nec ſolo ſalſo campeſtri indigenam eſſe, adſtipulantur, A. ſalinam *Willd.* promiſcue indicant nimis ſubtiliter diſtinctam, reliquas autem, quibus ſtirps ludit et ſalinae patruae marisque litora abundant, formas omittunt. Omnes, quos ſcio auctores, ſingulam ſtirpis verſipellis modo indicant et definiunt formam extremam, quae quidem, quamvis perquam alienae eſſe videantur, aliis ad naturam ſtirpis addiſcendam a me primum haud ſine opera lectis, ſine difficultate connectuntur. Teneat modo obſervator ſollicitus, miram partium nobiliorum communionem: teneat ſtirpium maritimarum aliarum mutabilitatem, Salicornia, Aſtere Tripolio, Chenopodiis et Atriplicibus plurimis aliisque tam polymorphis et habitu alieno inſignibus in locis ſalſis illuſtratam; teneat generis totius niſum variandi, variis A. vulgaris, campeſtris et ponticae formis ſupra profeſſam nec cum *Scopolio* profiteri erubeſcat, „illum profecto felicem praedicari, qui ſemet ex Artemiſiis feliciter extricaverit„, ſibique vero perſuadeat, tomenti rationem aut fortuitam aut ex loco natali, ramorum pedunculorumque directionem ex generis niſu vario, calycis figuram ejusque ſquamarum in-

dolem ex flosculorum numero proficifci, omnes prorsus formas notarum essentialium concentu amice consociari! — Omnes scilicet differentiae, ab auctoribus in speciebus distinguendis hucdum laudatae in tomenti et habitus ex ramulis floribusque aliter dispositis mutati ratione, me judice, nimis subtiliter circumscripta, versantur. *Linnaeus* A. maritimam suam, racemis cernuis flosculisque foemineis ternis: *Willdenowius* vero eumque omnes persequuti sunt, tomento niveo, foliorum pinnis linearibus obtusis, caule adscendente ramoso ab A. salina, incanescente et pinnis lineari-filiformibus, caule erecto paniculato, ramulis erectiusculis floribusque pedunculatis nutantibus insigni et iisdem notis itidem ab A. gallica, caule, ramis floribusque erectis aliena, dignoscere praecipit. Speciosae profecto differentiae, quae eo majorem affirmare videntur certitudinem in speciminibus seorsim adspectis, refutantur tamen aliis intermediis, cum illis promiscue vigentibus. Tomentum niveum, quo Art. maritima ad litora maris omnino dealbatur, non solum huic (*L. Willd.*) sed quoque aliis ejusdem stirpis varietatibus salinis commune, valorem amittit, quem minime ex stirpis natura sed fortuito ex loco recuperat, in variis speciminibus autem, in eodem loco natis tam varium est, ut v. c. in salinis nostris inque stirpibus junioribus earumque innovationibus, neque minus candicare, jam flavescere, jam floccosum esse videatur, in adultis autem (auctumno) nunc persistat sine virore ullo translucente, nunc incanescat nuncque penitus evanescat viroremque sordidum s. fuscum exhibeat. Neque aliter est cum foliorum et pinnarum figura dispositione et latitudine et caulis directione. Caules enim in ripis graminosis basi deprimuntur, in aggeribus vicinis autem laetius exsurgunt et eriguntur habitumque plane alienum arripiunt. Majora dubia objiciunt ramulorum et florum nunc sessilium nunc pedicellatorum dispositio et proprietas semet reflectendi et assurgendi, quae,

quamvis habitum eximie mutet, vix nisi partium nobiliorum reliquarum communione, stirpium proventu promiscuo, partium ignobilium mutabilitate, aliarum stirpium. (Fagi, Fraxini) exemplo et innato quodam generis nisu interpretari potest. In plurimis enim Artemisiis commune est, ut flores propendeant et ramuli floriferi reflectantur, idque ne ab A. vulgari et campestri alienum, in quibus ramuli summi lubenter recurvantur, in A. maritima autem prae reliquis conspicuum esse videtur. At, erigas ramos deflexos et habebis eandem stirpem surrectam, quam ipsa Natura ex irreparabili nisu variandi nonnisi erigere solet!

Haec fere sunt de Artemisiae maritimae historia scitu digniora eamque auctoribus cum *Morisono* (*hist.* II 9.) commendatam velim, qui sciscitatur: „an notae descriptivae, quibus Apsinthia maritima germanica, belgica et gallica vulgo distinguuntur, haud potius coelo et solo tribuenda sint; idque alicui ingenioso confirmandum relinquit, qui haec e diversis regionibus comparata, in eodem horto colere et observare poterit, quod hactenus auctor non potuit." — Equidem sine cultura experta stirpis admodum vexatae et reapse versipellis naturam exploratam habeo et lubens voluptatem de specierum novarum quadriga (tot enim similibus differentiis, quibus cl *Willdenowius* A. salinam et gallicam ex speciminibus seorsim visis distinxit, inter opimam varietatum messem expiscari notisque jam addere audeo) renuo ac tutus tergiversor et non solum has sed quoque A. maritimam *L.* utpote singulam formam, nimis vage et subtiliter circumscriptam, A. Seriphii titulo novo et generali comprehensam indico. A. maritimam *L.* et A. gallicam *Willd.* ex Europae australis litoribus marinis vidi, sedulo contuli, in ipsis vero aquaeductuum salinorum ripis nostris campestribus in auctorum contemtum investigavi, scilicet tam similes omnibusque partibus congruas, ut nostrae magis boreales ab

auſtralioribus, ut ovum ab ovo plane non dignoſcî poſſint.

† 383. Artemisia Mertensiana *Wallr.* foliis demum glabriusculis eglanduloſis, inferioribus bipinnatifidis, pinnis ovato-oblongis obtuſis ſubdivaricatis in lacinias oblongas integras trifidasve acuminatas diviſis, caulinis ſubſimplicibus linearibus, floribus globoſis racemoſis breviſſime pedunculatis nutantibus, receptaculo nudo, caule ſimpliciſſimo. — Tab. V.

In palcuis planiſſimis calcareo-ſalitis prope Borksleben, pagum ab oppido Artern Thuring. haud disſitum, in A. rupeſtris conſortio at multo rarius, certe rariſſime. Septbr.

Radix fuſiformis, ſublignoſa, toruloſa, fibras multas emittens, fulca, perennis. Caulis a baſi adſcendente inde erectus, teres, obſolete-ſtriatus, ſimpliciſſimus, ſolitarius, gracilis, tenuiter pubeſceus, digitalis ſ. ſpithameus. Folia tenuiter pubeſcentia, demum omnino glabriuscula, utrinque concolora, ſaturate-viridia, glandulis nullis inſcripta: inferiora petiolata, bipinnatifida, foliola ovato-oblonga, rotundata, baſi attenuata, divaricata, interne nervo valido notata, in pinnas ovatas, acuminatas, integras trifidasve, breves diviſa: caulinorum inferiorum foliola minora, ſimpliciter pinnata; floralia linearia, ſimpliciſſima, ſenſim minora. Rhachis foliorum ſulcata, dilatata, foliolo uno alterove dentata. Racemus terminalis, ſimpliciſſimus, ex floribus 9—12 compoſitus, 1—2-uncialis. Pedunculi cernui, foliolo lineari integro ſuffulti eoque breviores. Calyces globoſi, breviſſime pedunculati, ſubſecundi, nutantes, Art. ponticae floribus minores. Squamae calycinae ovatae, obtuſae, glabrae, virides, margine membranaceo, diaphano, lacero

cinctae. Flosculi glabri ut congenerum. Receptaculum conicum, parvum, nudum.

Artemisia pulcherrima, in cl. *Mertensii*, nat. scrutatoris expertissimi et fautoris aestumatissimi memoriam dicta, omnibus partibus, inter indigenas saltem singularis, nova sine dubio nec cum quapiam alia commutanda, Art. tanacetifoliae quadantenus similis, diversa tamen: 1) caulibus gracilioribus; 2) foliolis latioribus, divaricatis reflexisque subtus concoloribus eorumque laciniis ovato-oblongis iterum ter quaterve incisis, quae in illa, lanceolata, subtus nitida, glandulis supra inscripta, in pinnas lineares, acutas dividuntur; 3) floribus duplo minoribus, Ar. ponticae calycibus minores, qui in illa A. Absinthii molem aequant; squamis calycinis ovatis, margine membranaceo diaphanis, quae in illa subscariosae et sphacelatae sunt; loco natali, in pascuis planissimis calcareo-salitis, illa in alpibus totoque denique habitu. A. laciniata *Willd.*, inter quam et A. tanacetifoliam nostra quasi intermedia est, calycibus exacte et foliorum fabrica generali similis, inflorescentia ramosa, paniculata, pinnis foliorum et caulis altitudine bipedali differt et quoad foliorum figuram A. tanacetifoliam potius refert.

384. Artemisia pontica *L.* foliis subtus tomentosis pellucido-punctatis, caulinis bipinnatis, foliolis linearibus acutis nervosis nervisque subdecussatim diffractis, floribus subrotundis pedunculatis nutantibus, receptaculo nudo, radice repente.

α. sericea *W.*, foliis utrinque niveo-tomentosis, pinnis brevibus.

β. discolor *W.*, foliis supra sordide virentibus pubescentibus, subtus incano-tomentosis, pinnis longioribus venoso-reticulatis.

γ. CALYCULATA *W.*, ſegmentis calycinis exterioribus foliaceis elongatis flores ſuperantibus.

Var. α. ad verſuras ad Koelme citra ſtagnum intra vineas; β. in dumetis pineti halenſis und des Zorgs, ſemper ſteriteſcit et bipedalem nanciſcitur altitudinem; γ. cum α. paſſim intercurrit.

† 385. ARTEMISIA RUPESTRIS *L.* foliis glaberrimis, inferioribus bipinnatis bi-tripartitisve, floralibus pectinatis, floribus pedunculatis globoſis cernuis, ſquamis calycinis interioribus membranaceis ciliatis, exterioribus foliaceis calyculato-patentibus, floſculis glabris, receptaculo villolo. — Tab. IV.

Artemiſia grandiflora *Hoffm. germ.* II. 136.
A. rupeſtris *Linn. it. gotl.* 285. t. 285. ed. germ. p. 305. t. 3. *flor. ſuec.* 669. *ſp. pl.* II. 1187 excluſ. ſyn. plur. et var. β. et γ. *Willd. ſp. pl.* III. 1839 excl. fig. *fl. dan.*

In paſcuis planiſſimis ſteriliſſimis prope Borksleben in ſolo mixto calcareo-ſalito, ſuo loco (links vom Wege nach Artern unweit des Kirchhofes) ubertim. Septembr.

Radix lignoſa, protenſa, fibris plurimis aucta, caules plures, folia et praeſertim innovationum ramulos in ceſpitem denſum, pulvinatum junctos ſuſtinens, fulca, perennis. Caules teretes, obſolete-ſtriati, decumbentes, floriferi adſcendentes, ſimplices cum florum racemo terminantes aut rarius in alios ramulos floriferos paniculatos diviſi, inferne glabriuſculi, ſuperne pilis adpreſſis pubeſcentes, digitales, ſpithamei, vix niſi in ſolo pinguiore altiores. Folia glaberrima, laete-viridia, juventute plerumque nervo medio parce piloſa, cum Pyrethri inodori foliis quadantenus aemula: radicalia et caulina inferiora (innovationum) circumſcriptionis figura habita, obovata, pinnata, pinnis

bi-trifidis, laciniis lineari-filiformibus, brevibus, mucronatis, basin versus simplicioribus et remotioribus: caulina intermedia ut radicalia, pinnis tamen simplicioribus, circa basin amplexicaulem congestis: summa f. floralia ex pinnis integris oppositis pectinata. Racemus terminalis, digitalis simplex f. ramosus. Calyces globosi, multiflosculosi, maximi, pedunculis folia sub equantibus aphyllis, rarius foliolo uno alterove instructis, 1—3-floris (ex quo habitus plantae aliquantisper mutatur) insidentes. Squamae calycinae duplices quasi et biformes: exteriores calyculiformes, lineares, integrae incisaeque, acutiusculae, foliaceae, virides, patulae, ab internis quodammodo retractae: interiores ovales, obtusae, membranaceae, concaviusculae, dorso virides, margine fusco, diaphano, dense ciliato cinctae. Flosculi numerosi, 5-fidi, flavi. Receptaculum globosum, prominens, villo albo, denso obtectum. Semina obovata, glaberrima, parva, fusca.

Variat: caule unifloro et pedunculis 1—4-floris, ex quibus racemus paniculatus, ramosus evadit et habitus mutatur, calycibus exterioribus foliaceis. *Linnaeus* stirpem in vario loco variam inque rupibus albam sericeam declarat: equidem vero hunc fusum neque in nostris neque in oelandicis speciminibus, in gazophylacio Mertensiano visis et cum thuringiacis ut ovum ovo similibus, observavi. *Willdenowius* folia floralia simplicia perperam indicat, quae semper pectinata sunt et stirpem Oelandiae propriam habet, quae quidem, quamvis ex rarissimis, agro thuringiaco tamen indigena est.

Vix ulla alia planta tantis apud varios auctores locum dedit erroribus, quam A. rupestris *L.* et synonymis citatis et descriptione data quasi suspecta. Nimis profecto *Linnaeus* indolis polymorphae fines extendit eas plantas ex genere et habitu adfines synonymorum fide solum laudans,

titulum in *itinere gotlandico* optime statutum, in *sp. pl.* specierum diversissimarum congerie addita, foliorum figura generali deceptus, exhibuit vagum et sub illo praeter nostram, aliam sibiricam et A. mutellinam comprehendit. Hinc quivis propemodum auctor, A. rupestris nomine, aliam et a Linnaeana diversam profert: *Candollius* olim saltem et *Allionius* A. mutellinam *Vill.* (A. rupestris β. *Linn. sp. pl.*), *Villarsius* A. spicatam *Jacq.*, *Scopolius* A. humilem *Wulff.*, *Pallasius* A. caucasicam *W.*, *Piller* et *Mitterpacher* A. saxatilem *Kit.* intelligunt. A. rupestris *Müll. fl. dan.* t. 801., quae ab omnibus auctoribus ad A. rupestrem *L.* laudatur et a *Willdenowio* et *Persoonio* mala vocatur, talis neutiquam est sed aliam eamque nondum descriptam bene reddit, quam data occasione sequentibus interpretor:

ARTEMISIA NORVEGICA, caule herbaceo adscendente simpliciusculo, foliis inferioribus petiolatis palmato-multifidis pilosis, floralibus sessilibus subsimplicibus, floribus globosis cernuis longe pedunculatis, squamis calycinis omnibus conformibus membranaceis fusco-marginatis laceris, flosculis pilosis, receptaculo nudo. — A. rupestris *Müll. fl. dan.* t. 801.

Habitat in Norvegia. — Vidi specimina in clar. Mertensii herbario ditissimo.

Radix perennis, fibris nonnullis aucta, terram leviter penetrans, fusca, squamis concoloribus foliisque emortuis tecta. Caulis herbaceus, simplex s. in ramulos floriferos divisus, obsolete striatus, pilis sparsis undique tectus, oligophyllus, primum decumbens, sub anthesi e basi adscendente erectus. Folia caulis more undique pilosa, crassiuscula: inferiora petiolata, palmato-multifida, laciniis bi- trifidis lineari-lanceolatis (angustis),

obtusis, apice subcallosis: caulina superiora sessilia, basi amplexicaulia, pinnata, pinnis subintegerrimis. Petioli planiusculi, dilatati, foliorum laciniis saltem latiores. Pedunculi teretes, uniflori, aphylli, caulis more pilosi, foliis longiores, jam unciales, jam in speciminibus majoribus digitales et longiores. Calyces globosi, inter omnes mihi saltem notas, maximi. Squamae calycinae conformes, ovato-oblongae, obtusae, subscariosae, dorso virides, margine membranaceo fusco (ut Achilleae atratae), lacero cinctae. Flosculi pilosi. Receptaculum nudum.

Art. rupestri nostrae simillima, diversa tamen: 1) caulibus simplicioribus, crassioribus, qui in illa fere semper cespites foliolos pulvinatos constituunt: 2) foliis palmato-multifidis, typum A. mutellinae et glacialis reddentibus, inferioribus vere petiolatis, pilosis; quae in nostra, bipinnata, sessilia et nuda sunt: 3) pedunculis elongatis, folia longe excedentibus; qui in illa, breviores multo et vix nisi in speciminibus procerioribus et ramosioribus ultra folia producuntur: 4) calycibus duplo fere majoribus: 5) squamis calycinis omnibus conformibus, scariosis, fusco-marginatis; quae in illa, duplices et biformes sunt: 6) flosculis basi pilis longis muniti; qui in illa, nudi: 7) receptaculo nudo; quod in illa, villo denso horret.

386. Gnaphalii arenarii varietatem caule pedunculisque gracilioribus magisque patentibus, foliis floribusque minoribus, ad quam Elichrysum s. Stoechas citrina angustifolia *Buxb. hal.* 101. pertinet, in pineto Lettinensi viget.

387. Gnaphalium minimum *Sm.* caule erecto superne ramoso, foliis lanceolatis acutis planis (adpressis), floribus conicis subconfertis lateralibus terminalibusque. *Smith. brit.* II. 873.

Gnaphalium montanum *Hudſ. With. Willd.* et *Spr. Hornem. fl. dan.* t. 1276. nec *L.*
Gn. minus repens *C. B pin.* 263.
Gn. minimum *J. Bauh hiſt.* III. 159.
Filago minor *Ger. emac.* 641. *Rupp. jen.* 194. *Buxb. hal.* 111.

In arvis ſterilibus arenoſis irriguis ubertim. Jul. — Octbr.

Hanc ſpeciem cum Gn. montano *L.* (Gn. arvenſe *Willd. Hornem. fl. dan.* t. 1275. *Spr.*) confuſam, *Smithii* fide noſtris inſerere audeo, qui plantae Linn. verae folia et flores confertos, nunquam ſolitarios duplo majores totique herbae et praeſertim ſquamis calycinis pubem denſiorem adſcribit et his notis cum Gn. arvenſi *Willd.* congruis, a conſimili dignoſcere praecipit.

388. Cineraria palustris *L.* foliis lanceolatis ſemiamplexicaulibus ſinuato-dentatis pinnatifidisque ſubundulatis, pedunculis cauleque fiſtuloſo pilis articulatis pubeſcentibus, floribus ſubcorymboſis (pallido-flavis), ſquamis calycinis oblongo-lanceolatis acuminatis intactis.

Locis in *fl. hal.* 239. l. addo: lacum ſalſum Seeburgenſem.

389. Cineraria campestris *Retz.* foliis ſubintegris, radicalibus ovatis obtuſis e baſi ovata abrupte attractis, caulinis oblongis baſi amplexicauli anguſtatis ſenſim minoribus cauleque ſimpliciſſimo folioſo arachnoideo-lanatis, floribus ſubumbellatis (pallido-flavis), ſquamis calycinis linearibus aequalibus intactis.

α. UMBELLATA *W.*, pedunculis umbellatis basi bracteatis *Hornem. flor. dan.* t. 1177. opt. *Clus hist.* II 22. f. 2. *Chabr. stirp.* 336. f. 1. *Morison.* VII. 12. 28.).

Ciner. campestris *Retz. prodr.* n. 1027. *Willd. sp. pl.* III. 2081. *Spreng. mant.* I. p. 11.
? Cin. integrifolia *Smith brit.* II. 895.
Cin. alpina γ. integrifolia *L. sp. pl.* 1243. ex synon.

β. DEPAUPERATA *W.*, pedunculis terminalibus subsolitariis ebracteatis. (*Schk.* t. 240. b. B.)

Cineraria campestris *Spr. hal* 239. ex l. natal.
C. integrifoliae var. *Schk. Handb* III. 115.

In collibus calcareis, var. α. in vepretis graminosis ad Rossleben auf dem Schachtberge, ad Lodersleben et aliis Thuring. locis: β. in collibus apricis des Vogelbergs.

Radix perennis, fibrosa. Caulis erectus, striatus, simplicissimus, apice in pedunculos floriferos divisus, ut tota herba, lana arachnoidea obductus, in var. α. 1 — 2-pedalis, in β. digitalis, spithameus. Folia caulis more utrinque tenuiter arachnoideo-lanata, 6 — 10 in eodem caule, pallide-viridia: radicalia et caulina infima exacte ovata, in petiolum brevissimum e basi ovata quasi abrupte attracta: caulina intermedia magis oblonga et in basin amplexicaulem sensim angustata: summa sensim minora Pedunculi infra calyces leviter incrassati, aphylli, rarissime tantum foliolo uno alterove aucti, in var. α umbellato-corymbosi, 2 — 3-unciales, basi foliolis linearibus, brevibus totidem bracteati, in var. brevissimi aut fere nulli. Calyces ovati, magnitudine et forma fere Senecionis viscosi, majores tamen et rotundiores. Laciniae calycinae lineares, utrinque et mediotenus aequales, lineares, pallide-virescentes, apice intactae. Flosculi radiales plurimi, ovati,

obtuſi, pallido-flaveſcentes ut S. viſcoſi. **Semina** oblongo-lanceolata, ſtriata, parce pubeſcentia.

† 390. Cineraria integrifolia *Jacq.* caule foliisque ſubtus arachnoideo-lanatis, inferioribus ovatis obtuſis ſinuato-dentatis e baſi rotundata in petiolum alatum duplo longiorem abrupte decurrentibus, ſuperioribus oblongis integerrimis ſenſim minoribus, floribus ſubumbellatis (citrinis), ſquamis calycinis apice cruentatis.

α. umbellata *W.*, pedunculis umbellatis baſi bracteatis. (*Schk.* t. 246. b. (opt.). *Jacq. auſtr.* 179.

Cineraria integrifolia *Jacq. Murr. Hoſt. Schk. DC. Willd.* nec *Linn.* et *Sm.*

Jacob. mont. lanuginola non laciniata *Rupp. jen.* 177. excl. ſyn. — quoad l. nat.

β. depauperata *W.*, pedunculis terminalibus lateralibusque ſubſolitariis ebracteatis.

C. integrifolia *Ann. bot.* 103.

In dumetis nemoroſis citra Wiehe vicinisque ad Schloſsbeichlingen minime raro Maj. Jun.

Radix fibroſa praecedentis. Caulis erectus, ſtriatus, 4 — 5-foliolus, baſi coloratus, pedalis et altior. Folia caulis more ſubtus lana arachnoidea, demum detrita tecta, ſaturate viridia: radicalia ut caulina inferiora ovata, obtuſa, leviter ſinuato dentata e baſi rotundata in petiolum alatum, duplo triplove longiorem integerrimum abrupte decurrentia: caulina ſuperiora ut C. campeſtris pauciora tamen. Pedunculi in var. α. ſubumbellati, breviores plerumque et craſſiores quam praecedentis, baſi totidem foliolis bracteati: in var. plane nulli. Calyces praecedentis at majores. Laciniae calycinae lanceolatae, obtuſiores, apice leviter cruentatae. Flosculi

radiales oblongi, obtusi, in ungues longiores attenuati, citrini et duplo latiores et longiores quam praecedentis.

Quamvis C. integrifolia *Linn.* ex synonymis ad praecedentem pertinere et nominis ratio ab hac specie quadantenus aliena esse videatur, Jacquinianum nomen, a *Willdenowio* etiam receptum et divulgatum retinui, ne synonyma novo adaugeantur. Synonyma veterum et recentiorum vix sine difficultate alterutri adscribuntur. Hinc utramque stirpem habita similitudinis ratione curiosius descripsi et differentias adjungo. C. nostra differt a praecedente: 1) foliis inferioribus e basi rotundata in petiolum duplo longiorem decurrentibus parce sinuato-dentatis; quae in illa, e basi ovata sensim decurrunt et subintegerrima sunt. 2) caulibus oligophyllis, ut folia, saturate viridibus; qui in illa basi foliosi magis pallide-virescunt. 3) laciniis calycinis lanceolatis obtusiusculis apice semper cruentatis; quae in illa lineares, virides, intactae sunt. 4) flosculis radii oblongis, duplo longioribus et latioribus, citrinis; qui in illa, ovati modo flavescunt.

Variat: foliis caulinis lanceolatis parce-sinuatoque dentatis longis, in nemorum oris udis umbrosis et praeter pubem laciniarum calycinarum colorem facile exuit.

LXXV. SENECIO.

Senecio nemorensis et saracenicus *Linn*, quatenus in floris et systematibus plantarum vulgo exponuntur, mihi quidem ex synonymis citatis et descriptionibus, tituli vagi sunt et plures et procul dubio diversissimas complectuntur species. Aliae ejusdem nominis sunt boreales: aliae australes plantae: aliam habuit *Gouanus*, *Linnaeus*, *Candollius*, aliam *Willdenowius*, qui nomini potius quam stirpium naturae rationem fecit, aliam forsan *Houttuynus*. Quae quum

ita ſint, Seneciones indigenos uberius deſcribere et interim novis nominibus ſine ulla haeſitatione divulgare audeo, ut alii qui plantarum Linnaeanarum compotes, noſtras aut diſpeſcant aut nominibus novis dubie propoſitis excuſſis, conjungant.

591. Senecio germanicus *Wallr.* caule foliisque ſubtus margineque tenuiter pubeſcentibus, inferioribus ovatis groſſe dentatis in baſin amplexicaulem integerrimam ſubinaequalem attractis, caulinis oblongis ſenſim minoribus, pedunculis elongatis umbellato-corymboſis, bracteis linearibus, laciniis calycinis alternis latioribus coſtatis.

S. ſaracenicus *Hoffm. germ.* II. 146.
S. nemorenſis *Linn. ſp. pl.* 1221. ex ſyn. *Rupp.* nec ex deſcript. et herb. omn. fere auct. fl. germ.
S. foliis ovato-lanceolatis ſubtus hirſutis, floribus umbellatis *Hall. helv.* n. 734. *Zinn. gott.* 423.
Solidaginis ſpecies *Iter herc.* n. 23. p. 125.
Solid. ſaracenica dicta latifolia ſerrata *Loeſ. pruſſ.* 286.
Jacobaea nemorenſis latiore rigidiore et hirſuto folio *Rupp. jen.* 177. *Buxb. hal.* 166.
? Virgaureae I. Solidago latifolia ſerrata *J. Bauh. hiſt.* II. 1063. *Chabr. ſtirp.* 333. f. 1.
Conſolida ſarracenica III. caule craſſo ſtriato piloſo *Thal. herc.* 27. in mont. Ilfeld.

In dumetis collinis inque nemoribus, quibus calx ſubeſt, v. c. ad Schmon, Lodersleben, Biebra: in nemoribus des Alten-Stolberg's extra fines abundat.

Triplices formas ex loci natalis varietate ortas et aliis intermediis connexas in agro halenſi obſervavi:

1) caulibus erectis foliisque laete viridibus hirsutiusculis teneris: qualis circa Halam inque dumetis thuringiacis passim occurrit.

2) caulibus flexuosis, firmioribus foliisque rigidioribus et hirsutioribus (J. ovata *fl. Wett.?* — Jacob. nemor. latiore, rigidiore et hirsuto folio *Rupp.*), qualis in dumetis colliniis apricis Biebraensibus, Schmonensibus vicinisque exstat.

3) caulibus procerioribus, crassioribus, foliis saturate-viridibus, bracteis ciliatis pedunculisque pubescentibus (S. nemorensis *Spr. hal.* 241. in paludibus nemorosis ad Lodersleben: *Thal. herc.* in mont. Ilfeld.), ex quibus l. specimina coram habeo.

Radix repens. Caulis erectus, simplicissimus, inferne angulato-striatus, tenuiter pubescens, superne glabriusculus in ramulos floriferos plus minusve patentes divisus, in var. β flexuosus, purpurascens, 2 — 5-pedalis. Folia alterna, jam tenera, jam duriuscula, laete-l. saturate-viridia, supra nudiuscula subtus margineque et praesertim juxta nervum pilosa irregulariter dentata, dentibus callosis, quoad loci varietatem jam magis minusve cartilagineis, quoad pl. indolem plus minusve profundis, rarissime tantum crenulata: radicalia et caulina inferiora exacte ovata, acuta, in basin petioliformem, amplexicaulem, integerrimam et inaequalem abrupte attracta, centimetr. 10 — 12 longa, 6 — 8 lata: caulina intermedia oblonga, inferioribus plane non dissimilia, minus tamen abrupte sed sensim in basin ovatam declivia: summa umbellam suffulcientia, minora et angustiora. Umbella corymbosa, multiflora, in umbrosis patula, pauciflora: in apricis magis condensata, multiflora. Pedunculi glaberrimi, centimetr. 5 — 6 longi, bracteis linearibus, dense ciliatis, paucis, centim. 1 longis aucti. Laciniae calycinae forma quadantenus et latitudine alternatim inaequales: hae, lineares, dorso obsolete striatae, apice acu-

tiusculae: illae oblongae, dorſo ex appendiculo adnato, in maturis marginibus ſuis ſolutis libere prominente tanquam coſtatae, margine demum et apice ovato membranaceo-diaphanae, omnes apice coloratae cum barbula ſuperinjecta. Flosculi radiales oblongi, apice obſolete-tridentati, obtuſi, 3—4-ſtriati, flavi, 5—8, inodori. Semina oblonga, utrinque aequalia, ſtriata, glaberrima, calycibus breviora, centim. ⅓ fere longa, ſtramineo-fuſceſcentia. Pappus piloſo-ſcabriuſculus.

Variat caulis altitudine, florum floſculorumque radii numero et foliorum latitudine, quae quidem ſemper mediotenus dilatantur et in formam ovatam tendunt et a ſp. ſequente foliis in formam elongatam vergentibus inſigni facile dignoſcuntur. Varietatem foliis parce crenulatis inſignem, ſemel vidi.

Verum S. nemorenſem *Linn.* nondum vidi. Diverſiſſimus tamen deſcribitur in *Houtt. Pflanzenſyſt.* IX. 367., foliis atro-viridibus, ſubtus pallidioribus, utrinque glaberrimis, floribus (etiam ſiccitate) ſuaveolentibus a noſtro alienus. Hunc ſive alium a noſtro boreali tamen longe alienum, caule glabro, ramoſo, pedunculis breviſſimis, corymbis folioſis inſignem *Candollius* (*gall.* IV. 167.) deſcribit et provincias meridionales Pyrenaeorumque juga pro patria indicat. Stirps *Gouaniana* et *Linnaeana*, floſculis radii octonis, foliis lanceolatis biſerratis ſubtus villoſis cauleque ramoſo a noſtra diſcrepat.

392. SENECIO SALICIFOLIUS *Wallr.* glaberrimus, foliis petiolatis oblongo-lanceolatis acutis cartilagineo-dentatis, omnibus conformibus, ſummis ſenſim anguſtioribus, floribus radiantibus corymboſo-umbellatis, pedunculorum bracteis lineari-filiformibus glabris.

Senecio nemorensis *Hoffm. germ.* II. 146. *Hopp. cent. exs.*
S. saracenicus *auct. fl. germ.* et *Linn.* ex synonymis quibusdam nec ex descript. et ex herb.
S. floribus corymbosis, foliis utrinque lanceolatis serratis glabriusculis *Hall. helv.* 9. *Zinn. gott.* 423.
Jacobaea alpina foliis longioribus serratis *Rupp. jen.* 176.
Virgaurea angustifolia serrata s. Solidago sarracenica *J. Bauh. hist.* II. 1063. *Chabr. stirp.* 333. f. 2.
Consolida aurea IV. *Tabernaem. hist.* 946. f. 2. *icon.* 556.
C. sarracenica *Thal. herc.* 27.
C. serrifolia *Cord.* teste *Thal.*

In aggeribus nemorosis irriguis limosis ad Wiehe, propter ripas der Unstruth. Septbr. In agro thuring. et hercyn. inter. abundat.

Radix repens ut in praecedente. Caulis angulato-striatus, erectus, 2 — 4 pedalis, sine ullo pubis vestigio glaberrimus, fere semper purpurascens. Folia glaberrima, utrinque concolora, cartilagineo-dentata, dentibus subregularibus: interiora oblongo-lanceolata, basi ovata brevissime petiolata, 1 l. 1½ decimetr. longa, 3 — 4 lata, acuminata: caulina superiora conformia, sensim minora. Umbella corymbosa, aphylla, multiflora. Pedunculi angulati, tenuissime pubescentes, bracteis filiformibus 1½ s. 2 centimetr. longis, apice plerumque coloratis aucti. Laciniae calycinae fere praecedentis, demum vero maturae, apice recurvae. Flosculi et semina ut in S. germanico nostro.

Multa quidem S. noster cum S. germanico communia habet ipsoque habitu conformi quamdam offert communionem, foliorum tamen petiolatorum figura a typo elongato nunquam aliena distin-

ctionem suadet. Summam utriusque similitudinem *Murrayus* jam (*gotting.* 71.) divinavit numque partium differentiae a soli varietate pendeant, dubius sci citatur, nullas vero ex radiorum numero et ex margine serrato desumendas esse notas, recte adseverat. Hinc quoque S. saracenicus a cl. *Sprengelio* et *Leysſero* (*hal.* 214) indicatus, alibi (*mant.* I. 12.) dubius aut pro S. nemorensis var. declaratur.

Variat caulis magnitudine, florum flosculorumque numero, foliorum latitudine et serraturis. Forma vulgatior foliis gaudet 10 — 13 centimetr. longis, 3 — 4 latis, dentatis, dentibus subregularibus, omnibus callosis. At plures alias habeo: *aliam* foliis sinuato-dentatis, dentibus remotioribus, majoribus et acutioribus: *aliam* foliis durioribus irregulariter et quasi duplicato-dentatis, dentibus majoribus, conicis, obtusis cum aliis duplo minoribus interjectis alternantibus: iterum *aliam*, foliis decimetrum integrum longis, centimetr. $1\frac{1}{2}$ latis, parcius dentatis, quae a reliquis var. angustifoliae nomine dignosci potest.

Stirps nostra synonymis magis quam differentiis vexata. S. saracenicum facie, foliorum latitudine et magnitudine a S. nemorensi differre, *Linnaeus* in *sp. pl.* perhibet. Hinc quoque Consolida aurea *Tabernaem.*; quae ob folia lanceolata a *Vaill. par.* 109. et *al. auct.* ad S. paludosum citatur, ad nostrum potius pertinet.

S. saracenicus *L.* caeterum a variis auctoribus varie describitur et diversas forsan complectitur species, a nostris saltem valde alienas.

Linnaeus in *virid. cliffort.* 84. S. saraceniço suo, folia lanceolata serrata, floralia pedunculos aequantia: in *hort. cliff.* 410. pedunculos partiales alternos nudos longitudine foliorum adscribit et in *sp. pl.* 1222. illum a congeneribus, facie, latis foliis, magnitudine, radice maxime reptante dignoscere praecipit.

Smithius in *fl. brit.* II. 888. bracteas lineari-lanceolatas, pedunculos angulatos, calyces ſublanatos, ſquamis ad baſin lanceolatis cinctos in S. ſaracenici deſcriptione urget.

Candollius in *fl. gall.* IV., flores perpallidos, floſculos radii paucos: in *ſynopſ. ad fl. gall.* 284 folia lanceolata baſi cuneata argute ſerrata ſubſeſſilia glabriuſcula, corymbum pauciflorum S. ſarracenicó computat et in *ſuppl. ad fl. gall.* 474. ſummam quidem cum S. Cacaliaſtro ſuo ſimilitudinem inque floribus laete-flavis, ſemper radiatis et foliis ſeſſilibus nec decurrentibus ab hoc ſtatuit differentias.

Ut differentiae a congeneribus melius innoteſcant, definitiones adjungam ſpecierum adfinium:

1) S. saracenicus, glaberrimus, foliis oblongo-lanceolatis ſubcartilagineis irregulariter ſerrulatis, inferioribus baſi cuneata petiolatis, ſuperioribus ſeſſilibus ſenſim minoribus, floribus umbellato corymboſis, pedunculis calycibusque bracteis linearibus cinctis.

Talem ex horto hal. et berol. habeo et talis forſan eſt quam *Willdenowius* et *Candollius* deſcribit. An quoque Linnaeanus?

2) S. Doria *L.*, glaberrimus, foliis ſubdecurrentibus ſubcoriaceis glauceſcentibus cartilagineo-crenatis, inferioribus oblongo-lanceolatis acutis in baſin integerrimam ſenſim decurrentibus, ſummis ovatis cordato-amplexicaulibus, pedunculorum bracteis oblongis breviſſimis.

3) S. coriaceus *Ait.*, foliis oblongis ſubdecurrentibus baſi attenuata integerrimis coriaceo-rigidis ſubtus parce pubeſcentibus caulinisque cartilagineo ſinuato-dentatis cordato-amplexicaulibus, pedunculorum bracteis oblongis breviſſimis.

393. Senecio paludosus *L.* foliis lanceolato-enſiformibus undique baſique ſemiamplexicauli argute ſerratis ſubtus cauleque ſtricto pube

arachnoideo - *lanata* decidua *vestitis*, corymbo terminali simplici patente.

S. paludosus *Linn.* et *auct.* fere omn. — *Flor. dan.* t. 385.

Jacobaea palustris altissima, foliis serratis *Tournef. instit.* 485. *Rupp. jen.* 177.

Consolida palustris *Tabern. icon.* 155. *hist.* 94b. f. 1.

Conyza maxima serratifolia *Thal. herc.* 21. t. 3.

In salicetis udis ad Doelloitz, inter Rossleben et Wiehe et alibi.

Caulis orgyalis, inferne digitum crassus, striatus, fistulosus. Folia exacte lanceolata, (ut ita ob longitudinem cum *Linnaeo* dicam) ensiformia, margine undique argute -, basin versus inciso - serrata, ibique amplexicaulia ex pinnula cauli approximata quasi auriculata, aequalia, in apicem acutum sensim excurrentia, pube parca arachnoidea lanata, decimetrum 1 s. $1\frac{1}{2}$ longa, media parte unum lata.

† 394. Senecio riparius *Wallr.* foliis oblongo - lanceolatis in basin integerrimam sensim attractis subtus lanatis serratis, serraturis incurvis, corymbo simplici paucifloro patente.

Jacobaea pratensis altissima limonii folio *Buxb. hal.* 166. excl. syn

? Senec. paludosi var. β. *Zinn. gott.* 424.

Ad ripas Salae, in alnetis ad Bitterfeld et aliis procul dubio locis. Aug.

Quamvis specimen unicum modo supersit et descriptionem absolutam totius plantae plane non admittat, differentias tamen suppeditat haud spernendas. Foliorum figura enim generalis et Serraturae primo jam intuitu distinctionem a S. paludoso

L., cum quo nostrum commutaveram, praedicant. Folia in basin integerrimam declivia attracta, duplo breviora figuram oblongam reddunt nec ut in praecedente e basi cum folii parte intermedia aequali ad apicem usque in formam elongato s. ensiformi lanceolatam excurrunt. Omnes Serraturae incurvantur, fere ut in S. Tournefortii *Lapeyr.* s. S. persicaefolio *Ram. DC.*, qui praeter patriam, glabritie differre videtur.

S. paludosus a cl. *Smithio* (*brit.* II. 886.) descriptus, ob folia basi angustata et integerrima ad nostrum proxime accedit et forsan idem, a S. paludoso *L.* vulgari saltem, ab hac foliorum indole omnino alieno, diversissimus. — Inquiratur igitur a botanicis halensibus, vitebergensibus, lipsiensibus et berolinensibus.

LXXVI. PULICARIA *Gaertn.*

(*Gaertn.* t. 173. *Schk.* t. 247.)

Calyx subrotundus e squamis linearibus inaequalibus patulis polyphyllus. Receptaculum nudum. Semina uniformia. Pappus duplex: exterior cupularis monophyllus: interior capillaris.

395. PULICARIA VULGARIS *Gaertn. carp.* II. 461. — Inula Pulicaria *Linn.* — *Spr. hal.* 237.

396. P. DYSENTERICA *Wallr.* — Inula *L.* *Spr. hal.* l. l.

397. P. BELLIDIFLORA *Wallr.* — Alter annuus *L.* — *Spr. hal.* 241. vix vero indigenus.

Inula genus difficile aut ad *Tournefortii* et *Halleri* mentem, cum Altere conjungendum nisi cum *Vaillantio* generis differentiae in solo radii colore ponantur. In plurimis quidem spe-

ciebus antherae bisetae, quas *Linnaeus* et reliqui auctores pro generis nota essentiali declarant, revera occurrunt, in permultis aliis vero deficiunt. Aliam et graviorem notam Pulicaria genus a summo *Gaertnero* statutum, ab omnibus vero neglectum largitur, inque pappi indole satis peculiari, flosculorum radii numero totoque habitu generis distinctionem ultro offert.

† 398. ANTHEMIS AGRESTIS *Wallr.* receptaculis conicis, paleis lineari-lanceolatis acuminatis, seminibus tetragonis striatis turgidis apice contracto truncatis, foliis bipinnatis, laciniis linearibus acuminatis, caule a basi inde ramoso.

Anthemis arvensis *Leers herb.* 187. *Schk. Handb.* III. 137. et aliorum auct. nec *Linn.* et *Willd.*

Chamaemel. inodorum *Rupp. jen.* 173.

In arvis nostris passim.

Radix fibrosa, *annua.* Caulis a basi inde ramosissimus: *ramuli* diffusi, declinati, foliosi, glabriusculi. Pedunculi uniflori, nudi, elongati, ramulorum fere longitudine, angulati, glabriusculi. Squamae calycinae oblongae, obtusae, margine scariolo, diaphano, fimbriato cinctae, dorso virides, dense pubescentes. Flosculi radii patentes, numerosi, demum deflexi, apice emarginati. Receptaculum conicum. Paleae lanceolato-lineares, in acumen subexsertum finientes. Semina tetragona, 10-sulcata, turgida, laevia, immarginata, apice truncato incrassata et dilatata ibique inflexa, centrum obsolete-concaviusculum gibberulis deplanatis cingentia, magnitudinis variae, flosculorum radialium duplo majora.

Anthemis arvensis *L.* (*flor. dan.* t. 1178.) differt: caulibus robustioribus, canescentibus, pinnis

latioribus, paleis lanceolatis, exſertis, floſculis radii tridentatis et maxime ſeminibus membrana integerrima brevi coronato-marginatis. Noſtra intermedia quaſi inter hanc et Anth. Cotulam.

Synonyma vix extricari poſſunt. *Leerſii* et *Schkuhrii* plantae ex deſcriptione noſtram referunt.

399. Anthemis Cotula *L.* receptaculo conico, paleis ſetaceis, ſeminibus columnaribus teretiusculis exaſperatis apice immarginato obtuſatis, foliis bipinnatis, ſubulatis tripartitis.

Hanc praeceptor raram habet: equidem frequentiſſimam vidi. — Semina in A. Cotula duplo minora, plus minusve exaſperata, apice immarginato (nudo) omnino obtuſata: paleae ſetaceae: folia fere praecedentis.

† 400. Pyrethrum inodorum β. salinum *W.* pinnis foliolorum linearibus confertiſſimis brevibus mucronatis ſubtus parce piloſis, petiolorum approximatis pectiniformibus caulem decumbentem purpureum ambeuntibus.

Chamaemelum maritimum tenuifolium *Rupp. jen.* 174.

Ch. majus, folio tenuiſſimo, caule rubente *Dill.* in *Raj. ſyn.* 186.

In paſcuis ſalſis, juxta lacum ad See-Roeblingen, in aggeribus rivuli der Salzke citra Koelme ubertim.

Praeter pinnulas foliorum confertiores, breviores circa caulem pectinis inſtar approximatas et caulem robuſtiorem, decumbentem, ſemper laete purpuraſcentem, equidem nullas video differentias, quod a P. maritimo *Sm.* diſtinctum, P. inodoro, admodum polymorpho varietatis loco ſubſcribendum eſt.

401. CENTAUREA JACEA *L.* nec *DC.*

α. PHAEOCOMA *W.*, ramulis foliisque utrinque viridibus, appendicibus squamarum calycinarum laceris obtusis scariosis fuscescentibus.

β. ARGYROCOMA *W.*, ramulis superioribus foliisque utrinque arachnoideo - tomentosis incanis, appendicibus squamarum calycinarum subintegris involutis scariosis nervo intermedio in mucronulum exeunte terminantibus albidis. — C. alba *Leyss. hal.* 218. C. Jacea var. foliis incanis, calycibus albido-scariosis *Willd. sp. pl.* V. 2304. in adn. Jacea calyculis argenteis major *Buxb. hal.* 165.

In dumetis ad Lettin, der Heide, ad Biebram.

Ambigit var. β, quae forsan distinguenda et ulterius indaganda est inter C. Jaceam α. et C. albam *L.*

GYNANDRIA.

402. ORCHIS BIFOLIA *L.* — Platanthera bifolia *Rich.* in duplices dispescenda est varietates:

α. MACROGLOSSA *W.*, petalis superioribus acutiusculis, lateralibus ovato oblongis obliquis acuminatis labio porrecto brevioribus. — Or. radicibus oblongis, labello lineari *Hall. helv.* n. 1285. t. 35.

β. BRACHYGLOSSA *W.*, petalis omnibus obtusis, lateralibus labium lanceolatum subaequantibus. — *Oeder fl. dan.* t. 235. *Naumburg* in *Uster. N. Ann.* III. t. 1. f. 1 — 3. O. bifolia var. 2. *Roth. germ.* II. 378. *Leers. herb.* n. 687. O. trifolia minor *C. Bauh. pin.* 82.

In var. α. labium centimetr. $1\frac{1}{2}$, in var. β. $\frac{3}{4}$ longum et similis proportio in petalis et reliquis partibus redit. Haec ericetis arenosis macris; illa nemoribus udis propria."

403. Epipactis latifolia *L.* duplices offert formas stabiles:

α. viridiflora *W.*, caule elongato, foliis inferioribus ovatis maximis, caulinis lanceolatis, floribus pendulis majoribus subherbaceis in racemum longum multiflorum dispositis. — Serapias latifolia β. sylvestris *Pers. ench.* II. 512. — S. viridiflora *Hoffm. germ.* II. 182. — S. latifolia, serotina *Roth germ.* II 407. Epipactis Helleb. amplexicaulis, multiflora *Hall. gott.* 64. Helleborine latifolia montana *C. B. Buxb. hal.* 153. Alisma botryosum s. racemosum *Thal. herc.* 13.

β. atrorubens *W.*, caule gracili, foliis inferioribus oblongo-lanceolatis acutis, caulinis linearibus, floribus minoribus atro-rubentibus in racemum laxum dispositis. — S. latifolia γ. parvifolia *Pers.* l. l. excl. syn. *Hoffm.* — E. latifolia β. microphylla *DC. gall.* V. 334. excl. syn. *Ehrh.* et *Clus.* — H. II. atro-rubente flore *Rupp. jen.* 294. *Buxb. hal.* 153.

Var. α. in nemoribus umbrosis ad Ziegelrode; β. in collibus et promontoriis apricis, maxime calcareis, v. c. ad Schmon, Biebram, extra fines ad Heringen, Frankenhausen, Sondershausen et alibi.

Varietates ex loco esse videntur, quae illo jubente et florendi tempus mutant et habitum alienum fingunt, in partium essentialium proportione autem minime deflectunt. *Flor. dan.* t. 811. formam intermediam sistit. *Clusii* figura I. 273. habitum var. β. bene quidem reddit, ob flores herbaceos tamen ad E. microphyllam *Ehrh.* et *Hoffm.* nec *Sw.*, quam in *Ann. bot.* p. 105 diligenter descripsi, forsan pertinet.

MONOECIA.

† 404. SPARGANIUM NATANS *L.* foliis decumbentibus planis, pedunculo communi ſimplici, ſtigmate ovato breviſſimo, capitulo maſculino ſubſolitario *Smith. brit.* III. 962. — *Fl. dan.* t. 260. *Engl. bot.* 273.

In foſſis des Loſsgrabens prope Roſsleben et aliis procul dubio agr. hal. Jul. Aug.

† 405. URTICA PILULIFERA *L.* foliis oppoſitis ovatis inciſo-ſerratis, caule tereti pruinoſo, floribus maſculis pedunculatis divaricato-ramoſis foemineos axillares oppoſitos globoſos demum horizontales multo ſuperantibus. — *Engl. bot.* t. 148. *Blackw.* t. 321. *Camer. epit.* t. 861. (mala). *Tabernaem.* 234. opt. *Lonicer.* 256.

Ad foſſas arcis vetuſtae inque arce ipſa Mansfeldenſi ante C annos *Neuberus*, rhizotomus obſervavit, ubi nunc quoque uberrime viget: in ſuburbiis juxta ſepes et muros pagi Windehauſen prope Heringam ubertim cum Parietaria officinali. Jun. — Octbr.

Variat: caule ſimplici, magnitudine, florum globulis ſolitariis et geminatis. — Quamvis Urtica noſtra pulcherrima Europae tractibus auſtralioribus indigena eſſe videatur necdum intra Germaniae fines reperta ſit, illam tamen pro ſpontanea declaro, quae aliarum plantarum quarumdam more (Parietariae officinalis, judaicae) locum obtinet diſtinctum nec ubicunque excurrit. Reliquis fortius urit mihique in caſibus apoplecticis curandis saepius utiliſſima fuit.

406. Myriophyllum spicatum *L.* foliis omnibus pinnatis, pinnis capillaceis suboppositis, spica terminali nuda, floribus inferioribus foemineis bracteas denticulatas subaequantibus, masculis superioribus illas squamaeformes superantibus. — *Fl. dan.* t. 681. *Engl bot.* t. 83. *Schk* t. 296. opt. *Chabr. stirp.* 565. f. 1. *Tabernaem. hist.* I. 183. f. 1.

407. Myriophyllum verticillatum *L.* foliis omnibus capillaceo-pinnatis, floribus sexu variis verticillatis, bracteis foliaceis pectinato-pinnatis, pinnis apice sphacelatis.

α. pectinatum *W.*, bracteis oblongo-linearibus flores (foemineos) subspicatos subaequantibus, pinnis pectinatis brevissimis per rhachin dilatatam approximatis.

?M. pectinatum *DC. gall.* V. 529.
?Millefolium pectinatum aquaticum spicatum *Magn. bot.* 178.

β. pinnatum *W.*, bracteis lineari-lanceolatis floribus (foemineis hermaphroditisque) triplo longioribus, pinnis pectinato-pinnatifidis linearibus patentibus.

M. verticillatum *L.* — *Fl. dan.* t. 1046. *Engl. bot.* t. 218.
Pentapteris II. *Hall. Rupp. jen.* 67.
Potamogeton flosculis ad foliorum nodos *Tournef. inst.* 233. *Buxb. hal.* 270.
M. aquaticum minus *Clus. hist.* II. 252. f. 1. *J. Bauh. hist.* *Chabr. stirp.* 565. f. 2.

γ. pinnatifidum *W.*, bracteis oblongo-lanceolatis pinnatifidis flores multoties superantibus patentissimis, pinnis linearibus remotis rhachin subaequantibus, verticillis a basi inde omnibus floriferis,

Potamogiton foliis pennatis II. et furrectius ad nodos florens *Rupp. jen.* 67.

Var. α. in fossis stagnantibus, exsiccatis; β. in iisdem aqua repletis; γ. in aquis leniter profluentibus, auf dem Roßleber Riethe.

Stirps perquam variabilis et multo majoribus secundum loci natalis indolem obnoxia varietatibus, quam praecedens. Formae, quarum triplices agro halensi indigenas indico, seorsim adspectae, habitum valde alienum induunt et caute distinguendae sunt. Var. α., ad quam *Magnolii* et *Candolli* synonyma dubia retuli, bracteis excellunt oblongo linearibus, lineas duas longis, argute-pectinatis, pinnulis regularibus brevissimis, imbricatis per rhachin alatam dispositis; interiores longiores sunt, sensim imminuuntur et spicam verticillatam acutam mentiuntur. Var. β. vulgatior transitum a priore ad γ. patefacit, sine illa vix explicandam, bracteas gerit lineari-lanceolatas, centim. 1 longas, ex pinnis linearibus, patentibus, brevibus compositas. Var. γ. caules trudit a basi inde floriferos, bracteis oblongo lanceolatis cum foliis interioribus conformibus, centimetr. 2 integra longis, ex pinnulis remotis rhachin aequantibus insignes.

Potamogeton aquaticum pennatum minus, foliolis singularibus latiusculis subjectis *Moris. hist.* III. 621. f. XV. t. 4. f. 7. *Dill.* in *Raj syn.* 151. ab utroque diversum, *Myriophyllum Morisoni* est.

† 408. Carex dioica *L.* spica simplici dioica, stigmatibus binis, capsulis ovatis breviter rostratis patentibus bracteas semiamplexicaules obtusas subaequantibus, foliis setaceis semiteretibus apice calloso deplanatis serrulatis culmoque teretiusculo laevibus, radice stolonifera procurrente. — C. dioica *L. fl. suec.* n. 833. *sp. pl.*

II. 1379. excl. ſyn. *Scheuchz. Smith. brit.* III, 963. *Wahlenb. lapp.* 225. *Schk.* t. A. f. 1. excl. deſcript. *Flor. dan.* t. 369.

In pratis Benndorfenſibus paſſim intercurrit.

409. Carex Davalliana *Sm.* ſpica ſimplici, ſtigmatibus binis, capſulis e baſi ovata oblongis compreſſo-triquetris roſtratis bracteas excedentibus, culmo triquetro foliisque retrorſum hiſpidis, radice caeſpitoſa fibroſa.

α. subrecta *W.*, capſulis bracteisque erectis rhachi approximatis. — C. Linnaeana *Spreng. hal.* 258. excl. ſynon.

β squarrosa *W.*, capſulis bracteisque reflexis ſquarroſis. — „C. Davalliana *Sm. Spreng. hal.* l. l. C. ſcabra *Hoppe.* C. reflexa *Schk.* p. 11. t. A. f. 2.

Var. α. in prato Gutenbergenſi: β. in pratis Benndorfenſibus, Seebenſibus aliisque.

Var. α. praeter capſularum diſpoſitionem non differt, quae a praeceptore cum C. dioica *Linn.* longe diverſa commutata eſt. Var. β. ſpicis ſuperne et inferne maſculis, medio foemineis paſſim ludit.

410. Carex spicata *Schk.* ſpica lanceolata ſimpliciſſima androgyna, ſtigmatibus tribus, capſulis ovato-oblongis patulis bracteas ſubcarinatas acutiuſculas ſubaequantibus, culmo triquetro folioſo, foliis planis margine hiſpidis, radice repente. — C. ſpicata *Schk.* t. D. f. 15. — C. Leucoglochin *Wohll.* excl. ſyn. *Hoffm. Spr. hal.* excl. ſyn. *Wahlenb.*

Gramen agro halenſi et lipſienſi forſan proprium, a *Schkuhrio* et *Hoffmanno* bene deſcriptum, a *Willdenowio* et *Sprengelio* cum C. pyrenaica *Wahl.* commutatum, quocum praeter ſtylorum numerum ternarium nullam habet communionem.

† 411. ? Carex polyrrhiza *Wallr.* ſpica maſcula obovato-oblonga, foemineis ſubternis approximatis, binis inferioribus vaginato-pedunculatis foliolum ſubaequantibus, ſtigmatibus tribus, capſulis obovatis hirſutis ſquamam oblongam obtuſam aequantibus.

In promontoriis ſylvaticis nemoris Ziegelrodenſis. Jun.

Radix fibroſa, multiceps, ſquamarum emortuarum fibrillis implicatis undique tecta, culmos plurimos in caeſpitem denſum junctos ſuſtinens. Culmi obtuſe-triquetri, baſi folioſi, glabri, ſuperne parce hiſpidi, 1 — 2-pedales, graciles. Folia linearia, plana, glabra, margine hiſpida, ſubtus coſtata, pallide-viridia, ſupra punctulis quibusdam albidis inſcripta: annotina praelonga, pedalia, culmum floriferum aequantia vel ſuperantia, emarcida, perſiſtentia. Spica maſcula terminalis, obovato-oblonga, obtuſa, ex ſquamis ovatis, obtuſiuſculis, ferrugineis compoſita: foemineae 2 — 3 ovatae, duplo breviores, approximatae, breviter pedunculatae, inferiorum pedunculi vaginis ochreatis, in folium illas ſubaequans protenſis incluſi, ſuperior brevior: ſquamae ovatae, nitido-ferrugineae, nervo viridi hiſpidulo, nonniſi prominulo notatae. Capſula ovato-triquetra, baſi attenuata indeque pyriformis, pilis parcis brevibusque adſperſa, apice roſtellata.

An revera nova, quam praeter locum l. alibi etiam in C. montanae conſortio legi? Proxima niſi eadem C. umbroſa *Hoſt.* deſcriptionis fide, bra-

cteis longiſſimis, culmum ſubaequantibus et foliis carinatis forſan a noſtra dubia diverſa.

412. Carex muricata *L.* ſpica androgyna ſubcompoſita, ſpiculis ovatis ſuperne masculis, ſtigmatibus binis, capſulis patulis ovatis utrinque convexis margine integerrimo depreſſis in apicem biroſtrem ſerrulatum productis, bracteas ovatas acuminatas dorſo viridi ſubtrinervias aequantibus, radice fibroſa.

α. densa *W.*, robuſtior, ſpiculis paucifloris alternis ſubcontiguis — C. muricata *L. Willd. Wahlenb. Sm. Spreng.*

β. interrupta *W.*, gracilis, ſpiculis alternis paucifloris. — C. divulſa *auct.* et ipſius forſan *Good.* et *Schk.* — C. loliacea *Schreb.*

γ. lamprocarpa *W.*, ſpica ſubſimplici pauciflora ſubterminali, capſulis demum nigro-caſtaneis nitidis.

Var. α. in pratis vorumque viis abundat; β. in nemoribus umbroſis; γ. in caeduis Roſslebenſibus paſſim.

Carex muricata *L.* rectius pro gramine polymorpho habenda, quam nimis ſubtiliter circumſcribenda, quae me obſervante ſpicularum numero, diſpoſitione, omnium partium et capſularum magnitudine earumque colore multum variat et vix niſi fortuito capſulis margine ciliato ſerratis a C. divulſa, capſulis margine glabris inſigni, cum *Willdenowio* dignoſci poteſt. Var. β. et γ. ſquamis trinerviis diverſas eſſe, credidi: at ſtria viridis, qua carina inſcripta eſt, demum in ſpica matura contrahitur in plicas laterales, quae nervos mentiuntur. Var. γ. capſulis nigro-caſtaneis ſplendentibus et ſpicula ſolitaria terminali ſ. altera illi ſubjecta aucta valde ſingularis eſt.

NB. Omnium Caricum in fl. hal. enumeratarum et aliquot novis auctarum (*C. ſtricta Good.*, C. Kochiana *DC.*, C. ſupina *Wahl*) hiſtoriam fuſius et forſan diligentius expolitam, loci anguſtiis admonitus retinui. Ex veterum ſynonymis reſtituenda ſunt: C. leporina *L.* (C. ovalis *Willd.*); C. caneſcens *L. Leyſs.* (C. curta *W.*); C. humilis *Leyſs.* (C. clandeſtina *Good.*); C. montana *L.* (C. collina *W.*).

413. Quercus roboris *Linn.* nec *Willd.* varietatem ſingularem in nemore Heringenſi ſcio, primo intuitu Q. laurifoliae aemulam. Inſcripſi nomine *mespilifoliae*, foliis oblongo-lanceolatis integris ſ. parce ſinuatis in baſin attractis et quaſi productis inſignem.

414. Fagi sylvaticae var. coriacea, foliis conſiſtentia ſubcoriacea inſignis, in nemoribus thuringiacis paſſim occurrit.

415. Betula alba *L.* foliis e baſi ſubattracta deltoideis duplicato-inaequaliterque ſerratis acuminatis, gemmis, amentis masculis ramulisque glaberrimis, amentorum foemin. ſquamis membranaceis trifidis, lobis inaequalibus, lateralibus oblique rotundatis deflexis.

Betula alba *Linn. ſp. pl.* II. 1393. ed. *Willd.* IV. 462. excl. ſyn. *Blackw. Poll pal.* II. 602. *DC. gall.* III. 302. *Camer. epit.* 69.

A. arborescens, trunco arboreſcente procero.

α. aetherea *W.*, ramis ramulisque ſurrectis.

β. pendula *W.*, ramis deflexis, ramulis vimineis propendentibus.

B. pendula *Roth. germ.* II. 476. cum ſynon. *Hoffm. germ.* II. 246.

γ. MACROCARPA *W.*, amentis foemineis oblongis turgidis squamisque longe pedicellatis majoribus.

δ. LUPULINA *W.*, amentis foemineis ovato-subrotundis turgidis.

ε. MICROPHYLLA, *W.*, amentis foemineis cylindricis basi attenuata sterilescentibus pedunculum aequantibus, foliis minutissimis.

B. FRUTESCENS, trunco frutescente depresso, ramis surrectis tortuosisve.

B. alba *Linn. Wahlenb* *lapp.* 253 cum synon.

ζ. VERRUCOSA *W.*, ramis ramulisque erectis papuloso-verrucosis. — B. verrucola *Ehrh.*

In nemoribus nostris abundat: varietates supra distinctae partim stabiles partim fortuitae passim intercurrunt.

Truncus altitudinis et crassitudinis variae, basin versus cortice crasso, lignoso, rimoso diffracto, superne epidermide nivea, chartacea tectus, jam arborescens, jam frutescens. Folia utrinque glaberrima, demum ex papillis depressis, friabilibus, albentibus quasi lepidota, supra saturatius-, subtus dilutius virentia, basi dilatata jam subcordata, jam truncata, jamque in rhombi figuram leviter attracta, semper tamen e basi dilatata in apicem acuminatum producta indeque exacte deltoidea, magis minusve inaequaliter duplicato-serrata, magnitudine varia, juniora inque stirpe nuper recisa saepe maxima eaque centimetr. 6 — 7 lata, 7 — 8 longa, minima (in var. microphylla) centim. 1 lata, $1\frac{1}{3}$ longa. Rami patentes, epidermide hyalina nivea tecti, glabri; ramuli jam erecti, jam ex generis nisu naturali, viminei, elongati, graciles, longe propendentes (B. pendula *Roth.*) glaberrimi, nunc parcius nunc uberius corpusculis papillaeformibus, exaridis, ferulaceis adspersis iisque quasi verrucosi (B. verrucola *Ehrh.*).

Gemmae ovatae, acutiusculae, virides, tegmine tenero, resinoso, albo tectae, glaberrimae, basi squamis duabus ovato-subrotundis, fuscis, glaberrimis, margine diaphano nudis munitae. Amenta mascula in ramulis terminalia, 2—3, cylindrica, glaberrima, e squamis subrotundis, fuscis, antheras aliasque squamulas interiores foventibus, margine tenuissime fimbriatis, arcte conferruminata; foeminea cylindrica, magnitudinis et figurae variae; squamae trifidae, in stipitem, lobum extremum subaequantem s. duplo longiorem (B. macrocarpa) attractae, lobi laterales oblique rotundati, magis minusve reflexi, intermedius minor, ovatus, abrupte obtuseque mucronatus. Semina obovato-cuneata, apicem versus infra stylos parce barbata, alis diaphanis cincta.

Typus arboris naturalis innititur, ut rami viminei prolongentur, deflectantur: folia autem figuram deltoideam nanciscantur, i. e. basi dilatentur inque acumen sensim producantur. Ab hoc arbor parcius modo, loco natali et aetate jubente, deflectit, ita fere ut rami jam idque rarius, adsurgant, jam flabelli instar dependeant, jamque protensi et viminum instar propexi propendeant: folia autem secundum magnitudinem variam et stirpis aetatem, basin versus jam detruncentur, jam leviter in cordis figuram expandantur, jam in illam attrahantur, qualia arbores adultae proferre student. Albedine porro et glabritie arbor praecellit: illa in epidermide, papillis, quibus folia et ramuli inscribuntur inque B. verrucosa exasperantur, ipsarumque gemmarum tegmine exarido: haec in foliis, ramulis amentisque masculis conspicua. Ex hoc scilicet typo, oculis exercitatis addiscendo, stirpis differentiae ob varietates innumeras et specierum similitudinem quadantenus implicatae, facile patent.

Ex varietatibus extremis, aliis connexis, aliquas ex ramorum directione, amentorum figura et

foliorum magnitudine diſtinxi, quae perſtant, in variis locis fideliter redeunt et ſaepius e longinquo ſtatim jam recognoſcuntur. Squamae amentorum foemineorum in hac, variis viciſſitudinibus patent, nec nimis ſubtiliter circumſcribendae ſunt, quae vix niſi exercitato ad ſpeciem recognoſcendam lucis quid foenerantur. Earum icones a *Schkuhrio* datae rudes nec naturae congruae. Semina a cynipe ſaepius icta, turgeſcunt, in nuculae compagem immutantur, hinc foveola inſcribuntur nec praeter cynipem operarium, nucleum continent. Ejusmodi ſemina in amentis majoribus et turgeſcentibus abundant eaque ad ſationem non praeſtant.

† 416. Betula glutinosa *Wallr.* foliis rhombeis inaequaliter ſerratis acutis, axillis venarum amentisque masculis margine pubeſcentibus, gemmis oblongis acutis ramulisque ultimis glabris glutinoſis vernicoſis, amentorum foemineorum ſquamis trifidis, lobis inaequalibus, lateralibus patentibus oblique truncatis.

B. carpatica *Waldſt.* et *Kit. pl. rar. hung.* *Willd ſp. pl.* IV. 464

B. pubeſcens *auct. quorumd.* et *hort.*

B. alba *Hornem. fl. dan.* t. 1467. excl. ſynonym.

B. davurica *hort. berol.* nec *Pall.*

In nemoribus alpeſtribus, thuringiacis (Ziegelrodenſibus, Heringenſ.), hercynicis (Stolbergenſibus, haſſiacis (Meiſsner), paſſim. — Am. foemin. Septbr. Octbr. maturat.

Truncus quoad proceritatem et corticis indolem B. albam arboream: quoad ramorum directionem et epidermidis in ramis colorem, B. pubeſcentem arboream aemulatur. Folia exacte rhomboidea i. e. mediotenus dilatata, utrinque at-

tracta, acuta, inaequaliter ſerrata, laete - viridia concolora, praeter foliorum axillas inferiores barbatas demum glaberrima, verrucis parvis, glandulofis, fuſcis, adſperſa juniora ſubtus parce pubeſcentia. Rami patentes, verrucis deſtituti, ut in Ceraſis, fuſci: ramuli ultimi, rarius penduli, glabri, viſcoſi et tanquam ex vernice illinita nitidi. Gemmae oblongae, acutae, viſcoſiſſimae et glutine madentes (quo papyro adglutinantur eamque tingunt), reſinoſae, baſi ſquamis ovatis, acutis munitae. Amenta maſcula in ramulis terminalibus, 1 — 2, cylindrica ramulorum more nitentia: ſquamae ovatae, margine ciliato-pubentes: foeminea cylindrica, plus minusve oblonga (ex gemma triphylla, folio tertio minore et longiore): ſquamae trifidae, margine ciliatae, lobi inaequales, laterales patentes oblique truncati, intermedius oblongo - lanceolatus, magis minusve porrectus. Semina obovata, apice ut in B. alba barbata.

Stirps pulchra, intermedia quaſi inter B. albam et B. pubeſcentem, hybrida forſan ex utraque progenies: illi ramulorum glabritie: huic eorum directione, pube venarum et foliorum figura quadantenus ſimilis, tamen praeter foliorum rhomboideorum figuram ſtabilem, ſquamarum lobis apice truncatis, gemmis majoribus, glutinoſis, ramulis ultimis vernicoſo-nitentibus diverſa. Typus foliorum in figura rhomboidea verſatur, i. e. folia in baſin ovatam attracta ex ambitu rotundato et mediotenus dilatato abrupte leviterque in apicem producuntur, dum in B. alba, in baſin rectam et dilatatam expanſa, ambitum triangularem circumſcribant inque acumen ſenſim producantur; in B. pubeſcente autem, in baſin ovatam attracta et ultra mediam partem dilatata, ambitum ovatum fingant eumque parcius modo mutatum ſervent.

Synonyma varia impoſuerunt ut novum dederim nomen. B. carpatica *Kit.* ex definitione et

ſpecimine e Sudetis allato aeque ac *Hornemanni* icon nitida noſtram exacte referunt. B. pubeſcentem auctorum quorumdam, hujus loci eſſe, alia ſpecimina teſtantur. Neque aliter judico de B. davurica ex horto berolin. olim accepta, quae quamvis amentis foemineis cylindricis, longioribus a noſtra recedat et cum *florae dan.* icone congruat, eandem tamen praedicat ſtirpem. Arbor et frutex alienum plane mentiuntur habitum: illa ex generis niſu naturali ramulos deflectendi, varietati pendulae locum dat: hic, ramis tortuoſis, breviſſimis, pro ſtirpis proceritate validis, fuſcis conſtipatur, folia pallidiora et majora proferre ſtudet, isque B. davuricae *Pall.* verae haud disſimilis evadit, quae quidem amentorum indole, ſquamis majoribus, ſubcartilagineis earumque lobis lateralibus ſubaequalibus ovatis, erectis diverſa eſt, iisque ad B. carpinifoliam *Ehrh.* (B. nigram *auct.*) potius accedit.

† 417. Betula pubescens *Ehrh.* foliis ovatis inaequaliter-duplicato ſerratis acutis ſubtus ramulisque ultimis obſcuris tomentoſo-pubeſcentibus, gemmis ovatis viſcoſis amentisque maſculis margine ciliatis, foemineorum ſquamis trilobis utrinque pubentibus, lobis diſtinctis inaequalibus, lateralibus rotundatis deflexis.

B. pubeſcens *Erh. Hoffm. Willd. Ann. bot.*

B. tomentoſa *Reit. et Abel Beſchreib. d. Holzart.* I. 17. t. 15. *Krock. ſileſ.* III. 224.

B. alba *Smith. brit.* II. 1012. *Roth. germ.* II. 475. *Blackw.* t. 240. *Schk. Handb.* III. t. 288. f. 1. aliorumque.

Betula *Tabernaem. hiſt.* p. 1398. f. 1.

In collibus apricis editioribus, calcareis praeſertim et arenoſis et ex illis alibi transmigrat inque alnetis udis laetatur. Amenta autumno maturantur.

Stirps lubens frutescit eaque ad annum decimum omnibus partibus pubescit, raro arborescit et pubem penitus exuit, et quoad ramorum directionem, colorem totumque habitum B. glutinosam refert. Folia ovata, acuta, inaequaliter-duplicato serrata, juniora basi subcordata, utrinque cum petiolis ramisque tomentoso-pubescentia, demum denudata, nervorum axillis modo barbatis, supra saturatius, subtus dilutius virentia, membranacea et minus pellucida. Rami erecti, patentes, ultimi per omnem aetatem magis minusve pubentes obscuri. Gemmae ovato-oblongae, obtusiusculae, viscosae, margine ciliatae, ferrugineo-nitentes, basi squamis ovatis, fuscis, apice acutiusculo replicatis, margine ciliatis munitae. Amenta mascula e squamis subquadratis, obtusis, margine ciliatis compositae: foeminea cylindrica (ex gemma diphylla), squamae trilobae, extus margineque ciliato-pubentes, lobi inaequales, laterales patentes, rotundatae, distinctae, intermedius triangularis. Semina ovato-oblonga, infra apicem etiam pubentia, marginata.

Haec pube praecellit eamque in arboris adultae ramulis ultimis et foliis quidem, in nervorum axillis, ramulis junioribus, novellis et amentorum squamis nunquam exuit. Folia ex figura ovata (nec ut *Willdenowius*, deltoidea) basin versus nunc (in novellis ramulisque junioribus) in cordis formam expanduntur, nunc dilatata rotundantur nuncve potius (in trunco arborescente) attrahuntur, eaque figurae rhomboideae similia, communionem cum B. glutinosa mentiuntur. — Admodum varia subscripsi synonyma. Betulam albam *Sm* nostram esse, ex ramulis apice pubescentibus intelligitur. Icones a *Schkuhrio*, *Blackwellio* ipsoque *Tabernaemontano* datae, folii typo teste sine ullo dubio nostram intrant. Stirpem admodum polymorpham, in agro thuringiaco vicinisque saltem, solo calcareo sicut aliae Rosa

cinnamomea, fl. simplici v. c. propriam esse hincque aut fortuito aut ex manu in alios locos transiisse inque nemoribus udis etiam vel maxime laetari, persuasus sum.

DIOECIA.

418. Viscum album *L.*, cui in *flor. hal.* p. 270. baccae polyspermae adscribuntur, monospermas habet.

† 419. Salix Russeliana *Sm.* foliis lanceolatis acuminatis serratis glabriusculis subtus glaucescentibus, amentis coaetaneis, germinibus lanceolato-subulatis glabris subpedicellatis, stylis productis. — *Smith. brit.* III. 1045.

In salicetis nostris passim.

Intermedia inter Salicem fragilem et albam, cum quibus hucdum commutata est: differt autem ab illa: ramulis longioribus, robustioribus, dilute purpurascentibus sine nitore conspicuo, nec tam fragilibus; foliis longioribus, utrinque magis attenuatis, subtus glaucis tenuiter pubentibus crebrius argutiusque serratis; germinibus oblongo-lanceolatis et aliis notis.

ADDENDA.

1. Veronica agrestis β. pulchella *W.* corollis albis. — V. pulchella *Bast. fl. de Main.* 14. *DC. gall.* V. 388. *Roem. et Schult. syst.* I. 126.

† 2. Triticum? glaucum *DC.* glaucum, spica interrupta, rhachi hispidula, spiculis alter-

nis, glumis inaequalibus, calycinis ovato-oblongis truncatis subretusis duplo brevioribus 7-nerviis, corollinis oblongis obtusis emarginatis, foliis planis glaucescentibus, radice repente. — T. glaucum *DC. gall.* V. 281. *Roem. et Schult.* II. 753.

In vineis apricis saxosis inter Seeburg et Erdeborn in lacus salsi vicinia, quo loco spiculis muticis et aristatis variat.

Fines inter Tr. rigidum, junceum, pungens, glaucum, acutum et repentis varietates aegre statuuntur, aegrius autem species singulae recognoscuntur. Hinc quoque non solum Tr. nostrum sed quoque Tr. repentis var. glaucescentem p. 40. indicatam, quae forsan Tr. pungens *DC.*, dubia interim agnosco, donec utrumque cum auctorum speciminibus affinibus conferre possim.

3. Ad Galium multicaule α. polyphyllum G. hercynicum *Weigg.* pertinet, a *Roem.* et *Schult.* clar. G. saxatili subscriptum.

4. Galii mollugiNis varietatibus p. 55. statutis addantur:

δ. racemosa *W.*, ramulis floriferis geniculisque remotis, racemis axillaribus ovatis obtusis simplicibus internodio brevioribus.

ε. virgata *W.*, ramulis floriferis strictis virgatis acutis foliosis.

In vepretis passim intercurrunt, quae inflorescendi modo eximie discrepant.

5. Dissensiones de Galio vero a *Roemero* et *Schultesio*, VV. clar. (*syst.* III. 234.) factae ad stirpis indolem polymorpham et locum natalem spectant. Galium verum enim, quatenus

a systematicis doctissimis definitur, G. verum β. lejophyllum: G. verosimile autem G. verum α. trachyphyllum nostrum esse videtur. Alia varietas exstat in dumetis umbrosis ubique, γ. CANESCENS, foliorum pagina inferiore, caule, ramis pedunculisque incano-pubescentibus. Iterum aliae formae hybridae a G. vero, patre et G. Mollugine, matre, passim intercurrunt, ad var. lejophyllam nostram accedunt, inter G. verum et Molluginem autem ita ambigunt ut eodem jure ad id quam ad illud revocari possint.

6. GALIUM GRACILE, floribus flavescentibus, in arvis arenosis hinter dem Zorgs abundat.

7. MYOSOTIS ARVENSIS varietas: floribus solito majusculis, ex qua cl. *Linkius* M. intermediam concinnavit, passim occurrit. — M. versicolor *Ehrh.* altera M. collinae: M. simplex vero varietas tertia est.

8. VITIS VINIFERA β. SYLVESTRIS, fructibus minoribus, foliis subrotundis integris trilobisve subtus pubescentibus, *Willd. enum.* 267. V. sylvestris *Gmel. bad.* I. 543., sicut aliae varietates, v. c. γ. LACINIATA, in vineis Seeburgensibus, Erdebornensibus aliisque thuringiacis derelictis passim occurrunt. V. sylvestris hoc loco prototypum V. viniferae, tot saeculis cultae aut, alio, si mavis, formam degenerem praestat ideoque multo frequentius sterilescit, aut acinos minores minusque succosos largitur eaque iterum pubem acquirit, ut arbores sylvestres, spinas, quas ex cultura amiserunt.

9. VIOLAE CANINAE var. δ. MACRANTHA *W.*, floribus omnibus corollatis duplo majoribus, in nemoribus editioribus umbrosis. V. degener *Schweigg. chl. bor.*, V. neglecta *Schmidt. bohem.* II. 253. *R. et Schult. syst.* V. 367. — Ad var. collinam nostram V. ericetorum *Schrad.*

in *lit.* V. Ruppii *All.*; ad V. arenariam, V. aprica *Spreng. Nov prov.* 43. pertinent.

10. Rhamnus Frangula β. angustifolia *W.*, cujus folia centim 3⅔ longa, 1 lata sunt, in uliginosis ad Lodersleben.

† 11. Erythraea angustifolia *Wallr.* caule compresso-teretiusculo subsimplici paucifloro, calycibus ebracteatis corollae tubum aequantibus, foliis enerviis subcarnosis obtusis, inferioribus obovato-lanceolatis cymbiformibus caespitosis, caulinis linearibus. — Erythr. ramosissimae var. angustifolia p. 111.

In campis calcareo-salitis ad See-Roeblingen inque similibus ad Borksleben. Septbr. Octbr.

Radix tenuis, flava, adstringens. Caules erecti, simplicissimi, superne in pedunculos floriferos di-trichotomosve divisi, graciles, hinc contracto-sulcati, hinc deplanati, compresso-teretiusculos mentientes, scabriusculi, biunciales. Folia radicalia et innovationum oblonga, in rosulam expansa, basi attracta, obtusa, cymbiformi-concava, crassiuscula, fere subcarnosa, enervia, margine caulis more scabriuscula; caulina reliqua oblongo-linearia, utrinque aequalia, amplexicauli-connata, summa brevissima. Inflorescentia simplex, bi-trichotoma. Calyces sessiles, foliis oppositis suffulti, corollae tubum aequantes: segmenta lineari-filiformia, acuta, convexa, ut caulis undique scabra. Flores magnitudine Er. Centaurii minoris: tubus corollae flavescens, punctis purpureis exilissimis inscriptus: limbus ovatus, obtusus, roseo-purpurascens. Stamina et pistillum ut congenerum. Capsula oblonga, tunica hyalina, tenuiter striata inclusa.

12. Atriplex rosea *L.* caule erecto herbaceo patentissimo, foliis canis rhombeo-triangularibus sinuato-dentatis utrinque lepidotis, summis integerrimis cuspidatis, valvis deltoideis dentatis supra basin attractam tricostatis, costis in cristas abeuntibus iisque obvallatis.

α. Bauhiniana *W.*, ramis erectis, foliis inaequaliter repetitoque sinuato-dentatis subtus argenteo-lepidotis venarum reticulo obsoleto inscriptis, floribus axillaribus glomeratis, valvis impellucidis furfuraceis dorso cristatis.

A. rosea *Linn. sp. pl.* II. 1493. excl. syn. *Rupp.* et *Hall. DC. gall.* III 386. *Pers. syn.* I. 293. *R. et Schult. syst.* VI. 280.
Atr. sylvestris fructu roseo *C. Bauh. pin.* 119.

β. Linkiana *W.*, foliis sinuato-dentatis subtus argenteis venarum reticulo obsoleto inscriptis, floribus plurimis masculis spicatis. — (spicis foliosis, A. foliosa *Link.* l. l.).

A. rosea *Link.* in *Schrad. diar.* 1800. I. 55.

γ. Ruppiana *W.*, ramulis patentissimis, foliis parce sinuatoque dentatis utrinque leviter lepidotis valvisque dorso nudiusculis venarum reticulo daedaleo pellucido exaratis, floribus axillaribus glomeratis.

Atr. Besserianum *Roem. et Schult.* VI. 284.
A. albicans *Bess. gall.* I. 194.
A. rosea *Linn. sp. pl.* l. l. ex synon. *Rupp.* et *Hall.* — *Leyss. hal.* 252 excl. syn. *Roth. germ.* II. 553. *Willd. sp. pl.* IV. 960. *Hoffm. germ.* II. 276. *Schk.* t. 350. *Spr. hal.* 85.
A. foliis incanis serratis, capsulis quadrangularibus dentatis *Hall. gott.* 19. *Zinn. gott.* 27. excl. syn. *Bauh.*

A. ſylveſtris fr. compreſſo roſeo *Rupp. jen.* 341. ex l. nat. *Buxb. hal.* 34. excl. ſyn. *Bauh.*

Var. α. in aggeribus juxta lacum ſalſum inter Erdeborn et Seeburg inque Galliae et Hiſpaniae litoribus marinis cum var. β.; γ. in aggeribus, ruderibus ipſisque compitis Thuring., ſuo loco abundat.

Differentias, quas ſtirps ſecundum colorem, ramorum florumque diſpoſitionem et venarum proprietatem, quibus foliorum valvarumque parenchyma inſtructum eſt, fingit, equidem ex loci natalis indole et climatis ratione varia explico, ita fere ut alia borealis, alia auſtralis, ſive etiam alia in maritimis, alia in ruderibus naſci videatur. Omnes penitus ſtirpes in locis ſalſis peregrinum induere habitum inque illis foliorum compagem duplicare, pubem furfuraceo-ſquamoſam autem, Chenopodearum familiae propriam ulterius elicere, ſaepius obſervavi nec mirum eſt, Atr. roſeae var. γ. noſtram in aggeribus laete virentem et omnibus partibus venarum reticulo viridi, daedaleo, perbelle exarato et ob ſuperficiem furfuraceam ſparſam optime pellucido inſcriptam eſſe, in locis ſalſis contra, ob furfures in ſquamam ſubcontiguam intertextos obſoletam fieri nec ita pelluceſcere. Valvae tricoſtatae eſſentiam complectuntur: criſtae vero, quibus coſtae dorſales obteguntur et nonniſi obvallantur, multum variant et jam magis jamque minus conſpicuae in noſtris ſaepius omnino deficiunt. *Ruppii* et *Buxbaumii* ſynonyma ex loco addidi nec cl. *Beſſerus* hanc varietatem primum diſtinxit.

13. Atriplex patula var. salina, caule, foliis utrinque valvisque furfuraceo-lepidotis, in aggeribus ſalſis pratorum ad Koelme, Wansleben et Langenbogen ubertim viget.

14. Atriplex angustifolia *Sm.* et vulgaris et perquam polymorpha eſt, in locis ſalſis

autem tam dissimilis evadit, ut foliis carnosis valvis seminibusque crassioribus, viridibus, nec nigris plane aliena esse videatur. Valvarum discus praeterea ex generis nisu naturali murices lubenter acquirit; ipsae vero valvae in var. salinis exacte quadratae sunt nec in apices producuntur. Ejusmodi autem varietates ex caulis, ramorum dispositione et valvarum integritate et figura perquam mutabiles, melius A. angustifoliae variet. salinae loco subscribuntur quam nimis subtiliter distinguuntur. Ex illis scilicet Atriplex salina *Desv. journ. de bot.* II. 48. *Roem. et Schult.* VI 289. est.

15. Chenopodii microspermi definitioni p. 112. adde: folia carnosa: locum natalem: in pratorum salinorum aggeribus vor Langenbogen et synonymon: Chenop. crassifolium *hort. par., erford et havn. Roem et Schult syst.* VI. 262. nec *Bieberst. taur. cauc. suppl.* 170., quae sp. distincta.

16. Chenopodium rubrum *L.* perquam mutabile, plures suppeditat formas, quarum aliquot adjungo.

α. vulgare *W.*, racemis brevibus rectis axillaribus aphyllis.

β. blitoides *W.*, foliis laciniisque acutis, racemis erectis elongatis. — Ch. blitoides *Lejenn. spad.* 126. *DC. gall.* V. 372.

γ. foliolosum *W.*, racemis compositis foliolosis. — Ch. rubrum *Smith. brit.* I. 274. *fl. dan.* 149.

δ. glomeratum *W.*, foliis carnosis hastatis subintegerrimis in petiolum attractis, floribus axillaribus subcapitatis.

Var. α — γ. in suburbiis passim; δ. in rejectamentis pratorum salitorum vor Langenbogen, quae,

quamvis varietas perpulcra et perquam diſſimilis ſit, calycibus compreſſis verticalibus, quibus eſſentiam adſcribo, noſtram ſtirpem appellat.

† 17. Myrrhis aurea *Spr.* caule tereti ſubmaculato baſi pilis deflexis hirſuto, foliis ſupradecompoſitis piloſis, foliolis lanceolatis inciſo-ſerratis apice elongatis acutis, fructibus muticis involucellisque coloratis. — Chaerophyllum aureum *L.* — *Roem. et Schult. ſyſt.* VI. 513. *Rupp. jen.* t. V. p. 282.

In pomariis collinis ad Wiehe. — Extra fines ad Sondershuſam, ad radices montis des Kellners. Jul.

Variat caule inferiore nudo pilisque deflexis hiſpido.

18. Juncus obtusiflorus *Ehrh.* in foſſis uliginoſis pratoque ſpongioſo ad Bennſtaedt copioſe.

19. Juncus bulbosus γ. lychnocarpos noſter p. 146. Junco bottnico *Wahlenb. lapp.* 82. t. 5. tam ſimilis, ut plane non dignoſci poſſit. — J. conſanguineus *Zz.* et J. Gerardi *Loiſ.* ad var. α. et β. pertinent.

† 20. Sempervivum hirtum *L.* propaginibus ſphaericis compactis, foliis caulinis ſuperioribus ovato-oblongis, floribus hexapetalis (flavis), petalis linearibus acutis tubum mentientibus apiculatis margine lacero-fimbriatis. — S. globiferum *auct.* S. hirtum *L. DC. gall.* IV. 398. S. tectorum minus *Rupp. jen.* 168.

In murorum grumis pagorum thuringiacorum, v. c. Bottendorf, Wallhaufen, Riehftaedt aliorumque circa Islebiam et Sangerhufam. Septbr.

Diu cum aliis auctoribus pro S. globifero *L.* habui, quod quidem cl. *Candollio* tefte differre dicitur: 1. foliis caulinis fuperioribus lanceolatis longioribus, centimetr. 4 longis, quae in noftro centim. 2-modo longa: 2. corollis patentibus, 12-petalis, quae in noftro 6-petalae, tubum mentiuntur.

† 21. MENTHA GENTILIS *L.* floribus verticillatis, foliis ovatis acutis incumbenti-ferratis, calycibus bafi pedicellisque glabris. — *Smith. brit.* II. 621. *Gmel bad* II. 602. M. arvenfis verticillata verficolor *Morif hift* I. XV. 7. 5. a.

In aggeribus limofis lacum falfum cingentibus inter Erdeborn et Seeburg. Septbr.

Cl. *Gmelinus* rariffimam et Europae auftraliori propriam habet. Noftra odore praecellit in l. l. fortiffimo, M. piperitae fortiore eoque nares ficca ferit, viva e longinquo allicit. Aliam *fl. hal.* auctor indicat.

22. RUBUS CORYLIFOLIUS δ. CANUS p. 231. R. collinus *DC. gall.* V. 545. effe videtur.

23. Ad THYMUM SERPYLLUM noftrum p. 296. fufius defcriptum praeter alia fynonyma mihi ignota: Th. fylveftris. Th. citratus, Th. citriodorus, Th. fubcitratus *Schreb.*, Th. reflexus *Lej.*, Th. arenarius *Bernh.* (Th. anguftifolius *Ann. bot.*) et Th. humifufus *Bernh.* pertinent.

INDEX GENERUM.

INDICATUR:

PLANTARUM THURINGIACARUM
EXSICCATARUM
CENTURIA I.

HERBARIUM PRAESTAT OMNI ICONE *L.*

1. Poa dura *L.*
2. — brevifolia *DC.*
3. — ſudetica *Hke.*
4. Arundo varia *Ann. bot.*
5. Feſtuca glauca? *Lam.*
6. — ſylvatica *Vill.*
7. Phleum aſperum *Jacq.*
8. Aſterocephalus ſuaveolens *Wallr.*
9. Galium gracile *Wallr.*
10. — tricorne *With.*
11. Sagina erecta *L.*
12. Aſperula galioides *M. B.*
13. Lycopſis pulla *L.*
14. Myoſotis ſylvatica *Ehrh.*
15. —— collina *Ehrh.*
16. Hyoscyamus agreſtis *Kit.*
17. Theſium Linophyllum γ. pratenſe *Wallr.*
18. Erythraea anguſtifolia *Wallr.*
19. Chenopodium microſpermum *Wallr.*
20. —— melanoſpermum *Wallr.*
21. Atriplex nitens *Schk.*
22. — roſea γ. Ruppiana *Wallr.*

23. Halimus pedunculatus *Wallr.*
24. Myrrhis aurea *Spr.*
25. Torilis infesta *Wallr.*
26. Athamanta Libanotis *L.*
27. Allium angulosum β. calcareum *W.*
28. Ornithogalum minimum *L.* (O. Sternbergii *Hopp.*).
29. — nutans *L.*
30. Juncus obtusiflorus *Ehrh.*
31. Rumex Nemolapathum *Ehrh.*
32. — sylvestris *Wallr.*
33. — cristatus *Wallr.*
34. — Hydrolapathum *Hudf.*
35. — maximus *Schreb.*
36. Monotropa hypophega *Wallr.*
37. Pyrola chlorantha *Sw.*
38. — secunda *L.*
39. Gypsophila fastigiata *L.*
40. Arenaria marina *L. emend.*
41. — media *L.*
42. — verna *L.*
43. Prunus Chamaecerasus β. *Jacq.*
44. Pyrus communis *L.* α. Pyraster *Wallr.*
β. Achras *Wallr.*
45. Prunus spinosa *L.* α. macrocarpa *Wallr.*
β. microcarpa *W.*
46. Mespilus monogyna *Wallr.*
47. Rosa cinnamomea α. fl. simplici *L.*
48. — marginata *Wallr.*
49. Potentilla opaca *L.*
50. Rubus hybridus *Vill.*
51. — corylifolius γ. canus *Wallr.*

52. Helianthemum Fumana *L.*
53. Thalictrum montanum *Wallr.*
54. —— collinum *Wallr.*
55. —— flavi var.?
56. Adonis maculata α. β. *Wallr.*
57. — anomala *Wallr.*
58. — vernalis *L.*
59. Ranunculus ſtagnatilis *Wallr.*
60. —— polyanthemos *L.* α. latifolius *Wallr.* (R. nemoroſus *DC.*).
61. Marrubium pauciflorum *Wallr.*
62. Alectorolophus parviflorus *Wallr.*
63. Euphraſia lutea *L.*
64. Biſcutella ambigua *DC.*?
65. Arabis Crantziana *Ehrh.*
66. — patula *Wallr.*
67. — braſſicaeformis *Wallr.*
68. Eryſimum virgatum *Roth.*
69. — cheiriflorum *Wallr.*
70. Naſturtium paluſtre *Wallr.*
71. Melilotus arvenſis *Wallr.*
72. — dentata *Kit.*
73. Coronilla montana *Riv.*
74. Hypericum Kohlianum *Spr.*
75. Hieracium pedunculatum *Wallr.*
76. —— piloſelloides *Vill.*
77. —— collinum *Gochn.*
78. —— fallax *DC.*
79. —— cymoſum *L.*
80. —— molle *Jacq.*
81. —— praemorſum *L.*
82. Crepis polymorpha *Wallr.*

83. Sonchus fallax β. *Wallr.*
84. Cicerbita corymboſa *Wallr.*
85. Cineraria campeſtris *Retz.*
86. Artemiſia Seriphium *Wallr.*
87. — rupeſtris *L.*
88. Thrincia Leyſseri *Wallr.*
89. Orchis paluſtris *Jacq.*
90. Epipactis atrorubens *Hoffm.*
91. Carex humilis *Leyſs.*
92. — polyrrhiza *Wallr.*
93. Urtica pilulifera *L.*
94. Betula glutinoſa *Wallr.*
95. — pubeſcens *Ehrh.*
96. Polypodium calcareum *Smith.*
97. Chara aſpera *Willd.*
98. — hiſpida *L.*
99. — crinita *Wallr.*
100. — ceratophylla *Wallr.*

NB. Plantas rite exſiccatas et papyro bibula exceptas pro nummo aureo Ludovic. venales offero. Ad eum finem Centurias viginti parantur. Qui collectionem deſiderant, nomina in literis ſine impenſis rata occaſione ad me datis, ſubſcribant meque, auro ſimul ac prius addito, edoceant, qua via quisque faſciculum miſſum jubeat. Nomina exſpecto ad Maji menſis finem 1822., ut centurias tempore idoneo conſarcinare et circa Octobr. menſ. finem ej. anni distribuere poſſim.

Heringae pone Nordhuſam, d. 1. Jul. 182…

Dr. Wallroth.

HALAE, FORMIS FRIDERICI GRUNERTI.



Papaver trilobum Wallr.



Aconitum Bernhardianum Wallr:



Thlaspi procumbens Wallr:

Wallroth Schedulae



Artemisia Mertensiana Wallr.

Wallroth Schedulæ. Tab. V.



Artemisia rupestris L.